
CRUX AVE SPES UNICA

~~Arg.~~ 1338

HENRICI CORNELII
AGRIPPAE AB
NETTESHEYM, DE
INCERTITVDINE ET VA-
nitate scientiarum declama-
tio inuectiua, ex postre-
ma Auctoris reco-
gnitione.



COLONIÆ
Apud Theodorum Baumium sub sole
aureo. Anno 1568.


13919

SPECTABILI VI RO D. AVGVSTINO Furnario ciui Genuensi, Henricus Cornelius Agrippa ab Nettesheym. S. P. D.

COGITANTI mihi (integerrime Augustine, qui bene merendi studio me tibi perpetuò debendæ gratiæ reum effecisti) quo cultu, qua veneratione, quo pignore, quaue ingenij industria tibi hanc animi mei obseruantiam testarer, animus erat te pulchro aliquo & magno (quando tu pulcherrimis maximisque dignissimus) munere adornare, ac cum ornatissima sermonis integritate, tum locupletissima rerum dignitate, grauissimoque sententiarũ pondere, tibi de penitissimis vtriusque, diuinæ & humanæ literaturæ libros offerre, verum cùm ego

tanto animo meo cùm doctrinâ & ingenio longè sim inferior, tum dicendi facundia, sermonisque elegantia illum remoto gressu sequar, non habeo in mei ingenij suppellectile, quod præstare possim, præter insignem ignorantiam, ipsumque iacet ingenium, fortunæ meæ indignatione deiectum, adeò vt ex ipsa indignatione ferme cum Troiana illa Hecuba versus sim in canem, ac nullarum virium sim ad bene dicendum, nil amplius memini nisi mordere, oblatrare, maledicere, conuiciare, atque sic adfectus, scripsi his diebus volumen satis amplũ: cui, De incertitudine & vanitate scientiarum titulum feci: in quo sic in vniuersam illam scientiarum atque artium gigantomachiam oblatraui, sic omnes illos scientiarum & artium robustissimos venatores, validissimis morsibus perstrinxi, vt quoties opus ipsum reuiso, ipse ego me dimirer talem

in

in homine canem, & cui nihil caninum desit, præter vnam adulationem, licet aulico admodum necessariam. Ne igitur obseruantiæ tuæ desertor esse videar, dum condigna te, & ex scientiarum deprompta thesauris fœcunda, munera impendere nequeo, saltem ex eadem ignorantiæ & indignationis meæ officina, hanc Cynicam declamationem in obser-

nantiæ in te meæ argumentum ti-

bi nunc offero: hac te dono, hanc tibi dedicatam constituo, magnitudinem animi erga te mei libenter ostensurus, atque quam vigilem custodem, quam oculatum speculatorem, quam audacem militem, quam magnanimum ducem in me tibi acquisieris, qui cum velut è sublimi specula hostes procul denuncio, quo se diuinarum literarum ciues in loca recipiant tutiora, tum pro eorundem omnium salute omnibus me lacerandum obijciens, primum cominusque in

acie propugno: quò facinore tantum abeſt quod metuam inuidiã, vt gratiam ab omnibus mihi deberi putem, qui ad operam publicę vtilitatis ſimul ſpeculator & miles, denunciem & impugnem, quibus ſalus periclitatur humana, atque inſuper ducem me præbeam ijs, qui egredientes humanarum ſcientiarum labyrinthum, in arcem tẽdũt veritatis. Accipe igitur nunc Auguſtine colendiſsime hanc, qualiſcunque eſt declamationem, atq; illam tibi tuo iure habe. Scio enim, ſi venator es, & canes amas, non poterit illa tibi non eſſe gratiſſima. Verùm ego nunc è cane in crocodilum aut draconem aliúmue igniuomum ſerpentem migrabor, & pyrographiam (opus quale hactenus noſtra non viderit ętas, ſed non niſi famoſo cuiquam orbis vaſtatori profuturum) protinus abſoluam: tum ſacra me ſpargam lympha, & flumine viuo abluam, quo tandem fatalibus his laruis exu-

exutus, rursus in hominem reuertar, ne quando nimium pythagorissans, & in tam varias beluas demigrans, tandem Luciani & Apuleij instar, in philosophantem asinum vertar, sed tu nunc felicissime vale meminerisque cum hæc nostra legeris, quia nihil scire felicissima vita.

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA
ad Lectorem.

AN non tibi lector studiose, magnanimum præaudaxq; ac pene Herculeũ hoc meũ facinus videbitur, contra vniuersam illam scientiarum omnium atq; artium gigantomachiam arma sumere, ac vniuersos illos scientiarum, artiumque robustissimos venatores in arenam prouocare? infremeant aduersum me doctarum superciliũ. Licentiatorũ eruditio, magistrorum auctoritas, baccalaureorum conatus, & scholasticorum omnium zelus mechanicorumque seditio. Quos si confecero, nonne aut par, aut maius erit, atque leonem Nemaum claua percutere hydram, Lernæam igne interimere, aprum Erimanthæum occidere, ceruã Menalio nemore aurea cornua gerentem capere, Stymphalidas aues in nubibus sagittis confodere, Antæum intra vlnas opprimere, columnas in Occano fi-

no figere, Geryonem tricipitē vincere, boues abigere, taurum perimere, Achelaum monomachia superare, Diomedis equos abducere, Cerberum vinctum catena trahere, aurea Hesperidum mala rapere, eiusque generis plura, quæ ab Hercule & magnis laboribus nec minori periculo gesta sunt, cùm non minoris laboris, periculi aut quàm maximi sit, hæc gymnasiorum atq; palestrarum mōstra superare? Neq; enim non video, quàm cruenta pugna hic mihi cominus ineunda est, atq; plenum periculo bellum, cùm sim tam potentissimorū hostium vallatus exercitu. Hei quot mihi me machinis oppugnabunt, quot me impetent moliminibus, quot me persequētur ignominijs? Obstrepent in primis pediculosi grammatici, atq; etymologijs suis ex Agrippa nomen indent podagricum. Adtoniti poetæ pro Momo vel hirco Æsopico traducēt carminibus. Nugiuendæ historiographi supra Pausaniam & Herostratum prophanabunt. Magnicrepi rhetores iratis oculis, terribili vultu, grandisonis vocibus, di-

risque gesticulationibus perduellionatus accusabunt. Monstruosi memoriographi laruis cerebrum obtundent. Pugnaces dialectici innumera syllogismorum tela in me conjcient. Flexiloqui sophistæ verborum laqueis suisque indissolubilibus, ceu iniecto freno, obturabunt. Barbarus Lullista absurdis verbis ac solœcismis demetabit caput. Terra cœloque proscribent impij mathematici. Atomographi arithmetici concitatis in me fœneratoribus, ad alieni æris rationem cogent. Ad laqueum adiget peruicax aleator. Infaustos numeros supputabit sortilegus Pythagorista. Carcerem tristitiamque infelices figuras projciet punctator geomantes. Canentme in triuijs vulgi fabulam multitoni musici, ac stridulis ronchis. dissonisq; concharum, peluium patinarumq; strepitibus, plus quàm solens digamorum sponsalitijs, obturabunt. Excludet choreis pomposæ matronæ. Oscula negabunt blandulæ puellæ. Camelũ saltantem subsannabunt garrulæ ancillulæ. Saltator histrio ludet in me turpi

scena

scena tragœdiam. Dextera, leuaq́ ime
petet centimamus gladiator. Perplexi
geometræ iniectus triquetris tetragonis
que circulis, tanquam Gordionijs nodis
irretitum captiuabunt. Simia vel ipso
Therſite deformiorem pinget ſculpet,
que inanes opticus. Vltra Sauromatas
& glacialem relegabunt vagi coſmime
træ. Dædaleus architectus inexpugna
bilibus machinis clandeſtine ſubcuni-
culabit, correptumq́ inobſeruabilibus
labyrinthis errare coget. Ad arrugias
tondemnabit Stygius metallarius. Su
ſpendium cõminabuntur fatales aſtro
logi, cœlorumque labili vertigine con
ſcenſum ad ſuperos cohibebunt. Omina
buutur omne malum minaces diuina
tores. Frigidum in Venerẽ, inualidiq́
femoris diffamabit importunus phyſio
gnomus. Cerebricoſum aſellum pronun
ciabit delirus metoposcopus. Diuina
bit omnia ſiniſtrè fatidicus chiroman
tes. Triſti auſpicio exaugurabit præſa
gus aruſpex. Mittet vltrices flamma
Iouis, & præſagi fulminis ignes portẽ
toſus ſpeculator. Nocturnis terrebit

lemu-

lemuribus tenebricosus oniropola. Furens vates ambiguo decipiet oraculo: Prodigiosi magi tanquam alterum Apuleium aut Lucianum in asinum, non tamen aureum, sed fortè stercorarium transformabunt. Spectris atque manibus persequetur ater goeticus. Sacrilegicus theurgus caput cōsecrabit ἐν κόπρανας vel fortè in cloacas. Imprecabuntur suam detractim dementulati cabalistæ. Acephalum spadonémue representabit anilis præstigiator. Discrepent pugnacissimis opinionibus contentiosi philosophi. Nosq; inter canem & crocodilum migrare facient circulatores Pythagorici. Dodio aut sepulcro recludēt fœdi mordaceſque Cynici Vxorem communicandā clamabunt pestilentes Academici. Enecabūt crapula glutones Epicurei. Mortificabunt animam, excludentque paradiso impij Peripatetici. Seueri Stoici ademptis humanis affectibus, in silicem permutabunt. Vanilo qui methaphysici velut ex chao Demogorgoneo eorum quæ nusquam sunt nec erunt, nunquam non paradoxis mentē

euera-

euertent, Censores & ethici in centum referent tabulas, interdicet muneribus legislator politicus. Abdicabit aula volaptarius princeps. Sissirijs propellent ambitiosi optimates. Insensatus populus vicatim affliget opprobrijs. Phalaris tauro cruciandum recludet terribilis tyrannus. In exilium agent factiosi oligarchæ. Plebs impetuosa & multorum capitum mala bestia, indicta causa, rapiet in exitium. Proditionis insimulabit afflicta quæuis respublica. Aris interdicēt auari sacerdotes. Apulpito lacessent laruati cuculliones, contumeliosi & hypocritæ. Peccata reseruabunt æternis ignibus plenipotentes pōtifices. Gallicam scabiem comminabuntur salaces meretriculæ. Rapax leno lenaque temulenta obstetricabunt loculos. Excludent xenodochijs hulcerosi mendicantes. Sacrum incendium rabidosque morsus offerent gyrouagi quæstuarij, suis & destituent indulgentijs. Obærabit macello infidus dispensator œconomus. Impingit in Scillas blasphemus nauta. Mercator improbus vsuris oppio.

oppignoratum absumet. Furax quæstor compilabit stipendium. Prohibebunt amœnis hortulis duri agricolæ. Lupis ne deuouebũt ociosi pastores. Hamum subijciet latentem vndiuagus piscator. Canes accipitresque immittet clamabundus venator. Deprædabit armipotens miles. Submouebunt ordine purpurati nobiles. Exuent maiorem imaginibus paludati heraldi, indictis q̃ equitijs, quæ torneamenta vocant, pro rustico exactionario inclamitabunt. Lotio & retrimentis scatophagi medici perfundent. Equibus loquax logisticus disputãdo de morbo, tẽpestiuum subtrahet remedium. Temerariusque empyricus dubio experimento mortis exponet periculo. Fallax methodicus procrastinando remedia, ægritudinem producet suum ad compendium. Exugent clysteriis sordidi pharmacopolæ. Dentibus ac testibus insidiabuntur emasculatores chirurgi. Dissecandum postulabunt crudeles anatomistæ. Angario recludet immundus veterinarius, ac quadrigario puluere occæcabit oculos.

Fame

Fame cõficiet præuaricator diætarius. Offam insulsam siticulosus obtrudet coquus. Diuitijs interdicet prodigus alcumista, ablegabitq; fornaculis. Vastimis glossarum voluminibus obruens inexpugnabiles iuristæ. Maiestatis reum agent fastuosi legulei. Excõmuni cabũt diris execrationibus arrogantes canonistæ. Sexcẽtas calumnias intentabunt litigiosi causidici. Colludet cũ aduersario deserta causa subdolus procurator. Subscribit falsum dubius tabellio. Contemnabit actionis inexorabilis iudex, negabitq; (quas vocant) appellandi apostolos. Destituet rescripto imperiosus archiscriba cancellarius. Hæreseos inclamabunt obstinati theosophistæ. aut ad idola suæ sectari compellent. Ad palinodiam vociferabunt supercilioſi magistri nostri, magnisque sigillis proscribẽt Sorbonici Atlantes. Vides nunc lector quanta obeam pericula? Facile tamen hos insultus euadendi spes est, si tu modò vetitatis patiens, posito liuore, candido animo ad hæc legenda acceſſeris. Habeo præ-

tereà

præterea quo me tuear verbum dei, quod ego bis pro clypeo scutoque intrepidus opponam. Et si oporteat, qui pro illo lubens tantos in me concitaui hostes, libens etiam occumbam, priusquam deseram. Et te scire volo, me nõ odio, non ambitione, non dolo, non errore inductum hæc scripsisse, nec me sacrilega cupiditas, nec improbæ mentis arrogantiæ ad hoc impegit, sed causa omnium cùm iustissima tum verissima, quòd videlicet videam multos humanis disciplinis scientijsque vsque adeo insolescere, vt sacrarum literarum eloquia, & Canonicas spiritussancti scripturas (quia careant ornamentis verborum viribus syllogismorum, affectisque suadelis, & peregrina philosophorum eruditione: sed simpliciter in operatione virtutis, & nuda fide firmatæ sunt) idcirco tanquã rusticas & idioticas, non modò despicere & aspernari, sed & velut contemptu quodam insuper insectari. Alios etiam videmus, licet sibi magis pij videantur, qui Christi leges probare & confirmare nituntur

decre-

decretum philosophorum, illis plus tribuentes quam sanctis dei prophetis, euangelistis & apostolis, cum tamen hi ab illis plus disdiapason absunt. Præterea in multis ac ferme omnibus gymnasijs peruersus mos ac damnabilis consuetudo inoleuit, quod initiandos discipulos iureiurando adigunt. Aristoteli aut Boethio, aut Thomæ, aut Alberto, seu alio cuiuis suo scholastico deo sese nunquam repugnaturos: à quibus si quis latum vnguem diuersum senserit, hunc hæreticum scandalosum, piarum aurium offensiuum, igne flammisque absumendum proclamant. Hi igitur tam temerarij gigantes, & sacrarum literarum hostes aggredienda sunt, illorum castra & arces expugnanda sunt, ostenduntque quanta sit hominum cæcitas, cum tot scientijs & artibus, cum tot insuper singularum magistris & auctoribus, semper à veritatis cognitione aberrare, quanta etiam temeritas, quàm arrogans præsumptio, philosophorum scholas præferre ecclesiæ Christi, opinionesque homi-

hominum præponere aut adæquare verbo Dei. Denique quàm impia tyrannis, captiuare ad præfinitos autores studiosorũ ingenia, & adimere discipulis libertatẽ indagandæ & sequẽdæ veritatis. Quæ omnia cùm tam manifesta sint, vt inficias iri non possint, venia danda erit. si liberius ac fortè amarulentius in aliqua disciplinarum genera, earundem ue professores vi dear perore

Vale.

LOCI

LOCI COMMV
NES SIVE CAPI-
ta tractandorum.

De scientijs in generali.	1
De literarum elementis.	2
De grammatica.	3
De poësi.	4
De historia.	5
De rhetorica.	6
De dialectica.	7
De sophistica.	8
De arte Lullij.	9
De arte memoratiua.	10
De mathematica in genere,	11
De arithmetica.	12
De geomantia.	13
De aleatoria.	14
De sorte pitagorica.	15
Adhuc de Arihmetica.	16
De musica.	17
De saltationibus & choreis.	18
De gladiatoria.	19
De histrionica.	20
De rhetorismo.	21

DE

CAPITA

De geometria. 22
De optica. 23 De pictura. 24
De statuaria & plastica. 25
De specularia. 26
De cosmimetria. 27
De architectura. 28
De metallaria. 29
De astronomia. 30
De astrologia iudiciaria. 31
De diuinationibus in genere. 32
De physiognomia. 33
De metoposcopia. 34
De chiromancia. 35
Iterum de geomantia. 36
De aruspicio. 37
De speculatoria. 38
De somnispicia. 39
De furore. 40
De magia in genere. 41
De magia naturali. 42
De magia mathematicali. 43
De magia venefica. 44
De goëtia & necromantia. 45
De theurgia. 46
De cabala. 47

de

De præstigijs. 48
De philosophia naturali. 49
De principijs. 50
De mundo. 51
De anima. 52
De metaphysica. 53
De morali philosophia. 54
De politica. 55
De religione in genere. 56
De imaginibus. 57
De templis. 58
De festis. 59
De cæremonijs. 60
De magistratibus ecclesiæ. 61
De sectis monasticis. 62
De arte meretricia. 63
De arte lenonia. 64
De mendicitate. 65
De œconomia in genere. 66
De œconomia priuata. 67
De œconomia regia siue aulica 68
De nobilibus aulicis. 69
De plebeis aulicis. 70
De mulieribus aulicis. 71
De mercatura. 72

De

De quæstura. 37
De agricultura. 74
De pastura. 75
De piscatione. 76
De venetica. 77
De agricultura. 78
De arte militari. 79
De nobilitate. 80
De arte Heraldica. 81
De medicina in genere. 82
De medicina operatrice. 83
De pharmacopolia. 84
De chirurgia. 85
De anatomistica. 86
De veterinaria. 87
De diætaria. 88
De arte coquinaria. 89
De alcumistica. 90
De iure & legibus. 91
De iure canonico. 92
De arte aduocatoria
93
De arte notariatus & procuratoria. 94

De

De iuris prudentia. 95
De arte inquisitorum. 96
De theologia scholastica. 97
De theologia interpretatiua. 98
De theologia prophetica. 99
De verbo Dei. 100
De scientiarum magistris. 101
Ad encomium asini digressio. 102
Operis peroratio.

Inter diuos nullos non carpit Momus.
Inter heroas monstra quæque insectatur Hercules.
Inter dæmones Rex Herebi Pluton irascitur omnibus vmbris.
Inter philosophos ridet omnia Democritus.

Contra

Contra deflet cuncta Heraclitus.
Nescit quæque Pyrrhias.
Et scire se putat omnia Aristoteles.
Contemnit cuncta Diogenes.
Nullis hic parcit Agrippa.
Contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia.
Ipse philosophus, dæmon, heros, deus & omnia.

NOBI-

NOBILIS VIRI HENRICI CORNELII AGRIPPAE, Equitis aurati, & vtriusq; Iuris Doctoris, sacræ Cęsareæ Maiestatis à consilio & archiuis indiciarij, de incertitudine & vanitate scientiarum atq; artium Declamatio.

De scientijs in generali. Caput I.

VEtus opinio est & , fere me omnium Philosophantium concors & vnanimis sentẽtia, qua arbitrantur scientiam quamlibet, homini ipsi pro vtriusq; captu ac valore nonnihil diuinitatis adferre, ita vt sæpe vltra humanitatis limites in Deorum beatorum cho-

ros eos referre posſint: hinc varia illa & innumera ſcientiarum encomia prodierunt, quib. vnuſquiſq; eas artes atque diſciplinas, in quibus iá diuturno exercitio ingenij ſui vires exacuit, non minus ornato, quá longo ſermone nititur omnibus anteferre, & vel ſupra cœlos ipſos extollere. Ego vero aliùs generis perſuaſus rationibus, nil pernicioſius, nil peſtilẽtius hominũ vitæ animarumq; noſtrarũ ſaluti poſſe contingere arbitror, quá ipſas artes, ipſasq; ſcientias. Ideoq; conuerſo ordine agendũ cenſeo, & ſcientias ipſas non tantis præconijs extollendas, ſed magna ex parte vituperandas eſſe mea opinio eſt, nec vllá eſſe quę careat iuſta reprehenſionis cenſura, neque rurſus quæ ex ſeipſa laudẽ aliquá mereatur, niſi quam à poſſeſſoris probitate mutuatur. Ea autẽ modeſtia hanc ſententiá meam à vobis accipi volo, vt me nec alios velle

velle reprehendere, qui diuersum sentiunt, nec mihi aliquid arrogare insolentius putetis. Itaq; mihi in hoc à reliquis dissentienti veniã dabitis, donec à singulis per ordinem literarum facultatibus, hanc sententiam auspicabimur, nõ vulgaribus duntaxat argumentis, & à superficie rerum sumptis, sed rationibus firmissimis, & ex intimis rerum visceribus eductis, nõ vlla Demostenis aut Chrysippi arguta eloquentia, quæ mihi sacras literas profitẽti opprobrio esset futura, tanquã adulationes amanti si fucos dicendi sequar. Nam loqui propriè, nõ eloqui: & reiveritatẽ, nõ sermonis ornatum, sacrarũ literarum professorem intendere decet. Non enim in lingua, sed in corde veritatis sedes est. Nec interest in dicẽdis veris quali sermone vtamur: mendacium enim eloquentia, verbisq; phaleratis indiget, vt se possit hominum menti-

bus insinuare: veritatis autem ser
mo, vt scribit Euripides, simplex
existit, non quęrens fucũ, nec pig
menta. Quòd si ergo assumptum
negotiũ absq; omni eloquentię flo
re (quæ ea ipsa quoq; nũc à nobis,
etiam nõ tã negligenda, quã dam-
nanda erit) vestris delicatissimis
auribus offundam, ea vos precor
feratis patientia, qua Romanus il-
le Imperator quondam cũ exerci
tu constitit, vt audiret mulier cu-
lam: atq; Archesilaus rex interdũ
audire voluit raucos & inamœnę
vocis homines, quo audiens po-
stea eloquẽtes, plus caperet dele-
ctamẽti. Memineritis illius Theo-
phrasti sententiæ apud maximos
quosque & elegantissimos viros
etiam rudes loqui posse, dummo-
do fide & ratione loquantur: atq;
ne quasi oscitantes vos auribus
pendere sinã, quibus vestigijs &
inditijs veluti canibus hãc narra-
tam opinionem meã venatus de-

pre-

prehenderim, nunc proferam in mediũ: si modò id vos prius commonuero, scientias omnes tã malas esse, quàm bonas: nec aliam nobis supra humanitatis metã afferre deitatis beatitudinem, nisi illã fortè, quam antiquus ille serpens pollicebatur primis parentibus, inquiens: Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. In hoc itaq; serpente glorietur, qui gloriatur se scire scientiam, quod probè facitasse legimus Ophitos hæreticos, qui serpentem in sacris suis colebant, dicentes ipsum in paradiso virtutis cognitionem induxisse: Astipulatur istis Platonica historia, Theutum quendam humano generi infensum dęmonem scientias primũ excogitasse, nõ minus offensiuas quàm vtiles, vt prudentissime differuit ille totius Aegypti rex Thamus, de scientiarũ ac literarum inuentoribus. Hinc est quod Grammatici plerique dęmo-

nes quasi scientes exponunt: sed esto, has fabulas suis poëtis philosophisque relinquamus, & nõ sint alij scientiarũ inuentores quã homines, atq; illos scimus fuisse pessimę generationis filios, filios inquam Cain, & de quibus verè dictum est: Filij huius seculi prudẽtiores sunt filijs lucis in generatione hac. Si itaque nũc scientiarũ inuentores homines sunt, nõne omnis homo mẽdax, nec est qui faciat bonũ vsque ad vnũ? Sed esto, rursus sint homines aliqui boni, nihil scientię ipsę bonitatis, nihil veritatis habebunt, nisi quantum ab ipsis inuẽtoribus, vel possessoribus mutuãtur vel acquirunt. Ná si in malũ quẽpiam inciderint, noxiæ erũt, illumq; ex malo reddent deterrorẽ, vt peruersum grammaticũ, vaniloquũ poẽtã, mendacẽ historicũ, rhetorẽ palponẽ, memoriographũ ostentatorẽ, litigiosum dialecticũ, sophistã perturbatorẽ, lin-

linguacem Lulliſtã, arithmeticũ ſortilegũ, laſciuum muſicũ, impudicum ſaltatorẽ geometrã iactatorem, coſmographum erronem, architectum pernicioſum, nautam piratam, aſtronomum fallacẽ, magum flagitioſum, perfidum cabaleum, phyſicum ſomniatorẽ, portentoſum methaphyſicum, morosum ethicum, iniquum politicũ, principẽ tyránum, magiſtratum oppreſſorẽ, populum ſeditioſum, ſacerdotem ſchiſmaticum, monachum ſuperſtitioſum, prodigum œconomum, mercatorẽ falſiiurium, quæſtorem cõpilatorẽ, ſegnẽ agricolã, paſtorem abigeum, piſcatorem maledicũ, venatorẽ latronem, militem prędonem, nobilẽ exactorẽ, medicũ occiſorẽ, pharmacopolã veneficum, coquũ helluonem, alchimiſtã impoſtorem, iuriscõſultum verſipellem, cauſidicum mille ſcelerum protectorẽ tabellionem falſarium, iudicẽ ve

nalē,& ē ſublimi tribunali latronem,theologum hęreticū,& vniuerſæ multitudinis ſeductorē. Nihil autē inauſpicatius quàm ars, quàm ſcientia impietate conſtipata, & malarum rerū pernicioſiſſimus eſt maximus quiſq; artifex, & doctiſſimus autor. Quod ſi etiá in nō tam malum ſed ſtultum aliquem incidat,nihil illo inſolētius ac importunum magis:ná pręter id quod illi de cognata ſtultitia ſupereſt,tuetur illum doctrinę autoritas,habetq; literarum inſtrumēta,quibus ſuam defendat amentiá quibus cęteri ſtulti carentes mitius inſaniunt, quemadmodum de Rhetore ait Plato: Ná quo erit(inquit)ineptior atq; indoctior, hoc plura narrabit,imitabitur omnia, nihilq; ſe indignū exiſtimabit. Nil igitur exitialius quàm cū ratione inſanire. Si quis autem vir bonus & ſapiens poſsideat,fortaſsis bonę erūt ſcientiæ,ac reip. vtiles,poſ

ſeſſo-

fessorem autem suũ nihilo reddẽt beatiorem: nõ enim (vt aiunt Porphyrius & Iambicus) verborum accumulatio disciplinarumq; multitudo beatitudo est, quę nec vllũ insuper pro rationum ac verborũ qualitate accipit incrementum: quòd si ita esset, nihil prohiberet illos, qui omnes cõgregauerunt disciplinas, esse beatos: hũc verò qui his careat, nequaquá: essentq; philosophi sacerdotibus beatiores. Vera enim beatitudò nõ consistit in bonorum cognitione, sed in vita bona: nõ intelligere, sed in intellectu viuere: neq; enim bona intelligentia, sed bona voluntas cõiungit homines Deo, nec aliud efficiunt disciplinæ, foris adhibitæ, nisi quia cõditionem nobis quandam purgatoriá adhibent, ad beatitudinem aliquid cõducentem, nõ tamen rationem ipsam qua nobis beatitudo cõpleatur, nisi eis adsit & vita, in ipsam bonorũ translata

naturã: ſępiſsime enim eſt cõpertum, vt ait Cicero pro Archiã, ad laudẽ atq; virtutẽ naturã ſine doctrina, quã doctrinã ſine natura valuiſſe. Nõ igitur tã lõga, tã difficili, & vix vnquam perſcrutabili (vt Auerroiſtę cõtendũt) ſcientiarũ omnium diſciplina animũ imbuere opus erit, quã ipſe etiã Ariſtot. beatitudinẽ ait valde cõmunẽ, & ꝙuã cuncti facilè adipiſci queant, per diſciplinã quandam & diligentiam, quã ſcilicet ait facilẽ, & quaſi cõmunẽ facultatem cõtemplandi obiectũ omnium nobiliſsimum ſ. Deũ: qui quidẽ tam facilis omnibus cõmunis cõtemplandi actus, non ſyllogizando & demonſtrãdo perficitur, ſed credẽdo & colendo. Quę ergo nunc ſcientiarũ felicitas? quę ſapientum philoſophorumq; laus & beatitudo, quibus ſcholę omnes perſtrepũt, reſonantq; encomijs eorum, quorũ animas diris cruciatibus diſtrahi au-

audiunt videtq; inferi? Vidit hęc Augustꝰ. & timuit, exclamás illud Pauli: Surgũt indocti & rapiunt cælos, & nos cum scientia nostra mergimur in infernũ. Quod si audendũ est verũ fateri, tã est scientiarũ oĩm periculosa incõstansq; traditio, vt lõgè tutiùs sit ignorare, quã scire. Adá nunquá è beatitudinis paradiso pulsus fuisset, nisi serpente magistro didicisset scire bonũ & malũ. Et Paulus eijciẽdos censet de Ecclesia, q plus scire volũt, quã oportet. Socrates dum oẽs ferme disciplinas perscrutatꝰ esset, tũc primũ ab oraculo sapientissimus omnium iudicatus est, cùm se nihil scire palã fateretur. Tã est scientiarũ omnium cognitio difficilis, ne dicã impossibilis, vt priꝰ vita tota hominis deficiat, quã vel vnius disciplinæ minima ratio perfectè inuestigari possit. Quod mihi hìc affirmare videtur Ecclesiastes, dũ ait: Intellexi quod

omnium operum Dei nullam posſit homo inuenire rationem, eorũ quæ fiunt sub sole, & quantò plus laborauerit ad quærendum, tãtò minus inueniat, etiam si dixerit sapiens se nosse, nõ poterit reperire. Nihil homini pestilentius contingere potest quàm scientia: hęc est vera illa pestis, quæ totum ac omne hominum genus ad vnum subuertit, quæ omnem innocentiam expulit, & nos tot peccatorum generibus, mortiq. fecit obnoxios, quæ fidei lumen extinxit, animas nostras in profundas cõijciens tenebras, quę veritatem dãnans, errores in altissimo throno collocauit. Quare iam nõ vituperandi mihi videntur Valentian. ille Imperator, quem acerrimum literarum hostem extitisse aiunt, atq. Licinius Imperator, qui literas virus ac pestem publicam dictitabat: quin & Ciceronem ipsum fontem literarum abundatisſi-

simum refert Valerius tandem literas contemptisse. Tanta autē est veritatis ampla libertas, liberaque amplitudo, vt nullius scientię speculationib. non vllo sensuum vrgenti iudicio, nō vllis logici artificij argumentis, nulla probatiōe euidente, nullo syllogismo demō strante, nec vllo humano rationis discursu possit deprehendi, nisi sola fide: quam qui habet, is ab Aristotele in Priorū Resolutionum lib. dicitur melius dispositus, quā si esset sciens: quod exponens Philoponus, ait, id esse melius cognoscentem quàm per demonstrationem quæ per causam fit. Et Theophrastus in suis. Trāsnaturalibus sic ait: Vsq; ad aliquid quidem possumus per causam speculari, principia à sensibus sumentes, quando autem ad ipsa extrema & prima transierimus, non amplius possumus scire, siue quia non habemus causam, siue propter intellectus

no-

noſtri infirmitatẽ. Et Plato in Timæo ait, quod illa explicare plus eſt, quàm vires noſtræ ſufficiant, ſed credi iubet ijs qui antè dixerunt, quanquam nulla demonſtrationis neceſsitate loquantur: fuerunt enim Academici philoſophi in precio, qui dixerunt nihil poſſe affirmari: fuerunt Pyrrhonici, & alij multi, qui quidem nihil affirmabant: Nihil itaq; prę cipuum habet ſciẽtia ſupra ipſum credere, vbi videlicet probitas autoris mouet diſcipulorum liberã credendi voluntatẽ. Hinc Pythagoricũ prę ſumptũ illud de magiſtro reſpõſũ Ipſe dixit. Et peripateticorũ illud vulgatum prouerbiũ, vnicuiq; perito in arte ſua credendum eſt. Sic creditur grammatico de verborũ ſignificationib9: Credit dialectic9 de parte orationis à grammatico accepta. Aſſumit à dialectico rhetor argumentatiõis locos. Poẽta mẽſuras mutuatur à muſico. Geo

me-

metra proportiões sumit ab arith metico. Astrologus vtrisq; fidem dat. Deinde trãsnaturales cõiecturis vtuntur naturaliũ, & quisq; artifex rectè præsumit de statutis alterius. Habet enim quęuis scientia certa quę dã principia, quę credere oporteat, nec vllo modo queãt demõstrari: quæ si quis pertinacię negare velit, nõ habent philosophi illi quo cõtra illum disputent, moxq; dicent, cõtra negantẽ principia nõ esse disputandum, aut ad alia quędam extra scientię metas relegabunt, vt si quis (dicunt) neget ignẽ esse calidum proijciatur in ignẽ & quęratur ab eo quid sentiat, ita demũ ex philosophis tortores fiunt & carnifices, volunt nos vi cogere fateri id quod ratiõe deberant docere. Proinde nil reip. infensum ac pernicioſum magis quàm literæ, quã scientiæ, in qua, si qui eruditione & scientia prædi ti sunt homines, eorum arbitrio, ve-

veluti plus ſapientium plurimum res geruntur, ac plebis ſimplicitate multitudinisq; imperitia freti, omnem magiſtratus authoritatē ſibi ſoli vſurpant, vnde reipub. ſtatus à populari in oliarchiá migrat, atq; exinde in factiones diuiſa, in tyranidem facile tranſit, quam nemo vnquam vſpiam terrarum obtinuiſſe legitur ſine ſcientia, ſine doctrina, ſine literis, prēter vnum L. Syllam Dictatorem, qui ſolus ſine literis rempublicam occupauit, in quo tamen literarum ignorantię vel hoc reſpublica maxime debet, quod tyrannidem ſponte tandem depoſuerit. Præterea omnes ſcientiæ, nil niſi decreta & opiniones hominum ſunt, tam noxię quam vtiles, tā peſtiferę, quā ſalubres, tam malę quā bonę, nuſquā cōpletę, ſed & ambiguę, plenę erroris & cōtentionis, atq; id nūc ita eſſe per ſingulas ſcientiarū diſciplinas progrediendo oſtēdemus.

De

De Literarum elementis. Cap. II.

NAm in primis quis non videt bene dicẽdi artes, dico Grammaticam, Logicam, Rhetoricam, quę ſolùm veſtibula ac fores ſcientiarum ſunt, nõ autem ſcientiæ, ſæpe nõ minus peſtilitatis adferre quàm voluptatis, quibus tamen nulla alia veritatis regula eſt, quàm primorum quorumcunq; inſtituentium placita atq; voluntas, quod ab ipſis vſque literarum inuentis, quę prima artium illarum elementa inſtrumenta; ſunt, pleniſsimè cõſtat: quarũ primæ fuerunt Chaldeæ, inuento re Abraamo, vt ait Philo, quibus Chaldæi, Aſſyrij & Phœnices vſi ſunt: ſed ſunt qui aiunt, Aſſyrijs primum literas dediſſe Rhadamánthum. Poſt has Moiſes literas tradidit Iudæis, fortè nõ quidem his characteribus, quibus hodie vtuntur, quæ inuentum putátur Ezre, quem

quẽ omnium ferè veteris instrumenti librorum scriptorem existimant. Porro quidam Linus Chalcides literas ex Phœnice tulit ad Græcos, sed Phęniceas, donec Cadmus Agenoris filius alio charactere illis nouas literas daret numero sex decim, quibus Troiano bello quatuor addit Palamedes. Postea totidẽ Simonides Melicꝯ. Aegyptijs autem primũ scribendi vsum tradidit quidã nomine Ménona per animalium effigies, vt in obeliscis cernitur, sed literas illis primum dedit Mercurius, ille videlicet, quem Lactantius ait quintum Mercurium fuisse, cui Vulcanus Nili filiꝯ succesit in regnum. Latinis verò literas tradidit mulier Nicostrata, cognomento carmentæ. Septem itaque literarum genera antiquitꝯ prȩcellebant, Hebrȩę, Græcę, Latinæ, Syriæ, Chaldęę, Aegyptię & Geticę, de quib. in puetusto codice hos sequẽtes ver

sicu-

ficulos sese legisse refert Crinitus.
Moises primus hebraicas exarauit litteras.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata,
Abraã Syras, & idẽ repperit Chaldaicas, (gyptias,
Isis arte non minore protulit Aegyptias,
Galfila prompsit Getarum quas videmus vltimas.
Cæterę verò gentes & barbarę nationes recentioribꝰ tẽporibꝰ nouas literas inuenerũt. Ná Gothis Cordanus Episcopus literas dedit & antiqui Fráci, qui sub Marcomiro & Pharamũdo Gallias deuicerunt suos habuere literarum characteres à Grę cis parum distãtes, quibus Vuastaldus eorũ patrio sermone descripsit historiá, sed inuentore illarũ literarum incerto: extant etiá alię Francorum literę, quarũ inuentor quidá nomine

mine Doracus, sed à Vuastaldi charactere lõgè diuersę: & adhuc aliæ inuentore Hicho Franco, qui cũ Marcomiro ad ostia Rheni venit è Schytia Quin & Beda aliquas descripsit, sed incerto inuentore, aliquorum Normanorum literas Et multæ aliæ gentes simili modo vel mouos sibi literarum characteres constituerunt, vel ab antiquis acceptos pro parte aut immutarunt, aut corruperunt, vt Dalmatæ Græcas, & Armenij Chaldeas: at Gothi Longobardiq; Latinarũ literarum characteri dehonestauerunt Multæ præterea antiquæ literę perierũt. sicuti veterum Hetruscorũ, quæ tamen olim Plinio Liuioq; testib. magno in precio fuerunt apud Roman. & adhuc cernuntur in antiquis monumentis harum effigies, sed penitus incognitæ: nam Romanis olim orbem terrarum vastantibus obsoletis antiquis &

cuiuſ-

cuiusq; nationis proprijs, suarum vsum literarum illis violéter imponebant. Sic Hebręorum literæ sub captiuitate Babylonis perierunt, & lingua eorum à Chaldęis corrupta est. Sic antiqua Germanorum, Gallorum, Hispanorũ, & aliarum nationum literę introductis Romanis characteribus perierunt, linguæq; earũ gentium corruptæ sunt. Contrà Romanorũ & literę & lingua à Gothis, Longobardis, Francis alijsq; barbaris gẽtibus vice versa corrupta sunt & immutata: neque enim Latina lingua ea ipsa est hodie, quæ olim: & de Hebræa lingua & charactere inter ipsos Thalmudistas non modica dissentio est: nam Rabbi Iehuda ait, protoplastum Adamũ Aramęo idiomate locutum. Marsutra ait, traditam à Moise legem charactere qui dicitur Hebræo, idiomate vero sancto, quæ ab Esdra in Aramęũ idioma Assyriosq; cha-

characteres mutata, paulo post characteres retinens Assyrios, sanctum idioma resumpsit. Hebræo charactere cum Aramęo semõere lictis chusi, hoc est, ijs, qui simul legem susceperunt, & idola colunt, vt Samaritę, Alij dicunt, nõ alijs à primordio quàm nunc, characteribus scriptã fuisse legem: propter pręuaricationem autem aliquãdo mutatum fuisse characterem, sed post pœnitẽtiam restitutum, Rabbi Simõ Eleazaris filius, & sermonem & characterem nullo tempore mutatum putat, adeo de Hebraicis, ne apud ipsos Hebręos quidẽ aliquid habetur certi, atq; hęc est temporum vicissitudo, vt nullæ sint literæ, nullæ linguæ, quæ hodie formam antiquitatis sue agnoscant aut intelligant.

DE GRAMMATICA. Cap. III.

AT ex his tam incõstantibus & ad omne tempus mutabilibus

bilibus principijs, literarũ dico, & linguarum, prior Grãmatica, deinde cęterę, quas diximus, benedicendi artes prodiêre. Nã cùm parum visum esset literas scire, nisi certo gradu formaq; iungerentur atq; ex literis syllabæ, ex illis tandẽ verba & dictiões formarẽtur, sibiq; ad intelligentiam sermonis iungerẽtur, ausi sunt ingeniosi homines loquendi regulas, videlicet cõstructus, regiminis & significatorũ ponere, ac velut linguæ frenum inijcere, vt quicquid secundum illas diceretur, bene dictum esset, essetq; ars bene dicẽdi, vocaruntq; artem hanc Grammaticã, eius inuẽtor apud Græcos primꝰ traditur Promethe9: Romã primꝰ intulit Crates Mallotes, missus ad senatũ ab Attolo, inter secundũ & tertium bellum Punicum, quá postea magno fastu professus est Palæmõ, adeo vt nomen arti indiderit, voceturque Grammatica ars

Pa-

Palæmonia, vir admodum arrogans, vt iactaret secum & natas literas & interituras, tamq; superbus, vt omnes qui sui doctissimos viros contemptui haberet: etiam ipsum M. Varronẽ porcum appellare ausus sit. Veruntamẽ ipsa Latina Grãmatica tam egena est ac Græcę literaturę obnoxia, vt qui hanc nõ calleat, is è Grãmaticorum numero protinus sit eijciendus. Omnis itaque Literaturę seu Grãmaticę ratio, nõ nisi in solo vsu Maiorum, authoritateque consistit: quibus placitum est, ita rem vocari, sicque scribi, verbaq; sic & sic cõponi & construi, quod ipsi tunc bene dictum vocãt. Vnde Grãmatica se rectè loquendi arte iactat, sed falsò, cùm idipsum lõgè melius discimus à matribus aut nutricibus mulierculis, quàm à Grãmaticis. Gracchorum linguam (qui eloquentissimi sunt habiti) mater Cornelia formauit.

Silem

Silem Aripithis, Scythiæ regis filium Istrina mater græcam linguã docuit. Notum est in multis prouincijs exterarum gentium colonias inductas, natos filios matrum sermonem semper tenuisse. Hinc Plato atq; Quintilianus de deligenda pueris nutrice idonea, tam solicitè statuerunt. Absit ergo, vt hanc rectè loquendi rationem ab illis in grammatistas trás-ferramus: qui cum nihil præter vnam grammaticam profiteantur, nihil sciunt minus. Siquidem Priscianus hanc ne toto vitę suę tempore discere potuit: & Didymus de ea quatuor, siue, vt alij dicunt, sex milia librorum scripsisse perhibetur. Legimus Claudium Cęsarem ita fuisse græcis literis deditum, vt tres literas nouas illi linguę adinuenerit, quas postea princeps non omisit. Et Carolus ille Magnus germanicæ linguę grammaticam commentus est, mensi-

busque ac ventis noua nomina indidit. Et in hunc vsque diem dies noctesque laboratur, scribuntur commentaria, elegantiæ, quæstiones, annotationes, scholia, obseruationes, castigationes, centuriæ, miscellanea, antiquitates, paradoxa, collectanea, additiones, lucubrationes, iteratę ac reiteratę editiones. Atq; interim parturiũtur nobis totidem grammaticæ, quot sunt grammatici. Neq; tamen quispiam illorum, siue græcus, siue latinus fuerit, rationem reddidit, quomodo orationis partes distinguendæ sunt, quis illarum in constructione seruandus ordo: an quindecim duntaxat sint pronomina, vt sentit Priscanus, an plura, vt Diomedes & Phoca voluerunt: an participium perse positum remaneat aliquando participium, vtrum gerundia nomina sint an verba. Cur græcis neutri gen-

generis pluralia nomina cum verbo singularis numeri coniugantur. Qua ratione liceat latinis nomina terminata in a & in vs proferre in vm, sicut pro margarita margaritum, pro pũctus punctũ. Quo modo nominatiuus Iupiter producat genitiuum Iouis. Atque qua ratione verba neutralia alij admittunt, alij excludunt. Cur pleraſq; latinas dictiones alij cum græca dipthongo ſcribunt, alij non, vt fœlix, quæſtio. Atque an latinè æ & œ diphthongi ſcribantur tãtùm, & non proferãtur, aut ambæ vocales ſicut ſcribũtur, ita ſub vna ſyllaba exprimãtur. Similiter cur in latinis pleriſque vocabulis, aliqui y græco, alij i latino ſolummodo vtantur, ſicut in Cõſidero. Item in aliquibus quidam duplicant literas, quidam non, vt in cauſſa, relligio. Cur caccabus, cum habeat primam ſyllabam poſitione geminati cc productam,

nihilominus à pleriſque poëtis vt plurimum corripiatur. Item vtrũ Ariſtotelis anima ſcribi debeat endelechia per delta, vel entelechia per tau. Prętereo infinitas & nunquam ceſſaturas eorum contentiones de accentibus, de orthographia, de pronunciatione literarum, de figuris, de etymologijs, analogijs, deq; cæteris pręceptionibus & regulis, inflectionibus & modis ſignificandi: de mutatione caſuum, varietateq; temporum, modorum, perſonarum, numerorum, deq; varijs impedimentis, & ordine conſtructionis: Deniq; de ipſo literarũ Latinarum numero ac genealogia: & vtrum H. ſit litera, nec ne, & huiuſmodi plura. Ita nõ ſolũ in dictionibus & ſyllabis, ſed & in elementis nulla ratione reddita à ſe inuicem diſſentiunt. Cuiuſmodi pugnã Lucianus Samotenſis de S. & T. cõſonantibus lepidiſſimo libello deriſit, cuius exem-

exemplũ esse potest in thalassa & thalatra. Quidã etiam Andreas Salernitanus de ea re grammaticale bellũ studiosa facundia descripsit. Sed pauca & modica hæc sunt. Plura & maiora de nominum deprauatis interpretationibus dicere possemus, quibus vniuerso orbi plurimum imponunt, è quib9 primùm in Repub. non minima mala procedunt, dũ legibus subijci, seruitutem exponunt: ciuium autem libertatem interpretãtur eam, vbi vnicuiq; licet quod libet: ac isonomiam, hoc est, iuris æqualitatem dicunt, vbi omnibus indiscretim idem ius, idem præmium. Simili modo tranquillum imperium aiunt, vbi omnia principis libidini obsecundant: felicissimum, vbi populus luxu defluit & ocio. Similibusq; admodum multis, & medicina, & leges, & canones corruptæ sunt expositionibus, quibus cogunt ipsas

etiam sacras literas, ipsumque Christum à se dissentire contorquentes illas non ad sensum spiritus sancti, nec ad communem hominum salutem, sed ad suum ipsorum compendium. Ex qua re sæpe grauissima imminerunt pericula, vt solet error in vocabulis, errorem parere in rebus. Cuiusmodi deceptus quondam rex primus Hebræorum Saul in verbo Zobar, quod & masculum, significat & memoriam: cùm dixisset Deus, Delebo memoriam Amelech, ipse Saul putabat si mares abstuliſſet, se satisfeciſſe præcepto, Cõtigit & Græcis & Italis similis error in verbo Phos, quod & hominem significat & lumen. Vnde quondam Saturnalium cultores verbi ambiguitate decepti, hominem quotannis Saturno immolârunt, dum illum accensis luminibus æquè placare potuissent. Quæ gens tam stulta, tandem

dem Hercule Magistro resipuit. Tandem etiam Theologi, & fratres cucullati, sese grammaticis inferentes, de verborum significationibus cum multis hæresum appendicibus digladiantur, euertentes scripturas occasione grammaticæ, interpretes mali effecti eorum quæ bene dicta sunt homines vani, & verè infelices, per artem suam semetipsos excæcantes, fugientes lumen veritatis: & dum virtutem dictionum curiosè nimis scrutantur, sensum scripturarum nolunt intelligere, sed nuda vocabula tenentes circa illa morantur, subuertentes & amittentes verbum veritatis. Sicut narratur de sacrificulo illo, siue verum siue fabula sit, qui cùm plures haberet hostias, ne in grammaticam committeret, in hæc verba confecrauit: Hęc enim sunt corpora mea. Vndenam orta est illa Antidicoma-

rianitarum & Eluidianorum exe
crãda hæresis, diuę Christi matris
perpetuam virginitatem negantium, nisi ex hoc vnico vocabulo
Donec: vbi legitur in Euangelijs:
Quoniam Ioseph nõ cognoscebat
eam donec peperit filium suum
primogenitum. Ad quantam La-
tinæ cum gręca Ecclesia cõtentio
nem cõcitarunt duę ille dictiones
Ex & Per, Latinis asserentibus
spiritum sanctum procedere ex
patre & ex filio, Græcis autem di
centibus nõ ex filio, sed ex patre
per filium? Quantas rursus Tra-
gœdias mouit dictio illa Nisi, in
Cõcilio Basilienśi? Bohœmis vtri-
usq; speciei cõmunionem neces-
sariam adfirmantibus, quia scri-
ptum sit: Nisi manducaueritis car
nem filij hominis, & biberitis eius
sanguinem, nõ habebitis vitam in
vobis. Vndénã illa Vualdensium
& sequacium recentiorumq; cir-
ca Euchariśtiam hæresis? nisi ex il-
la

la dictione Est, quam illi symboli cè ac significatiuè duntaxat dictam volunt, tropumque subesse verbis. Romana Ecclesia illam essentialiter exponente. Sunt adhuc aliæ grammaticorum pernicioſæ hæreſes, verùm tam occultæ, tamq; ſubtiles, vt niſi Oxonienſes acutiſsimi Anglorum theologi, atq; Pariſienſium Sorboniſtæ, lynceis oculis has perſpexiſſent, magnisq; ſigillis condemnaſſent, vix aliquis poſſet pręcauere. Eiuſmodi ſunt, ſi quis æquè bene dictum ſenſerit, Chriſtus prædicas, Chriſtus prædicat, Ego credis, tu credit, Credens eſt ego. Itẽ quod verbum Manens verbum, poteſt priuari omnibus accidentibus: Item quòd nullum nomen eſt tertiæ perſonæ, & his ſimilia. Quæ profectò ſi hæretica dici debeant, hæretici erunt in primis, prophetę Iſaias & Malachias, quorum vterq; inducit Deũ de ſe ipſo

loquentem : Prior ad Ezechiam his verbis : Ecce ego addet ſuper dies tuos, &c. non enim dicit Addam, ſed addet. Alter ſic: Et ſi domini ego, vbi eſt timor meus? quo in loco facit Deũ pluratiuè ſe appellare dominos, ſed multò magis hæretici erunt omnes, qui nunc per vniuerſum Romanũ orbem habentur Theologi, quatenus vniuerſam orthodoxę Eccleſię doctrinam nouitate pronunciationis cõtra omnem grammaticorũ artem ac vſum ad cõfictas voces, monſtroſa vocabula, & perplexa ſophiſmata protraxerunt: ſi inſuper docere theologiam ipſam incorrupto ſermõe tradi nõ poſſe. Sunt infinita horũ ſimilia: & miſerandum eſt ætate noſtra, quantas cõtentiones & errores moueant pertinaces gráma tici & ſuperbi ſophiſtæ ſuis peruerſis vocabulorũ interpretationibus, dum alij ex verbis colligũt ſen-

sentẽtias, alij cõtrà ex sẽtẽtijs colligũt verba. Hinc in medica arte, in vtroque Iure, in philosophia & Theologia, cęterisq; facultatibus literarum infinitę cõtentiones erroreśque quotidie insurgunt. Nihil enim demõstrant grammatici, sed solis nituntur autoritatibus, quæ sæpissimè inter se tam varię sunt atque discordes, vt necessarium sit plurimas illarum esse mẽdaces, quarum præceptionibus qui maximè cõfidunt, hi rectè loquũtur omniũ minimè. Omne enim sermonis ius non apud grammaticos, sed penes populum exiſtit, & vulgari consuetudine bene dicendi vsum sortitur. Latini autẽ sermonis vigor postquam inualescẽtib9 barbaris apud populũ esse desierit, eius ratio tamen nõ à grãmaticis, sed idoneis & doctis scriptoribus, vti à cicerone, catone, Varrone, vtroq; Plinio, Quintiliano, Seneca, Suetõio, Quinto Curtio,

Tito Liuio, Saluſtio, ſimilibusq; eſt petenda: quos penes ſolos reſtant antiquæ deliciæ latinitatis, vſusq; rectè loquendi, non apud grammaticos literatores, qui ſuis regulis de verborum & caſuum inflexionibus, cõpoſitionibus, & deponentijs ipſi latinitati plurimum imponunt, ac talia ſæpiſsime cõſtruunt vocabula, quæ fas nõ ſit homini Latino vſurpare, niſi fortè Pariſienſis Sorbona inter articulos referat. Si quis dicat de veritate ſermonis latini fidem grammaticis nõ habendam, atq; tamen hi literatores grammatici ſeſe ſolos ſcriptorum omniũ cenſores, iudices & interpretes conſtituunt, ac autores omnes libróſq, in ordinem redigere, aut è canone ſubmouere ſibi arrogant: nullus vnquam tam excellentis ingenij autor extitit, qui maledicam iſtorum linguam euaſerit, quem non taxauerint, aut in quo

non

nō plurimum culpauerint. Crimi
nantur in Platone cōfusionem &
ordinem desiderant, de cuius vi-
tijs Georgius Trapezuntius li-
bros cōposuit, qui ab alijs idcirco
Cōotimō & Etymim vocatus est,
vt narrat Crinitus. Quærunt in
Aristotele dilucidam perspicuita
tem, arguunt tenebrosam eius ob
scuritatem, & sepiam vocant: ta-
xant Vergilium, vt pauci ingenij,
& cōpilatorem, aliorumq; vsur-
patorem criminantur. Tullio nō
satisfacit Demosthenes, & ille
summus Latinorum rhetor à
Græcis repetundarum petitur, &
multis notis accusatur, timidus,
superfluus in repetitionibus, fri-
gidus in facetijs, lentus in princi-
pijs, ociosus in digressionibus, ra
rō incalescens, tardè assurgens,
quin & à nostris etiam reprehen-
sus, à M Capella tanquam turba-
to numero locutus, ab Appollina
ri flaccidus & supinus notatq; est:
iam-

iamque etiam Liuianas orationes Trogus pro fictis damnat, & Horatio non placet Plautus, idem ab incõpositis versibus damnat Lucilium, vt turbidum flumen nullis bene digestis multa dicitur inuoluere Plinius, nimium fertur indulgere genio Ouidius, ab Asinio Pollione pro affectatore reprehenditur Salustius: furta, & aliena prorsus recitasse, & à Labeone & Scipione adiutus arguitur Terentius, Seneca calx fine arena vocatus est, quem his verbis taxat Quintilianus: Si nullum æqualiũ contempsisset, si partim non concupisset, si non sua omnia amasset, si rerum põdera minutissimis sententijs non fregisset, sensu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur, sed & M. Varro porcus appellatus est, & Ambrosius cornicula & fabulator nuncupatus, Macrobius homo eruditissimus, impudentis &

in-

ingrati ingenij taxatus: & ab Laurentio Valla Grammaticorũ omniũ eruditissimo, nullis eorũ, qui vnquam Latinè scripserunt, indultum est, & illum laniauit Mancinellus. Erat olim inter Grammaticos de lingua Latina bene meritus Seruius, & hunc impugnauit Beroaldus, tandem & hunc posteriores Grammatici veluti barbarum omninò auersantur. Sic Grammatici omnes alter in alterum furere soliti sunt: denique horum opera factum est, vt sacræ scripturæ traductio correctionis prætextu, toties immutata, iam tota à se ipsa dissonet, horum censuris de Apocalypsi Ioannis Apostoli, de Epistola Pauli ad Hebræos, de epistola Iudæ & alijs pleriſque noui Testamẽti capitulis diu dubitatum est, quin & Euangelia ipsa ad problemata reuocare conati sunt, sed iam ad Poëtas.

DE

DE POESI.
Cap. IIII.

POesis ipsa, autore Quintiliano, altera grammaticę pars est, hoc ipso nō modicum superba, quod olim theatra & amphitheatra augustissima hominū ædificia, non philosophis, non iurisconsultis, nō medicis, nō rhetoribus, nō mathematicis, nō theologis, sed ipsis poētarum fabulis ingentibus sumptib9 extructa sunt. Ars nō in aliud inuenta, nisi vt lasciuientibus rythmis, syllabarum numeris, ac ponderibus, nominumq; inani strepitu, stultorum hominum aures demulceat, ac fabularum oblectamentis, mendaciorumq; centonibus decipiat animos. Quocirca architectrix mendaciorum & cultrix peruersorū dogmatum dici meruit atque vt quod ad furorem, & temulentiā, & impudentiam, & audaciam attinet, illi cōdonemus, certè interri-

tam

tum illam mentiendi fiduciam, quis æquo animo ferret? quem enim angulum insanis nugis fabulisq; reliquit vacuum? Iam enim ab ipso chaos faciens exordia fabularum, narrat cœli fectiões, Veneris partus, Titanum pugnam, Iouis incunabula, Rheæ frãudes, & lapidis suppositiones, Saturni vincula, gigantum rebellionem. Prometheifurtum, atq; supplicium, Deli errores, Latones labores, Pytonis cædem, Tyri insidias, Deucalionis inundationes, hominumq; ex lapidibus ortum, Iacchi dilaniationes, Iunonis dolum, Semeles cõflagrationem, Bacchi vtranq; stirpẽ, & quæcunq; de Minerua, Vulcano, Erichthonio, Boria, Orichia, Theseo, Aegeo, Castore, Polluce, raptu Helenæ, & morte Hippolyti, in fabulis Atticis referuntur. Præterea errationem Cereris, raptam & inuentam Proserpinam, & quæcunq; de Minoe,

de

de Cadmo & Niobe, de Pentheo, Attæo, Oedipode, de Herculis laboribus, de Solis & Neptuni pugna, Athamantis insania, de Io. in vaccam mutata, & eius custode Argo à Mercurio perempto, & quæ de vellere aureo, Peleo, Iasone, Medea, item de Agamemnonis morte & Clitennestræ supplicio, & quæ de Danae, Perseo, Gorgane, Cassiopea, Andromeda, Orpheo, Oreste, de Aeneæ & Vlissis erroribus, de Circe, Thelagonio, & Aeolo, Palamede, Nauplio, Aiace, Daphne, Ariagne, Europa, Phædra, Pasiphae, Dedalo, Icaro, Glauco, Atlante, Geryone, Tantalo, de Pane, Centauris, Satyris, Syrenibus, & reliquis huiusmodi insignibus mendacijs memoria prodidit. Nec interim humanis rebus cõtenta, ipsos deniq; deos infabularum suarum partem vocat, eorũ ortus, interitus, lites, iurgia, odia, iras, prælia, vulnera, lamen-

mẽtationes, vincula amores, leno cinia, libidines, fornicatiões, adulteria, cũ hominibus & beſtijs concubitus, & quę his abſurdiora & nefãda magis venenoſis verborũ leporibus, & noxia carminis ſuauitate texens, nõ præſentes tãtum fallit ac inficit, ſed furioſa hęc venefica pulchris verſiculis metrisque ſeruata, etiã poſteris cõmunicat, & tanquã rabidi canis morſu quoſcunq; dogmatibus ſuis mendacijsq; ſemel infecerit, conſimili rabie furere cõpellit. Tãta enim arte mẽdacia eius cõficta ſunt, vt non rarò veris prędiudicent hiſtorijs. Quemadmodũ de ementito Didonis cũ Enea adulterio, atque capto à Grȩcis Ilio, manifeſtũ eſt. Sunt tamen, qui ad tãtum inſaniȩ furorẽ deuenerint, vt illi nõ nullas diuinitatis ſortes ineſſe putẽt, quia dæmones olim poeticis verſiculis reſpõſa dederũt: hinc illos prophetas aç vates, diuinoque ſpi-

ſpiritu afflatos vocat, ac poëtarum nugaciſsimis verſiculis tanquam oraculis ad diuinandum vtũtur. Hinc apud priſcos ſortes Homericæ cognominatę ſunt, ab Homeri verſiculis: ſicut à Virgilij carminibus ſortes Vergilianæ, quarũ in vita Adriani meminit Spartianus. Quæ ſuperſtitio hodie & ad ſacras literas, & pſalmorum verſiculos tranſlata eſt, etiam non improbantibus pleriſque noſtræ religionis Magiſtris Noſtris. Sed ad poeſim reuertamur, hanc Auguſtinus à ciuitate Dei exulare iubet, Ethnicus Plato à ſua repub. expellit, Cicero admitti vetat. Socrat. admonet, ſi cui fama maximè curæ eſt, illamq; ſeruare cupiat illæſam, is caueat, ne poëtam aliquem inimicum habeat, quia non tam magnã in laudando, quàm in maledicendo & vituperando vim habent. Minos rex iuſtiſsimo abs Heſiodo & Homero celebratus, quia

poeſis è repub. tollenda.

quia Athenienſibus bellum intulit, tragicos poëtas in ſe concitauit, qui illum apud inferos relegarunt. Penelopem ab Homero ſingulari pudicitia illuſtratam, Licophron aliquot procis cõcubuiſſe ſcribit. Didonem Carthaginis cõditricem continentiſsimam vidam: Ennius poëta Scipionis geſta decantans, primus Aeneam adamaſſe finxit, quem tamen ex ratione temporum vidiſſe vnquam non potuit: quod mendacium Verg. deinde ſic ornauit, vt pro vera creditum ſit hiſtoria. Tandẽ eo vſque hæc mentiendi licentia maledicendiq; improbitas proceſſit, vt neceſſe fuerit legem illis per cenſores præſcribere, qua eiuſmodi poëtarum probra atque mendacia reprimerentur. Sed & apud priſcos Romanos ipſa poeſis palam probro habebatur, atq; adeo, vt (Gellio & Catone teſtibus) qui in illa ſtuderet, publicus graſſa-

Cęſarum lex in poëtarum licentiam.

fator vocaretur: quin & à M. Catone ob id taxatus fuit Q. Fuluius, quod procõsul missus in Aetoliá, Enniũ poëtam secũ assumpserit: Et Imperator Iustinianus illius professores nulla prorsus immunitate dignatur: Homerum etiá, quem omniũ poëtarũ philosophũ & omniũ philosophorum poetá vocât, veluti insanientẽ quinquaginta drachmis Athenienses mulctauerunt: & Tichteũ poetá veluti mentis inopẽ deriserunt: quin & Lacedæmonij Archilochi poetæ libros è ciuitate sua exportare iusserũt. Sic poesim ipsam probissimi quiq; tanquã mendaciorũ parentẽ aspernati sunt, poetis adeo monstrosè mentientibus: quippe quibus studiũ est nihil sani dicere, aut literis prodere, sed cum sarcinatis versiculis, stultis auribus cãtillare, & fabularum inuolucris perstrepere, & super fumo machinari omnia, sicut alicubi cecinit Campanus: Vi-

Viuunt carmine insani poetæ,
Si nugas adimas, fame peribunt.
His mendacia sunt opes & aurũ,
Fingunt quęque volunt, putantque palmam
Mentiri bene glorioſiorem.
Sunt præterea apud poetas acerrimę contentiones, non ſolùm de carminis charactere, de pedibus, deaccentibus, & ſyllabarũ quantitatib nã de ijs etiã triuiales quiq; grammatici concertant, ſed de ijs ipſis ſuis nugis, figmentis atque mendacijs, vt puta, de nodo Herculis, de caſta arbore, de literis hyacinti, de filijs Niobe, de arboribus apud quas Latona Dianam peperit. Item de Homeri patria, deque eius ſepulchro, atq; vtrum Homerus an Heſiodus ætate ſuperior ſit, an Patroclus antiquior Achille, quo corporis habitu Anacharſis Scytha dormierit, cur Homerus non honorauerit carmine palamedem, vtrũ Lucanus in-

inter poëtas aut historicos repo-
nendus sit. Item de furti. Vergi-
lij, & quo anni mense mortuus
fuerit, & Quis exiguos elegos im
miserit autor, Grammatici cer-
tant, & adhuc sub iudice lis est.
Omnia autem poëtarum carmi-
na plena fabulis sunt, non nisi sub
adulationis, aut detractionis pesti
morum vitiorum prætextu ad
stultorum delectationem decan-
tata. Quicquid agunt poetæ, nar-
rent, laudent, inuocent, fabulis
suis adulantur, Rursus inuehant,
mordeãt, accusent, fabulis debac
chantur, semper verò insaniunt.
Rectè igitur Democritus hanc
non artem sed insaniam vocat. Et
Platonis sententia est, frustra poe
ticas fores compos sui pepulit.
Tunc siquidē admiranda canunt
poëtę, quando videlicet insaniunt
aut temulenti sunt. Hinc August.
poesim vocat vinum erroris, ab
ebrijs doctoribus propinatū. Hie

ro

ro eam dæmonum cibũ appellat. Ars insuper pertenuis & nuda, quę per se quidem tota insulsa res est, nisi alia quauis disciplina vestiatur condiaturque: ars esuriens semperque famelica, & tanquam mures alienum panem comedẽs, atque tamen nescio quâ inter nugas & fabulas cũ Tithonis cicadis, Lyciorum ranis, & Mirmidonum formicis polliceri audet immortalẽ gloriam nominis, ac dicere:

Viuite felices, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.

Quæ reuera aut nulla est, aut nihil profutura. Sed hoc munus decent historici, non poetarum, sed suum esse.

DE HISTORIA. Cap. V.

EST autem Historia rerũ gestarum cum laude aut vituperio narratio, quę magna-

rum rerum cõsilia, actiões, exitus, regumq; & magnorum virorum actus, cum temporum & locorum ordine ac descriptione, tanquã viua quadam pictura ante oculos exponit, ideoque hanc tanquam vitę magistram & ad eius institutionẽ vtiusimam cẽsent ferme omnes, eo quòd multarũ rerum exemplis cùm optimos quosq; ob laudis nominisq; immortalem gloriam, ad præclara quæq; facinora accendat, rũ quod impios quosq; ac prauos perpetuæ infamię metu, à vitijs deterreat, quamuis res hæc sepissime in diuersum cesserit, & multi quod Liuius dixit de Manlio Capitolino, malint esse famę magnæ, quàm bonæ, & plerique quod virtutibus nequeunt, sceleribus innotescere volunt, inscribiq́ue historijs, quemadmodum de Pausania Macedone adolescente Philippi regis parricidio illustri, ex Trogo recitat Iustin9, atq; de Herostrato, qui Di-

Dianæ Ephesiæ templũ, opus omnium præclarissimum, à tota Asia annos ducentos ædificatum incendit, narrant Gellius, Valer. atq; Solinus. Et quanquam seueris simis legibus cautum fuerit, ne quis hominem illum voce scriptóue nominaret, finem tamen cuius gratia perpetrauit scelus, adsecutus est: fama videlicet & nomine eius per tot secula ad nos vsque deductis: sed ad historiam reuertamur. Hæc quum maxime omnium rerũ seriem, fidem, consonantiam, veritatemq; exposcat, illa tamẽ minimè omnium præstat: tam inter se dissentiunt historiographi, tá varia & diuersa de eisdem tradũt, vt impossibile sit plurimos illorum non esse mendacissimos, nõ dico solùm de principio mundi, de diluuio vniuersali, de vrbe cõdita, à quibus ex ordijs res gestas sese scribere profitẽtur, cũ primũ illorũ omnes ignorent, alterum nõ omnes credunt,

tertium penes eos incertum sit. Quare cùm hęc remotissima sint, nec æqua ratione ab omnibus recepta habeát erratorũ illorũ veniam. Sed de posterioribus temporibus haud poterit illis nõ imputari mendaciorũ culpa: causæ autem tantæ illorum dissonantiæ multæ sunt. Nam pleriq; eo quod narratorum temporibus, locis, personis, gestis non adfuerunt, ex aliorum relatu populares sermones colligẽtes, nihil certum, nihil cõstans scribunt: quo vitio à Strabone taxantur Eratosthenes, Metrodorus Sceptius, Posidonius, & Patrocles geographus. Sũt alij, qui cùm partem rerum viderint, quasi in transitu militari, aut prætextu votorũ mendici per xenodochia prouincias transcurrẽtes, conscribere audent historiam: cuiusmodi quondã Onosicritus & Aristobulus scripserunt de India. Sũt qui delectationis causa re-

bus

bus veris nõnihil admentiũtur, sę pè etiam veritatem omittẽtes, de quo Herodotum notat Diodorus Siculus, ac Trebelliũ Liberianus, & Vopiscus, atque Tacitum Tertullianus & Oriosius, in quorum numerum etiã Danudem & Philostratum reponemus. Sunt etiã qui res veras ad fabulas conuertunt, quales Gnidius, Cresias, Hecatęus, & plures alij antiquorum historici. Sunt & multi, qui impudenter historiographorum nomine se iactantes, ne videantur quicquam ignorare, aut aliquid aliud ab alijs retulisse, dum de ignotis & inaccessis prouincijs verbosa nouitate scribere præsumpserũt, nil nisi elegantes nugas & monstrosa mendacia tradiderunt. Cuiusmodi ea quę de Arimaspis, gryphis, Pigmæis & gruibus, ac de Gynocephalis & astromoris, Hippopodibus, Phanisijs, Troglodytis legimus, quorũ erroribus

proximi sunt, qui sub arctico mare cõgelatum affirmârunt, atq; tamen inueniunt stultos & sine iudicio homines, qui illis talia credant, ac pro oraculis habeant: at ex horum numero sunt Ephorus, qui vnam duntaxat ciuitatem esse Hibernis tradidit, cùm illi tantam Hesperiæ partem inhabitare noscuntur. Et Stephanus Græcus, qui Francos Italię populos, & Viennã oppidum esse Galilęę pro Galatię dixit. Et Arianus Græcus, qui Germanorum sedes non procul ab Ionio asserit, quibus accedit & Dionysius in his quæ falso tradidit de Pyrenæis montibus Præterea quæ Cornelius Tacitus, Marcellus, Orosius, Blondus de Germaniæ locis differunt, magna ex parte à veritate discrepant. Similiter falsò scribit Strabo Istrum, hoc est, Danubium non procul ab Adriatico oriri, & Herodotus eundem ab Hespero fluere, & apud Cel-

Celtas, qui omnium in Europa extremi sunt oriri, & ad Scythiam ingredi, & iterum Strabo Lapum ac Visurgum fluuios ad Hanasum ait deferri, cùm Lapus Rheno miscea tur, Visurgus autem mari exoneretur. Sic & Plinius Mosam fluuium in Oceanum properare tradit, cùm se non Oceano, sed Rheno emergat. Consimilibus erroribus ex recentioribus historicis ac geographis, Sabellicus Alanos ab Alemanis falsò deducit, & Hungaros ab Hunnis falsò deriuat, quin Gothos & Getas Scythas ait, & Danos cum Dacis cõfundit, ac D. Otiliæ montem in Bauariam locat, cùm non procul sit, ab Argentorato. Volaterranus etiam Austeraniam & Austriam, Auaros & Sauaros, Lucernã quoq; & Nausiũ confundit, & Pliniũ dicit Bernensium Heluetiorũ mentionem feciſſe, cũ illi longè posterioribus temporibus à Bartholdo duce Zaringiorũ

primum conditi fuerunt. Similiter Conradus Celtes Dacos eosdem cum Cimbris existimat, & Ceruscos eos, quos Cerusos, quin & Riphæos montes in Samaria sitas putat, & electrum gummam ex arbore defluentẽ tradit. Sunt & adhuc alij inter historicos longè maiorum mendaciorum culpam habentes, qui cùm aut rebus interfuerũt, aut aliter res ipsas vt sunt vel gestę sunt cognouerunt, tamen beneuolentia & obsequio victi suis adulantes contra fidem falsa cõfirmant. Sunt ex istis qui ad accusandas aut defendendas alienas causas, historias narrari aggressi, ea sola quæ suo argumẽto conducunt narrantes, cætera verò dissimulãtes, prætereuntes, aut extenuantes: mancas & corruptas historias scribunt de quo vitio Blondus texat Orosium, quod ingentem illam Italię cladẽ, qua Gothi Rauennam, Candanũ,

Aqui-

Aquilegiam, Ferrariam, ac totam ferè Italiam diripuerunt, conticuerit, suum ne attenuaret propositum argumentum. Sunt prętereà qui metu aut simultate aut odio aliorum corrupti, detrahũt veritati. Alij dum suorum gesta extollere cupiunt, aliorum patrata extenuant, & in humilitatem deijciunt, scribuntq; non quod est, sed quod cupiunt, quod vo-lunt, quodque lubet, confidentes nõ defuturos mendaciorum suorum comites atque patronos, testesq; eos, quibus egreditur palpati fuerint. Quod vitiũ antiquitus Gręcis scriptoribus familiare erat, hodie verò ferme oĩs nationis chronographi eo ipso laborát, vt Sabellicus & Blondus in rebus Venetorũ, Paulus Aemil. ac Gaguinus in gestis Frãcorum, quos non ob alium fructũ aiunt principes nisi, quòd ait Plutar. vt famulante ipsis bono ingenio, virtutẽ

alienis meritis suffocâtes, illorum facta nugis ac figmẽtis pro historica maiestate attollant. Sic Græci historici de rerum inuentoribus scribentes, omnia sibi, sed nõ sua vendicare voluerunt. Est & aliud corruptissimum adulatorum genus, qui cùm principum suorum originem ad antiquissimos quosque reges extendere conentur, cùm in suo genere eò nequeant peruenire, ad externas origines fabulasq; recurrunt, & regum & locorum nomina cõfingunt, & nihil non cõmentiuntur. Huius generis est barbarus ille Hunibaldus, qui Francorum historias conscribens, Schyticam, Sicambriam & Priamum iuniorem, aliaque locorum ac regum nomina commentus est: quorum nullus vnquã priorum meminit Historicus: atq; tamẽ illius nugas cõsimilis ingenij homines secuti sunt, videlicet Gregor. Turonẽsis, Rhegino, atq; Sigiberto & pleri-

pleriq; alij. Huius furfuris est, & Vitiscindus, qui Saxones antiquissimos, & primores Germaniæ incolas, Macedonum sobolem ait: & ab Alexandri Magni reliquijs deriuat, quę in hoc errore sequũntur pleriq; alij. Multi pręterea scribunt historias, non tam vt vera referant, quàm vt delectent, vt egregij principis imaginem in quouis iubeat exprimant aut effingant. Quosſi quis arguat mendacij, dicunt se nõ tam ad rem gestam, quàm ad posteritatis vtilitatem & famam ingenij intueri: ideoque non omnia narrare vt acta sunt, sed vt narrare expedit: nec se veritatem pertinaciter velle tueri, sed vbi figmentum falsitatem ue communis postulat vtilitas, citantes testem Fabium dicentem, nõ esse vituperãdum tale mendaciũ, quod ad honestatis persuasionẽ cõducit. Præterea cũ posteris ipsis scribãt, nõ magni refert, cuius nomine quaũe serie boni

principis exemplum proponatur in publicum, tale profecto Xenophon de Cyro, nō qualis esset, sed qualis esse debuisset, tanquam optimi principis exemplar & archetypum, scitā elegantemque, sed absque veritatis fide historiam descripsit. Hinc tandem factum est, vt multi & natura & industria ad mētiendum apti, cōfictis argumentis, fabulosas describant historias, vt sunt illa Morganæ Margalonę, Melusinæ, Amadisi, Florandi Tyranti, Conamori, Arcturi, Dietheri, Lanceloti, Tristāni, illa inquā prorsus fabulosa ac simul inerudita deliramēta poëtarum Comœdijs ac fabulis fabulosiora: inter eruditos verō principatum in istis obtinuerunt Lucianus atq; Apuleius, quin & apud Herodotum historiæ patrē, apud Diodorū, & apud Theopōpum, quod ait Cicero, innumerabiles sunt fabulę, & ipsi pleni mēdacijs. Ibi enim epota Medo pran-

den-

dente flumina,& velificatũ Athon legimus.

Et quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria.

Atq; hæ ſunt cauſæ,cur nuſquam verè exacta fides reperiatur hiſtoriæ,etſi hanc in ea maximè quæramus:iudiciũ autẽ, quo in diſcernẽdo opus eſſet,difficillimũ eſt cõſequi. Cũ enim publicè rerũ geſtarũ conſcriptiones non fierent,quę rerum docerent veritatẽ & mẽtientes argueret,ſed ſuæ opinioni quiſque permiſſus eſt. hinc nacti ſunt errãdi mentiendiq; poteſtatem,vnde tãta apud hiſtoriographos diſcordia nata eſt,vt etiã(quod ait Ioſephus)contra Appionẽ libris ſuis alterutros arguãt,& valde contraria de rebus eiſdẽ conſcribãt, quãtis quidem locis(idem ait)Hellanicus ab Ageſilao de Genealogijs diſcrepat,& in quantis Herodotum corrigit Ageſilaus, & quomodo Ephorus quidem Hellanicum in

plu,

plurimis ostendit esse mendacem, Ephorum verò Timeus, Timeum qui post eum fuêre, Herodotum verò cuncti. Sed neque de singulis cum Antiocho & Philisto, aut Callia Timęus cõcordare dignatꝰ est: in multis etiam Theucidides quanquam fallax accusatur, licet scrupulosissimam historiam cõscripsisse videatur, Hæc de alijs scribit Iosephus, atque hunc noster corrigit Egesippus. Præterea ex historiographis multi multa narrant, sed nõ omnia probanda, & quidẽ probant haud quaquam probanda, pleriq; pessima exempla imitanda proponunt. Nam qui Herculem, Achillẽ, Hectorem, Theseum, Epaminundam, Lisandrũ, Themistoclem, deniq; Xerxem, Cyrum, Darium, Alexandrum, Pyrrhum, Hannibalem, Scipionem, Pompeium, Cæsarẽ miris laudibus depingũt: quid nisi magnos & furiosos latrones famososq; orbis prędones descri-

scripserunt? Esto, fuerint Imperatores optimi, certè viri pessimi sceleratissimiq;. Quod si quis dicat mihi ex historiarum lectione præcipuam nanciscì prudentiam, nó negauerim, modò id quoq; cõcedat, ex eisdẽ etiam summã hauriri pernicieẽ, atq; vt alicubi canit Martial. Sunt bona multa, sunt mediocria multa, sunt mala multa.

DE RHETORICA. Cap. VI.

RHetorica verò quæ ijs proxima est, ars sit, nec ne, inter grauissimos viros certatur, & adhuc sub iudice lis est. Ipse siquidem Socrates apud Platonẽ firmissimis rationibus eam nec artẽ, nec scientiam cõtendit, sed sagacitatem quandam, ipsamq; nec præclaram, nec honestam, quinimo turpem, illiberalem, ac seruilẽ adulationem. Sed & Lysias & Cleanthes & Menedemus censuerunt elo-

eloquentiam nulla arte posse contineri, sed à natura duntaxat, proficisci, quæ quemlibet doceat dum opus sit, blâdiri, & res suas enarrare, argumentisq; firmare, atq; verâ pronunciationem, memoriâ, pulchrumq; inueniendi modũ, nõ nisi à natura proficisci, quod ipsum in Antonio Romanorum Oratorũ principe visum est. Quin & cũ ante Thisiam, Coracem, & Georgiâ nullus adhuc rhetoricę artem scripserit, aut docuerit, multos tamen ingenij bonitate fuisse eloquentissimos. Præterea cùm ars definiatur esse collectio præceptorum ad vnum finem tendentium, adhuc certât rhetores quis illius finis sit, an persuadere, an bene dicere: nec cõtenti veris causis, nouas & fictas etiam excogitât. Præterea tot theses, hypotheses, figuras, colores ductus, characteres, suasorias, controuersias, declamatiões, procemi insinuatiões, beneuolentiæ capti-

ne-

nes, artificiosissimas narrationes inuenerunt, vt vix numerare suffi ciat, & tamen rhetoricæ finem factum esse inficiantur. Hác Lacedęmones omninò reprobarunt, æstimantes proborum hominum sermonem non ab arte, sed à pectore proficisci oportere. Antiqui etiam Romani serò admodum rhetores in vrbem admiserunt: cumq; post multã controuersiã ostendere Cicero conatus esset, orandi facultatem non tam ab arte, quam à prudentia proficisci, atq; idcirco opꝰ de perfecto Oratore scripsisset, tamen ille orator quem ipse velut exemplar ibi fabricat, non omnibus probatus est: quin & Bruto ipsi singularis integritatis viro admodum suspectus visus est, semperq; vicit sententia Rhetorũ, bene dicẽdi prȩcepta hominum vitę plus officere quá prodesse, atq; vt liceat verum fateri, cóstat totam illã ac omnẽ rhetoricæ disciplinã ni-

hil aliud esse, quã assentatiõis adulationisq; (& vt quidam audacius dicunt) mentiendi artificium, vt quod rei veritate efficere nõ possit, persuadeat fuco orationis, quẽadmodum de Pericle sophista ait Archidamꝰ (vt autor est Eunapiꝰ) qui interrogatus num esset illo potentior, respondit: Etsi Pericles in bello à me victus sit, ea tamen prẽditus est dicendi facundia, vt cùm de ijs ratiocinetur, non victus, sed victor appareat: atque de Carneade ait Plinius, quod ipso argumentãte, quid veri esset, haud facile discerni poterat: de eodem traditum est, quod cùm pro iustitia multa publicè eleganter & sapienter disseruisset, postridie non minore doctrina atq. copia cõtra iusticiã perorâsse. Erat apud Syracusas Corax, Rhetor vir acuti ingenij & linguæ promptioris, qui hanc artem mercede docebat, ad hunc accessit Tisias, ùum promptam mercedẽ nõ ha-

haberet, pollicitus est duplicem, postquam ille eum docuerit rhetoricam, quem Corax hac cõditione suscepit,& docuit. Hanc Tisias cũ didicisset,de precio magistrum circumuenire studens, interrogauit Coracem,quid esset rhetorica,quo respõdente effectricem persuasionum,in prẽceptorem sic argumentatus est: Quodcunque igitur de mercede dixero,si tibi me nihil debere persuasero, nihil debeo, quia non debere persuasi:si non persuasero,non debebo etiam,quia me scire persuadere non docuisti. Tum Corax hoc argumentum in Tisiã retorquere visus: Quodcunq, ait, ego quoq; de mercede dixero,si me accepturum persuasero, accipiã, quoniam persuasi:si non persuasero,etiam accipere debeo,quoniam tantum discipulum erudiui, qui præceptorem superaret. His antistrophis argumentis eos contendere audientes Syracusani,exclama-

mauerũt: Mali corui malum ouũ, ſignificantes mali præceptoris peiorem diſcipulum. Haud abſimilẽ hiſtoriá refert Gellius de Protagora Sophiſta & Euathlo eius diſcipulo. Atqui ſcire exactè, ornatè, grauiter, & copioſè dicere, pulchrum & delectabile ac ſemper vtile eſt, nõ nunquá tamen turpe & importunũ, ſæpiſsimè verò periculoſum, ſemper autem ſuſpectum eſt: quocirca Socrates ipſe Rhetores nulla æſtimatione dignos cenſet, nec quiquam in bene inſtituta repub. debeãt potentiam obtinere: & Plato illos à ſua republica cum tragicis hiſtrionibus & poëtis ſimul exclũdẽdos cenſuit, nec iniuria: Ná hoc artificio nihil periculoſius ciuilibꝰ officijs, ab hoc præuaricatores, tergiuerſatores, calumniatores, ſycophantę, & cætera huiuſmodi ſceleratæ linguę hominum nomina deſcendunt. Hoc enim præditi homines in ciuitatibus plerunq; coniurant,

rant, ac seditiones mouent, dū hae artificiosa loquacitate alios decipiunt, alios mordent, alios cauillant, blandiuntur alijs, ac in innocentes tyrannidem quandā sibi vsurpant. Hinc rectè dixit Euripides, tyrannicum quoddam esse multa scire dicere: & Aeschilus ait: Malum omnium turpissimum esse dico cōpositos sermōes: & Raphael Volaterranus historiarum & exēplorum studiosissimus fatetur, collatis quę cunq; audiuerit, quæq; legerit veterum & recentiorum exemplis, paucissimos viros bonos reperiri eloquentes. Nōne eo ipso ingētes respublicæ sæpe grauiter vexatæ, sæpe penitus deletæ sunt? Exemplo sunt eius rei, Bruti, Crassi, Gracchi, Catones, Cicero, Demosthenes, qui vt omnium habiti sunt eloquētissimi, ita semper fuere omnium seditiosissimi. Nam Censorius Cato quadragesies accusatus, ipse septuagesies ac vltra alios reos fecit to-

tota ętate sua insanis declamationi bus reip. tranquillitatē perturbās. Alter Vticēsis prouocato Cęsare, libertatem Romanā funditus subuertit. Nō minus Cicero Antoniū in reip. pernicię prouocauit, & Demosthenes Philippū in detrimentū Athenienſiū, nullus deniq; reip status ab hoc artificio nō est aliquando euersus, nullus ab eloquentiæ vitio, si aures præbuit, perstitit illæsus. Perinde permultum potest in iudicijs fiducia eloquentiæ: hac patrona defenduntur malæ causæ, & nocens reus eripitur legis periculo, hac accusante sępe innocens dānatus est, nec vllus vnquā eo artificio tam defensus extitit, quin læsus sit qui ex diuerso erat. M. Cato Romanorū prudētissimus vetuit tres illos Athenienſiū oratores, Carneadem, Critolaū, Diogenem in Romanā vrbē publicè audiendos admitti, quia tam acuto ingenio, orationis facundia, ac valida eloquentia

tia præditi essent, vt facilè possent æqua & iniqua persuadere. Cõstat de hoc gloriatũ apud amicos olim Demosthenem, sese quando liberet, posse iudicũ sententias ad suá voluntatem conuertere artificio sermonis, ad cuius arbitrium Athenienſibus cum Philippo sæpe bellum, sæpe pax fuit. Tanta illi vis erat eloquentiæ in concitandis sedandisque animorum ac voluntatum affectibus, vt tanquam ciuium suorum imperium habens, illos quò voluerat, verteret dicendo: cõ similem ob rationem Cicero Romæ à plerisque rex vocatus est, quia Senatum quouis vellet verteret dicendo, oratione sua omnia regens. Hinc apparet Rhetoricam non aliam esse, quàm persuadendi & mouendorũ affectuum artem, subtili eloquio, exquisito fuco, & subdola verisimilitudine rapientem animos incautorum, eosque ducentem in captiuitatem erro-

erroris, peruertẽdo sensum veritatis. Quòd si naturę beneficio nulla res nõ vera voce exprimitur, quod pestilẽtius, quá verborum fucatorum studium? Veritatis sermo simplex est, sed viuo & penetrãs, & discretor intentionum cordis, & tanquá securis ac gladio anceps omnia artificiosa rhetorum enthymemata facilè dissecás & abscindẽs. Hinc Demosthenes quum reliquos quoscunq; ex arte dicẽtes facilè contẽneret, vnum Photionẽ vera & adrẽ pertinẽtia, simpliciter & breuiter dicentẽ metuebat, ideoq; orationum suarum securim nuncupare solebat: fortè nouerãt hęc prisci Romani, qui (teste Sueto.) Rhetores bis Roma ciuitate, semel sub C. Fánio Strabone, & M. Valerio Messala Cõsulib. semel iterum sub Cn. Domitio Aenobarbo & L. Licinio Crasso Cẽsorib. publico edicto eijciẽtes: tertiò sub Domitiano Imperatore, vniuersali senatusconsulto,

&

& vrbe Roma, tota insuper expulerunt Italia, Athenienses eos tanquã iustitiæ peruersores foro prohibuerunt, ac Thymagorã, quòd inter officia salutationis Dario regi more gentis illius adulatus fuisset, capitali supplicio affecerunt. Pepulerunt Lacedæmonij Ctesiphonem, eò quod se iactarat, de re quauis totum diẽ posse dicere. Nihil enim apud illos magis inuisum, quàm curiosum hoc linguæ artificium, eorum quibus veritatis proferendæ nulla cura est, sed opus modicum proponẽtes, illud orationis lenocinijs, & verborum ampullis excolere, & dicendi dulcedine decipere animos auditorum, illosq; lingua sua reuinctos ducere ab auribus: iamq; palam est nullos hoc artificio factos meliores, complures autem deteriores reddi: qui etsi de virtutibus comptiùs dicere possent, longè tamen videmus elegantiores esse felicioris q; eloquentiæ

ad defendẽdos errores,ad seminã das lites,ad excitandas factiões, ad cõgerenda cõuicia,maledicta,calũ nias,quàm ad recõciliandam pacẽ, concordiam,tranquillitatẽ,atq; ad prędicandam charitatem,fidẽ,reli-gionem.Porro hoc artificio cõfisi plurimi abortodoxa fide desciue runt,sectæq; ac schismata, superstitionesq; ac hæreses hinc pullularunt,dũ nõnulli scripturam sacrã, eò quòd eloquẽtiæ Ciceronianoq; lepõre careat, ita aspernantur vt cũ ethnicorum fucatis argumentorũ persuasionibus, cõtra catholicam interdum veritatem sentirẽt. Quod de Tacianis hæreticis in primis manifestum est,& ijs quos Libanius sophista & Symachus orator idololatriæ defensores, atque Celsus Africanus, & Iulianus apostata,contra Christum magnis rhetorismis insultantes seduxerunt: è quorum pernicioso ac blasphemo eloquio,multas persuasionum ar-

argumentationes acceperunt hæretici, quas in aures hominũ ſimplicium immittẽtes, totos ſeduxerũt à verbo veritatis, ſed quid veterũ hæreticorum exemplis inſiſtimus noſtra tempora ſpectemus. Qui ſunt duces Germanicarum hæreſum, quæ ab vno Luthero ſuſcepto exordio hodie tã multæ ſunt, vt ferè ſingulæ ciuitates ſuam peculiarem habeant hæreſim? nónne autores illorum homines diſertiſſimi, linguæ eloquentia & calami elegantia inſtructi? & quos ante annos aliquot à linguarum peritia, à ſermonis ornatu, à dicendi ſcribendiq́ue promptitudine ſic laudatos vidimus, vt nihil illorum laudibus potuiſſet adijci, hodie videmus capita & principes hæreticorum: ita ſunt adhuc multi qui eloquentiæ dediti, dum volunt Ciceroniani fieri, efficiuntur pagani: & qui Ariſtoteli & Platoni impenſius ſtudent, fiunt illi quidem

ſuperſtitioſi, hi verò impij. Omnes autem illi, quicunq; prętер ſimplicia veritatis verba ocioſos ſermones in aures hominum effundunt, aſsiſtent in iudicio, rationem reddituri de ijs, quę vanè concieerunt & mẽtiti ſunt aduerſus Deũ.

DE DIALECTICA. Cap. VII.

SVccedit iſtis in ſubſidium Dialectica, & ipſa quidem non niſi contentionis ac tenebrarum artificium eſt, per quam reliquæ omnes ſcientiæ obſcuriores ac cognitu difficiliores redduntur: atq; hæc etiam ſeſe, logicam videlicet, dicendi & rationandi ſcientiã vocat. Miſerum profectò & irrationale hominum genus, ſi abſq; hac diſciplina neſciat ratiocinari: hanc tamen Seruius Sulpit. omnium artium maximam eſſe dixit, & quaſi lucem ad ea quæ ab alijs doceantur, cùm ipſa (vt ait Cicero) rem vniuer-

uersam doceat distribuere in partes,& latentem definiendo explicare,interpretando obscuram explanare, ambiguam contemplari & distinguere, atque regulam de ijs omnibus tradat, qua vera & falsa iudicentur. Præterea pollicentur Dialectici se cuiusque rei essentialem,vt aiũt, definitionem posse inuenire,tamen hanc nullis vnquam verbis præstare possunt tam lucidam,quin ęquè nescius maneat animus,quin dicat quis idiotæ pro homine animal rationale mortale, minus intelliget, quàm si dixisset hominem. Plura de his scripsit inter latinos Boëthius, cuius opera non habentur: sed præstant omnibus quæ scripsit Aristo. prædicamẽta, elenchos,topica, peri hermenias, analytica & reliqua: quem secuti Peripatetici,opinantur nihil stare, aut sciri posse,nisi quod syllogizãdo probetur per Demõstrationẽ, eam videlicet, quã depingit Arist.

sed tamē nūquā in dogmatib. suis obseruauit, cū oēs suæ argumētationes ex præsuppositis ab eo deducātur, quē secuti oēs isti scientiarū pollicitatores, hactenus nullas aut pauciſsimas veras demōſtrationes dederunt, nedū in naturalibus, sed oēs deducūt illas ex prēacceptis, aut ab suo Ari. aut abs alio, qui illa prior dixerit, quorum autoritatē seruant sibi pro principijs demonſtrationis: veram autem demōſtrationem, quę facere debeat scientiā, docet Ariſto. eam esse, quæ fit per quidditates, (vt loquūtur Dialecti ci) per proprias rerum differētias nobis occultas & ignotas. Ait insuper demonſtrationem ex causis fieri, ex ijs quę sunt De, Per, Se, & Secundum quod ipsum: quæ quidem enunciationes cū sint cōuertibiles, se ad inuicē inferentes, tamē ait nō dari, nec cōcedi demōſtrationē circularē ex causis. Si itaq; nūc principia demōſtrationis plurimū igno-

ignota sunt,& circulatio nō admit
tetur,certè nulla inde aut paucis-
sima,eaq; incerta haberi potest scié
tia,credere enim oportebit, demō
stratis,per fragilia quædā princi-
pia,quibꝰ aut propter præcedentē
prudentiū autoritatē, veluti notis
terminis assentimur, aut quos ex-
perietia cōprobamus ꝑ sensꝰ. Om
nis enim notitia (vt aiūt) ortū ha-
bet à sensibus: & experimentū ser
monū verorū, vt ait Auerrois, est
vt cōcordēt sensatis. Et illud notiꝰ
est & verius,in quod plures sensus
cōueniū:tex sensibilibus itaq;,eorū
scientia manu ducimur ad omnia
ea,quæ à nobis sciri possunt. Iam
enim quū sensus omnes sæpe falla
ces sunt,certè nullā nobis syncerā
probare possunt experientiā. Prę-
terea quum sensus intellectualē na
turā nequeant attingere,& rerum
inferiorum causæ, ex quibus illa-
rum naturæ effectus, & proprie-
tates seu passiones demonstrari

deberent, sint omnium consensu nostris sensibus penitùs ignotæ, nónne cõuincitur veritatis via sen sibus esse præclusa? quare etiã om nes illæ deductiones & scientiæ, quæ in ipsis sensibus radicitus fun datæ sunt, omnes incertæ erunt & erroneæ & fallaces. Quæ ergo nũc vtilitas Dialecticæ, quis fructus sci entificæ illius Demõstrationis ex principijs & experimentis quibus cum veluti notis terminis assenti re necesse erit? nónne iam ipsa prin cipia & experimenta magis scien tur quàm demonstrata: sed hęc ars nunc paulò remotiùs nobis repe tenda est Dialectici decem nume rant prædicamẽta, quę vocãt gene ra generalissima, hęc sunt: Substã tia, quantitas, qualitas, relatio, quan do, vbi, situs, habitus, actio, passio, quibus omnia constare putant, & intelligi quæcunq; in toto vniuer soque orbiculari mundo cõtinen tur. Tradũt insuper quę de ijs ipsis

ac

ac earum partibus prædicentur, quinque, videlicet: Genus, speciẽ, differentiam, proprium, accidens, quæ ob id prædicabilia nominarunt. Porro inuenerunt quatuor cuiuslibet rei causas, materialem, formalem, efficientem & finalem: ex quibus omniũ rerũ veritatem & falsitatem sese inuenire posse arbitrantur, quadam infallibili (vt putant) demonstratione, hoc est, syllogismo, quem altero trium ordinum, vt vocant, figurarum supra vndeuiginti modos esse oportebit. Componunt autem omnem syllogismum siue demonstrationem ex tribus terminis, qui sunt, subiectũ quęsiti, & dicitur Minor: alter prędicatum quæsiti, & dicitur Maior: tertius est medium inter vtrunq; participans: & iuxta hos, duas formant propositiones, quas Pręmissas appellant, maiorem & minorẽ, ex illis tandem nascitur conclusio, scilicet de altero ad extremũ, alterum

rum tanquã à limine ad metã procurrentes. Hoc totum est egregiũ illud artificium, hæc eius sunt extrema cõfinia, quibus omnia cõbinare, diuidere, & cõcludere opinãtur, per quædam quæ refelli posse impossibile putant axiomata, atq; hęc sunt logici artificij portẽtosa, & alta mysteria magnoque labore exquisita à magistris fallacib9, quę tanquam occulta quędam & arcana nõ oẽs profiteri licet, nec discere, nisi illos qui grandes mercedes pro illis p̃stare possunt, magnisque sumptibus autoritatẽ hanc sibi inter scholasticos coẽmẽrint. Deniq; ij sunt eorum canes, hæc illa retia, quib9 (illorum opinioe) rerũ oim siue naturę subiectarum vt physica: siue naturã ipsam comitantiũ, vt mathematica: siue naturam ipsam quodammodo superantium, vt metaphysica: venantur veritatem, quam tamen eo artificio iuxta P. Clodij atque Varronis prouer-

uerbium, nimium altercando amittunt: atq; hęc sunt duntaxat veterum dialecticorum confinia.

DE SOPHISTICA.

CAP. VIII.

Sed lōgè plura prodigia maioraq; portenta ijs addidit recẽtior Sophistarum schola, de terminorum passiōibus, de infinito, de cōparatiuis, de superlatiuis, de differt aliud ab, de incipit & desinit, de formalitatib. hæcceitatibus, instantibus, ampliationib9, restrictionib. distributionib. intentionibus, suppositionibus, appellationib. obligationibus, cōsequentibus, indissolubilibus, exponibilib. reduplicatiuis exclusiuis, instantijs, casibus, particularisationibus, suppositis, mediatis & immeditatis, cōpletis, incompletis, complexis, & incōplexis, & cæteris intolerandis vanisq; vocabulis, quæ traduntur in paruis logicalibus, quibus omnia, quæcunque ipsa falsa sunt: &

impoſsibilia, vera eſſe facilè cõuincent, & cõtrà quęcunq; vera ſunt, velut ex equo Troiano erumpentes, ijs machinis, ſubito verborum incendio ac ruina vaſtabunt. Sunt rurſus qui non niſi tria prædicamẽta recipiunt, nec niſi duas ſyllogiſmorum figuras, & tantùm octo illorum modos probant: modales autem propoſitiones, cõcretos inſuper & abſtractos terminos rideant; nec deſunt qui vndecimũ numerent prædicamentum, & quartam ſyllogiſmorum figuram auge antq; prædicabilium & cauſarum numerum, totq́ue inuictas & Stoicas ſubtilitates inuexerunt, vt Cleanthis, Chryſippiq; argutiæ cum Daphitę, Euthidemi, Dionyſiodori circunuentiunculis, penitq; craſſæ, ruſticanæq́ue futuræ ſint, ſi cũ ijs nouis ſophiſtarum noſtrorũ inuentis cõferantur, in quibus nunc paſsim ferè omnis ſcholaſticorum turba, cum miſero labore ac damna-

nabili ſtudio occupata, nil magis agere videtur, niſi vt diſcat errare, ac perpetuis digladiationib. explicandam veritatem obſcuriorē reddere vel amittere, quorum tota diſciplina nō aliud quicquam eſt, quā captio quædam ex deprauatis verborum dictionibus ſubdola quadā cauillatione peruertens vſum loquendi, & vim inferens linguæ, quam ignorat, tranſuertens veritatem ſecūdum veriſimilem expoſitionem, quorum gloria non niſi in conuitijs & ſtrepitu ſita eſt, vt qui nō tam victoriam appetant, quàm certamen, nec veri inueniendi, ſed altercandi propoſitum ſit, adeo vt inter hos primas partes teneat, qui cunque clamoſiſsimus eſt & impudentiſsimus, & linguæ fremitu audaciſsimus. De quibus ait Petrarcha ſiue is ſtili pudor, ſiue ignorantiæ cōfeſsio eſt, lingua implacabiles ſunt, calamo non contendunt, nolunt apparere quia friuola ſunt qui-

quib. ornátur: ideoq; more Parthi co fugitiuam pugnam exercent, & volatilia verba iactantes, quasi vẽtis vela cõmittunt. Hi sunt enim quos Quintilian9 dicit in disputando mirè callidos: cùm autẽ ab illa cauillatione discesserint, nõ magis sufficere in aliquo grauiore actu, quàm parua quædam animalcula, quæ in anguſtijs mobilia, cápo deprehenduntur: itaq; campũ timẽt, verumq; est illud, diuerticula & anfract9 suffragia esse infirmitatis, vt qui parùm cursu valent, flexu eludãt. Sic & Sophistę metuũt, sub notarijs & collatis libris & autorib. pugnare, sed solius memorię & linguæ viribus & fugitiuis clamorib. nõ ad calamos, sed ad obliuiosas aures concertare volunt: nec referre putant, qua quisq; ratione vtatur, dummodo instantiam det: nec curandum quicquid sentiat aut dicat, modò loquatur & strenuè cõtendat. Nam qui verbosior est, is inter

eos

eos videtur doctior, ijs præstigijs circumeunt scholas & plateas & mensas, quęrunt æmulos, quos vt cõgrediantur inuitant, instãt, iusiliũt, si congreditur & vrget, ad diuerticula prolabuntur, & latebras quærunt, & ad vsitata recurrunt, tot facientes anfractus, ac si labyrinthum circumiri oporteat, quòd si quis nolit aut pigeat cum illis de certare, subdola aliqua interrogatióe, & quam quis non optima cognitione inquisiuit, aggrediuntur, vt sic vel ex improuiso respõdentem de errore cõuincant, aut scire se negantem verecundiæ reum faciãt & explodãt, atq; ipsi in vtrãq; parte doctrinę vendicẽt gloriam. Sed quos fructus nobis in Ecclesia Christi peperit pariatque dialectica cum suis sophistis spectemꝰ, qui nõ assentientes diuinæ traditioni, illam compositis, & ex fallacibus sensibus deductis rationibus confundunt, quibus dum nimium cre-

credunt recedente luce veritatis, succreſcũt tenebræ, quibus obuoluti & excæcati, factiq; magiſtri & duces cæcorum, multos ſecum ijs falſis argumentationibus & apparentibus rationibus trahunt in foueam, ſemperque ignorantiæ profundum, errorumque pelagus innatantes, ſerpentum more lubrici, fraudulentiæ & ſeductionis verbis ſubinuolantes, imperitiores ſe ducunt ad credendũ figmẽtis ſuis, & extollentes ea, perſuadere audent ſacratiſsimam theologicam, ſine logica, ſine dialectica, ſine rixa ſine altercatione, ſine ſophiſmatibus conſtare nõ poſſe. Nõ inficior, dialecticam ad ſcholaſticam exercitationem conferre, ſed ad theologicam cõtemplationem quid cõferat, nõ video, cuius ſumma dialectica eſt in oratione cõſtituta. Neque enim vana promiſsione pollicitus eſt nobis Chriſtus, inquiens: Petite, & accipietis, Itaque priuſquam

Dialectica quatenus vtilis.

contentiosi scholastici suam dialecticam discât, isti Christifideles ab ipso magistro veritatis impetrant omnem necessariam veritatẽ. Prę terea dialectica per varias ambages tandem non altiùs pertingere potest, quàm ad philosophiam, sed per fidelem orationem recta & certissima via cõscenditur ad summã diuinarum atque etiam humanarum rerum sapientiam. Errant igitur quicunque dicunt dialecticam hanc esse euertendorum hæreticorum machinam omnium potentissimam, quum reuera ipsa sit robur omnium hæreticorũ: hac arte freti quõdam Arrius & Nestorius hæretici, tã impudenter desipuerunt, vt ille diuersas per gradus & tempora in Trinitate substantias assereret: alter Mariam virginẽ theotocõ esse negaret, quia diuinas operationes logicis sophismatibus metiri præsumpserũt, plus Aristotelis obseruantes dialectica sophismata,

Dialectica Hæreticorum robur.

mata, quâ diuinæ ſcripturę animad uertentes verba. Omnia namq; (vt ait Hieronymus) hæreticorum dogmata ſedē ſibi & requiē inter Ari. & Chryſippi ſpineta reperiunt. In de Eunomius profert, quod natū eſt, nō fuit antequam naſceret. Inde Manichęus, vt Deum liberet à cōditione malorum, alterum mali inducit autorem. Inde Nouatus ſubtrahit veniam, vt tollat pœnitentiam. De illis fontibus vniuerſa hæreticorum dogmata argumētationum ſuarum riuulos trahunt. Nam cùm nullus ſermo ſit, qui nō recipiat contradictionem, nec vlla argumentatio, quæ nō poſsit per aliam ſubuerti, inde eſt quòd ad nullum finem ſcientiæ, ad nullam cognitionem veritatis per dialecticas diſputationes homines peruenire poſſunt: ſed & multos contingit declinare à veritate in hęreſes, dum ſpeciem ſibi validioris veritatis logicis argumentationibus re-

pe-

periſſe ſe credunt, aut ſic hæreticos reprobant, vt ipſi nihilò ſaniora reſtituant: quare Plato ipſe ſerò admodũ voluit dialecticam attingi à cuſtodibus, eò quòd hæc in vtrãq; partẽ diſſerat, & minus firmas reddat de honeſto aut inhoneſto ratiões. Hęc de dialectica hactenus.

DE ARTE LVLLII.

CAP. XI.

INuenit autem Raimundus Lullius recentioribus temporibus dialecticæ haud abſimilem prodigioſam artem, per quam tanquam olim Georgias Leontinus (qui primus in conuẽtu literatorum hominum poſcere auſus eſt, qua de re quiſque audire vellet) de quouis ſubiecto ſermone abundè quis valeat diſſerere, atque inuenire quadam artificioſa nominum ac verborum perturbatione, atque in vtranque partem de omni ſermone curioſo

hoc

hoc pluſquã eleganti artificio, garrula loquacitatis oſtentatione diſputare, neq; vllum vincendi locum alijs relinquere, & res minutiſsimas & puſillas in immẽſum dilatare. Sed hæc altius repetere nõ eſt neceſſe, nos ampla ſatis cõmentaria in hanc artem dedimus alibi: verùm nolo hæc alicui fucum faciãt in artificio admodũ leui, quod etſi eiusdem extollere viſi ſumus, tamẽ res ipſa palã ſe facit, vt opus nõ ſit circa hãc magnopere depugnare, hoc autẽ admonere vos oportet, hanc artẽ ad pompã ingenij & doctrinę oſtẽtationẽ potiꝰ, quã ad cõparandã eruditionẽ valere, ac longè plus habere audaciæ, quã efficatiæ. Eſſe præterea totã ineruditã ac barbaram, niſi elegantiore quadam literatura adornetur.

DE ARTE MEMORAtiua. Cap. X.

His artibus adnumeratur etiã memoratiua, quę (vt ait Ciceꝛo

cero) nihil aliud est quã inductio quę dã,& pręceptionis ratio,locis & imaginibus tanquã mẽbrana cõstans.& characteribus,à Simonide Melitone primùm excogitata, deinde per Metrodorum Sceptium perfecta,ipsa tamẽ qualisqualis sit, sine naturali memoria, persistere minimè potest, quã tot fæpissimè mõstrosis obtundit imaginibus vt pro memoriæ tenacitate maniã & phrenesim nonnunquam inducat, dum videlicet naturalem memoriam innumerabilium rerum ac verborum imaginibus prægrauans,naturæ finibus nõ contentos,arte insanire facit. Hãc itaque cùm Simonides aut alius quiuis Themistocli obtulisset,ait ille: obliuionis mallẽ, nam multa memoro quæ nollem, obliuiscinon possum quæ vellem. Et Quintilianus de Metrodoro: Vanitas,inquit, nimirum fuit atq; iactatio, circa memoriã suã,potius arte quàm natura gloriantis. Scripserunt

arte quá natura gloriátis. Scripſerunt de ea Cicero lib. Rhetoricorũ nouorũ,& Quintil. in inſtitutiõibus,& Seneca: & ex recẽtioribus Frãciſco Petrarcha,Mareol. veronẽſis,Petro Rauẽnas,& Hermãno Buſchius,& alij,ſed indigni catalogo, obſcuri homines permulti &,multi hanc quotidie profitẽtur, ſed nõ reperitur,q in ea multùm proficiat,& magiſtri eius pro lucro infamiã ſæpe reportant. Solẽt enim in gymnaſijs plerunq; huio artis profeſsione nebulones quiddam ſcholaribus imponere ac rei nouitate pecuniolã ab incautis emungere: deniq; puerilis gloria eſt oſtentare memoriam: turpe & impudentis eſt,multarum rerũ lectionẽ inſtar mercimoniorum ante fores expli care,cùm interim vacua domo ſit.

DE MATHEMATICA in genere. Cap. XI.

Sed tempus eſt nunc de mathematicis diſciplinis dicere,quæ mul-

multo omnium certissimę putantur, omnes tamen nō nisi in doctorum suorum, quibus plurima fides datur, opinionibus consistunt: qui etiam in illis non parùm erraruntquod & Albumasar vnus eorum nobis attestatur, inquiens: Antiquos etiam vsque post Aristotelis tempora non planè mathematica sciuisse, cumque omnes hæ artes circa sphæricam seu rotundam, siue figuram, siue numerum, siue motum potissimè versentur, fateri tandem coguntur, perfectè rotundum seu sphæricum nusquam, neque secundum artem reperiri, neque secundum naturam. Atque hæ disciplinæ licet vel paucas, vel nullas in ecclesia hęreses dederint, tamen quod ait August. nihil ad salutem pertinent, sed magis in errorem mittunt, & à Deo auocát, atq. (vt ait Hieronymus) non sunt scientiæ pietatis.

DE

DE ARITHMETICA. Cap. XII.

INter has prior est Arithmetica, hoc est numerorum disciplina, quæ matris quodámodo ad cæteras obtinet vicem, non minus superstitiosa quàm vana, ac propter vilem numerandi practicam, non nisi à mercatoribus auaritiæ causa in precio habitam: tractat enim de numeris & eorum diuisionibus, quis par, quis impar, quis pariter par, quis pariter impar, quis impariter par, quis superfluus, quis diminutus, quis perfectus, quis compositus quis incõpositus quis per se, quis ad alium. Item de proportione & proportionalitate, earundemque speciebus: De numeris harmonicis & geometricis, deque varijs numero rum passionibus & minutijs atque modo supputandi.

DE

DE GEOMANTIA. Cap. XIII.

DEniq; arihmetica hæc nobis geomanticá, diuinationẽ, & præueſtinas teſſeras, & talos, & ale as, & quicquid eſt eiuſmodi nume ralium ſortilegorũ progenuit: quá uis geomantiá omnes ferme aſtro logiæ adoptent, ob parilẽ iudicádi rationẽ tum quia vires eius non tá ex numero, quá ex motu eliceãt, iuxta illud Ariſtoteles dictum in primo metorum : Motus cœli eſt perpetuus, & eſt principium & cauſa omnium motuum inferio rũ. Scripſerunt autẽ de hac ipſa ex antiquioribus, Hali: ex recẽtio ribus Gerardus Cremonẽſis, Bar tholemæus Parmenſis, & quidam Tundinus, ſcripſi & ego quandá Geomantiá ab alijs longè diuer ſam, ſed nó minus ſuperſtitioſam, fallacemque, aut ſi vultis, dicá etiá mendacem.

DE ALEATORIA.

CAP. XIIII.

ARs itē aleatoria, & ipsa tota sortilega est, cuius quantò quis studiosior, tantò erit & nequior & infelicior, dum alieni concupiscentia sua profundit, nec vel patrimonij vllam reuerētiam tenet. Hæc ars mendaciorum, periuriorum, furtorum, litium iniuriarum, homicidiorumque mater est, verè malorum dæmonum inuentum, quæ excisō Asiæ regno inter euersæ vrbis manubias varia sub specie migrauit ad Græcos. Hinc tesseræ, calculi, tricolus, lenio monarchus, orbiculi, thaliorchus, vulpes, præterea octoedron, duodecacedron, quibus nōnihil diuinationis inesse putatur. Sunt & qui dicant Attalum Asiaticum artē hanc inuenisse, & ab artificio numerandi excogitasse: è Romanis verò memoriæ proditum est. Claudiū Imperatorē de illa librum cōposuisse, cu-

cuius ipse atq; ante eum Augusto Cęsar ambo studiosissimi cupidissimiq; extiterunt. Ars tota infamis & omnium gentium legibus interdicta, quin & Cobilon Lacedæmonius iungendę societatis causa Corinthum legatus missus, cũ duces, ac seniores Corinthiorum inuenisset in alea ludentes, infecto negocio redijt, dicens: nolle se Spartanorum gloriam hac infamia maculare, vt dicerentur cum aleatorib. societatem contraxisse: tanto probro apud maximos quosq; habita est. vt regi Demetrio in leuitatis opprobrium taxilli aurei à Parthorum rege missi sint: atq; tamen hodie regum & nobilium hic exercitatissimus ludus est: quid ludus? imo sapientia eorum qui fuerint in hac ad fallendum damnabilius instituti.

DE SORTE PYTHAgorica. CAP. XV.

NEC illud prætereundũ censeo, quod asserebãt Pythagorici, & quod alij putãt, ipse etiá credidit Aristoteles, literarum elemẽta certos suos possidere numeros, ex quibus per propria hominum nomina diuinabãtur, collectis in summá cuiuslibet literarum aumeris, quibus collatis, palmá illi tribuerũt, cuius summa alterá excesserat, siue de bello, siue de lite, siue de cõiugio, siue de vita aut alia consimili re quæsitum foret: eaque ratione dicunt Patroclum ab Hectore victum, illum verò ab Achille superatum, quam rem Terentianus traditijs versibus. Et nomina tradunt ita literis facta.

Hęc vt numeris pluribus, illa sint minutis.
Quandoque subibunt dubia periculą pugnę.

Ma-

Maior numerus quasteterit, fauere palmam. Heroscopio per
Pręsagia lethi minima, patere sum ma. sortes.
Sic & Patroclem Hectoris manu periisse.
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.

Et sunt qui simili computo promittunt sese horoscopia inuenturos, sicut de ijs tradidit, nescio quis, nomine Alchandrius, obscurus philosophus, quem ferunt discipulum fuisse Aristotelis. Et narrat Plinius Pytagoræ inuentis etiam illud attribui, proprium nominum imparē vocaliū numerū, orbitates oculorū, claudicationes, consimiles ue casus portendere.

AD HVC DE ARITHMEtica. Cap. XVI.

SEd ad Arithmeticā redeamꝰ: hanc Plato à malo dæmone Arithmetica.
vna cum talorum & alearum ludo

primum mõstratam ait. Et Lycurgus magnus ille Lacedæmoniorũ legislator, illam ceu turbulentam è republica sua ejciendam cẽsuit. Vacuũ enim & inanem laborem deposcit, & ab vtilibus honestisq; negocijs homines abstrahit, ac de rebus futilibus sæpe magnis iurgijs contendit. Hinc illud Arithmeticorum irreconciliabile bellum, vter numerus par an impar præferendus sit: quis inter ternarium, senarium, denarium, numerus sit perfectior. Item quis numerus dicitur pariter par, circa cuius diffinitionem Euclidem ipsum Geometriæ principem, non parùm errasse contendunt. Prętereà non facilè dixerim, quæ Pythagorica mysteria, quas magicas vires numeris inesse somniant, etiam ab ipsis rebus nudatis: dicereq; audent, nisi illis instrumentis exemplaribusq; mundum à Deo creatum iri non potuisse ac diuinorum omnium co-

cognitionem in numeris tanquam in regula omnium certissima contineri. Hinc orti sunt Marci magi, & Valentini hæreses in numeris fundatæ, & ex numeris progressę, qui diuinam religionem & innumerabilia diuinæ veritatis secreta, sese per frigidissimos numeros posse inuenire & enunciare præsumebant. Accedit istis Pythagorica retractis inter sacramenta habita, & alia plura ijs similia, quæ omnia vana, ficta & falsa sunt, nec quicquam veri supereſt arithmeticis illis, nisi insensatus ac inanimatus numerus, atque tamen hinc sese diuinos homines agere arbitrabantur, quod sciant numerare, sed hoc ægrè illis concedunt musici, hunc honorem suæ harmoniæ libentius deferentes.

DE MVSICA.
CAP. XVII.

DE musica igitur iã nobis sermo esto, de qua ex Græcis copiose scripsit Aristoxenus, qui & animam musicam esse dixit, cuius documenta Boëthius deinde latinis tradidit: dico autem illam quæ in vocum ac sonorum modulatione consistit, non eam quã de metris & rythmis ac carminum fictionibus nuncupant, quæ poesis est, quæ autore Alpharabio, nontã speculatione ac ratione, quàm furoris insania fertur, de qua superius diximus: verũ eam quæ de modulationibus est, qui est concẽtus neruorum, aut vocum in suos modos sine aurium offensione consonantium: agit enim de sonis, de interuallis, de sistemat s genere, de tono, de commutationibus ac modulationibus. Hãc veteres diuisere in enharmoniacam, chromaticã, dia-

diatonicam: priorem autem (videlicet enharmoniam) ob nimis recóditam difficultatem pro impossibili eius indagine deseruere: alteram verò ob lasciuiæ infamiam asprnati sunt atque abdicarunt: tertiam verò speciem duntaxat (tanquam mandanæ compositioni cõformen persuasi) admiserũt. Sunt etiam ex veteribus, qui musicos modos, ex gentium vocabulis distinxerunt, vt in Phrygium, Lydium, Dorium, quos apud Polymestrem & Saccadam, Argiuum genere, fuisse antiquissimos constat, quibus Sappho Lesbya (vt inquit Aristoxenus) quartum videlicet mixolydium, superinstituit, cuius inuentorem alij Tersandrum, alij Pythoclidem tibicinem putãt, Lysias Lamproclem Athenien sem autorem posuit, atque hos quatuor modos veterũ autoritas celebres notauit, totumque astructionem encyclopædiam vocauerũt, quasi

sciẽtiarum orbẽ, quòd musica omnes amplectatur disciplinas, sicut ait Plato in primo de legibus, musicam sine vniuersa disciplina tractari non posse. Inter hos verò quatuor modos, Phrygiũ, quia distrahit & rapit animum, non probant, sed barbaricum Porphyrio illum vocat, quia ad furorem & pugnas excitandas tantùm commodum. Alij idcirco Bacchicum vocát, vti furibundum, impetuosum, & perturbatum: cuius modulatiõe, quá anapæsto pede declarant, Lacedæmonios & Cretenses ad arma concitatos legimus: eodem Timotheo Alexandrum regẽ ad arma incitauit, & Tauromitanq; iuuenis, narrante Boëthio, domũ in qua scortum latitabat, Phrygio sono excitus comburere festinauit. Lydiũ etiam Plato reprobat, vt qui acutus sit, & à modestia Dorij recedẽs, lamentationibus accommodus: verùm (vt quibusdam placet) etiam

ijs,

ijs, qui natura hilares & iucundi sunt, cõgruus. Hinc Lydos hilares & periucundos populos ijs modulationibus delectatos ferunt, quas etiam Tusci Lydorum progenies choricis saltationibus adhibebant. Dorium autem tanquam grauiorem honestioremque & omnibus modis modestum, ad grauiores animi affectus, & motus corporis aptum, & ad rectè ac bene viuendum vtilem, omnibus prætulerunt. ideo apud Cretenses, Lacedæmonios, Arcades, in magna veneratione habitus. Imperator quoque Agamemnõ ad bellũ Troianũ profecturus, Doricum domi reliquit musicũ, qui spõdęo pede mulierem Clytẽnestrã in pudicitia probitateq; conseruaret, quare nõ prius ab Aegysthio vocari potuit, quamuis musicũ prius è medio impiè fustulisset. Mixolydium verò tragœdijs & cõmiserationib9 congruum, incitationis & retractionis

efficatiam habere & mœroris imperium tenere dicũt. His quatuor modis sunt qui alios superadinuenerũt, vt quos collaterales vocant, videlicet Hypodorium, Hypodolydium, & Hypophrygium, vt sint septem totidem planetis correspõdentes, quibus Ptolemæus addit octauum hyppermixtolydiũ omnium accutissimum, firmamento attributum, verùm Lucius Apuleius primo Floridorum quinque modos describit, Aeolium hyastium varium Lydium querulum. Phrygium bellicosum, Dorium religiosum. His addunt alij Ionicum iucundum & floridum. A Martiano etiam, iuxta Aristoxeni traditionem quinque numerantur modi principales, & decem collimitij. Et licet hanc artem suauitatem non modicam habere fateantur, cõmunis tamen sententia est, atq; ipsa experiẽtia omnibus nota, esse illam vilium ac infelicis intemperan-

rantisque ingenij hominum exercitium, & qui nec incipiendi, nec finiendi rationem teneant: sicut de Archabio tibicine legitur, qui pluris conducendus erat vt desineret, quam cõducendus vt caneret. De quibus tam importunis musicis, sic ait Horatius:

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos,
Vt nunquam inducant animũ cantare rogati,
Iniusi, nunquam desistant.

Hinc musica ipsa ad precium & stipem semper vagabunda extitit, & lenociniorum clientula, quam nullus vnquam professus est vir grauis, modestus, pudicus, fortis: ideoque Græci illos communi vocabulo Liberi patris artifices, siue (vt Aristot.) dionysiacos technitas, hoc est, artifices bacchanales appellarunt, qui improbis esse moribus magna ex parte consueuerunt, vitam plurimum traducentes incõtinen-

tinenter, partim etiá cum inopia, quæ quidē vitia & gignit & auget. Persarum ac Medorū reges, musicos inter parasitos & histriones referebant, videlicet ex opere illorū voluptatem sibi capientes, ipsos autem actores cōtemptui habentes, atq; Antisthenes ille sapiens, cum audisset Ismeniam quendam optimum haberi tibicinem, homo nequam est, inquit: non enim si probus foret tibicen esset, nō enim, vt dicitur, ars est illa viri sobrij & probi, sed ocioſi & iocantis. Hanc Scipio Aemilianus & Cato tanquam à Romanis moribus alienam aspernabantur. Hinc Augusto atq; Neroni probro datum est, quod musicam auidius sectarentur. Sed Augustus correptus quidē abstinuit: Nero autem peramplius insequutus, ob hoc contemptui ludibrioq; habitus est. Philippus rex, cum audisset filium quodam loco suauius cecinisse, obiurgatus est: Nónne pu-

pudet, inquiens, quod tam bene scias canere? satis enim est super que principi viro canentibus alijs audiendi ocium superesse. Nó canit apud Græcos Poëtas Iupiter, nec pulsat citharam, docta Pallas detestatur tibias. Apud Homerũ pulsat citharœdus, præbent aures Alcyones & Vlysses. Apud Vergilium sonat & cantat Iopas, auscultant Dido & Aeneas. Alexandro Magno qnondam canente Antigonus pædagogus citharam fregit, abiecitque, inquiens, ætati tuę iam regnare conuenit, non canere. Sed & Aegyptij, teste Diodoro, musicam tanquã virorum animos effœminantem prohibebãt adolescentes suos perdiscere. Et Ephorus, teste Polybio, eam non nisi ad illudendos ac fallendos homines inuentã tradidit. At reuera quid inutilius, quid contemptibilius, quid fugiendum magis istis tibicinibus, cantoribus, ac reliqui generis musi-

musicis qui tot vocibus canentiũ, præcinentium, decinentium, intercinentium, occinentium, & concinentium vniuersarum auium garritus superantes, venenata quadá dulcedine, velut Syrenes hominũ animos lasciuientibus vocibus, gesticulationibus, ac sonis præstigiát atque corrumpunt? Quapropter Ciconum matres atq; nurus Orpheum ipsum ad Parcarum vsque inuidiam persecutę sunt, quod modulis suis mares effœminaret. Quod si fabulis quædam autoritas est, Centum luminibus cinctum caput Argus habebat, quæ omnia tamen vnius fistulæ modulo sopita sunt & extincta. Atq; tamen hinc plurimum gloriantur musici isti, quasi ipsi supra rhetores habeant mouendorũ affectuum imperiũ: quos insuper eò ipsa euexit insania, vt ipsos etiam cœlos canere affirment, vocibus tamen à nullo vnquam mortaliũ auditis, nisi fortè

quòd

quòd muſicis iſtis per ſuum Euouae, ſeu per temulentiam vel inſomnium innotuerunt. Nullus tamen muſicorum interim è cœlo deſcendit, qui vocum cõſonantias omnes nouerit, quique proportionum inductiones omnes inuenerit. Attamen dicunt artem eſſe cõſummatiſsimam, & quę omnes amplectatur diſciplinas, nec ſine vniuerſa diſciplina tractari poſsit, etiam diuinatiõis vim illi tribuentes, qua corporis habitudines, animiq; affectus & mores hominum per ipſam iudicentur. ſed & dicunt artem eſſe infinitam, nec vllo ingenio exhauriri poſſe, ſed indies illam pro cuiuſq; captu nouos dare modulos. Propterea q; non male Anaxilas: Muſica per deos, inquit, perinde atq; Libya ſemper quotannis nouam quampiam ferã parit. Hanc Athanaſius ob vanitatem ſuam interdixit Eccleſijs: ſed Ambroſius cæremoniarum & pompæ appeten-

tentior, ecclesijs instituit canẽdi & psallendi vsum. Augustinus verò in medio hærens, inde sibi haud nõ difficile dubium ortum esse in confessionibus suis meminit: hodie verò tanta in ecclesijs musicę licentia est, vt etiam vna cum missæ ipsius canone, obscęnę quæq; cantiuncułæ interim in organis pares vices habeant, ipsaq; diuina officia, sacrę & orationũ preces conductis magno ære lasciuis musicis, nõ ad audientiũ intelligentiam, non ad spiritus eleuationem: sed ad fornicariam pruriginem: nõ humanis vocibus sed beluinis strepitibus cantillant, dum hinniunt discantum pueri, mugiunt alij tenorem, alij latrãt contrapunctum, alij boant altum, alij frendent bassum, faciuntque vt sonorum plurimũ quidem audiatur, verborum & orationis intelligatur nihil, sed auribus pariter & animo iudicij subtrahitur autoritas.

DE

DE SALTATIONIBVS & Choręis. cap. XVIII.

AD muſicam ſpectat etiá ſaltationũ ſiue choręarũ artificiũ puellis amatoribusq; lõgè gratiſsimũ, & quod magna cura diſcunt, & in medias noctes ſine ſacietate protrahũt, ſummaq; diligentia obſeruant, vt ad lyrę tympaniq; ac tibiarum numeros, cõpoſitis geſtibus, moderatisq; inceſsibus ſaltent, ac rem omnium ſtultiſſimam & inſania quadam haud abſimilem prudentiſsimè, vt putant, ſcientiſsimeque peragant, quã niſi tibiarum concentus temperaret, & (vt dicitur) vanitas vanitatem commendaret, nullum choræis ſpectaculum ridiculum ac inconditum magis: hæc laxamen petulátiæ, amica ſceleris, incitamen libidinis, hoſtis pudicitię, ac ludo probis omnibus indignus: ſæpe ibi matrona, vt ait Petrarcha, diu ſeruatum decus perdidit, ſæpe infelix

vir-

virgũcula ibi didicit quod melius ignorasset, multarũ ibi fama perijt pudorque. Multæ inde domũ impudicæ, plures ambiguæ redière, castior autẽ nulla, pudicitiam choræis sæpe stratam, semperque impulsam oppugnatamq; videmus: laudarunt tamen hanc non nulli Græcorũ scriptores, sicut pleraq; alia fœda ac pernicioſa ipſaq; ſaltationum exordia è ſummis cœlis, è ſtellarum ſiderumq; lationibus. eorumq; greſſu & regreſſu, complexu ac ordine tanquam harmoniaca quadam cœleſtium choręa, vna cum mundi generatione diuinitus prodijſſe dicunt. Alij inuentũ eſſe Satyrum: Bacchum quoque hac arte Thyrrhenos, Indos & Lydos bellicoſiſſimos populos deuicisſe aiunt. Hinc tandem ſaltatio ipſa in religionẽ relata eſt, & à Corybantis in Phrygia, à Curetis in Creta, abs dea Rhea fieri iuſſa eſt, & in Delo nulla ſacra peragebantur cui

ſal-

saltatio non fuisset adhibita, nec vl
læ vnquam celebratæ festiuitates
& cæremoniæ citra saltationem.
Indorum quoq; Brachmanni ma-
nè & vesperè ad solem conuersi,
saltantes illũ venerabantur. Apud
Aethiopas etiam, & Aegyptios, &
Traces, & Schytas saltatio inter sa
crorum cæremonias habita est,
quippe quæ ab Orpheo & Musæo
optimis saltatoribus cõstituta fuis
set. Erant etiam apud Romanos
sacerdotes Salij, qui in honorẽ Mar
tis saltabant. Lacedæmonij Grę-
corum præstantissimi, cum à Ca-
store & Polluce saltare perdidicis-
sent, omnia saltationibus peragere
soliti sunt. In Thessalia tãto in pre-
cio habita est, vt populi præsides
& antesignani præsaltatorum no-
mine honorarentur. Ipse etiam So
crates vir omnium sapientissimus
ab oraculo iudicatus, illam iam na.
tu grandior discere non erubuit,
quin & summis laudibus extulit,
&

& inter ferias disciplinas numera uit, visaq; illi res grauior quàm vt de ea rectè pronũciari possit, quæ tota diuina cum mundi generatione nata esset, & cum Amore Deo vetustissimo in lucem prodierit. Sed quid mirum, sic à Græcis philosophari, qui adulteria, qui stupra, qui paricidia, deniq; nullum non facinꝰ in Deos referunt autores? Complures de saltatione libros scripserunt, qui omnia genera eius & species numerosq; comprehenderunt, earundemque nomina percensuerunt, & cuiusmodi vnaquæque illarum esset, à quo autore inuenta: quare de illis plura hic dicere supersedeo. Romani veteres viri prudentia & autoritate graues saltationes omnes repudiârũt, nec vlla penes eos honesta matrona saltasse laudatur. Hinc Salustius improperat Semproniæ, quòd cãtasset, saltassetque doctius quàm cõueniret probæ: quin & Gabinio

viro consulari, atq; M. Cælio nimia saltandi peritia probro data est, & M. Cato L. Murenæ, quòd in Asia saltasset, pro crimine obiecit, cui patrocinatus Cicero, id vt rectè factum defendere non est ausus, sed cõstanter factum pernegauit. Nemo, inquiens, saltat sobrius, ni fortè insaniat, neque in solitudine, neque in cõuiuio moderato, atque honesto, intempestiui cõuiuij, immoderati ioci, turpium deliciarũ comes est extrema saltatio. Itaque saltationem necesse est omniũ vitiorum esse postremum: neque verò facile dictu, quæ mala hìc visus hauriunt & auditus, quæ pariant colloquia & tactus. Saltatur incõditis gestibus, & mõstroso pedum strepitu, ad molles pulsationes, ad lasciuas cãtilenas, ad obscæna carmina, contrectantur puella & matronæ impudicis manibus & basijs, meretricijsque complexibus: & quæ abscondit natu-

tu-

tura, vel auit modestia, ipsa lasciuia tunc sæpe nudantur, & ludi tegmine obducitur scelus Exercitiũ profectò non è cœlis exortum, sed à malis dæmonibus excogitatum in iniuriam diuinitatis, quando populus Israël erexit sibi vitulum in deserto, cui cùm sacrificassent cœperunt edere, & bibere, & postea surrexerunt ludere, & cantantes saltabant in chorũ. Hæc de choræarum saltationibus satis.

DE GLADIATORIA. CAP. XIX.

Saltatio gladiatoria.

NEq; tamẽ me præterit hoc loci esse adhuc alia pleraq; saltationum genera à priscis scriptoribus celebrata, quorum maxima pars hodie obsoleta est, pars adhuc in vsu est, vt saltatio armata, gladiatoriæ, chironomiæ ac militiæ accommoda, tragicum profectò artificium, quo hominem innoxium occidere ludus est: ac lethale vulnus excepisse paulo cunctan-

tius, summa infamia. Execrádum omnibus artificium, cuius stultitię iuxta est impietas, & omnia eiusmodi saltationum genera, vt sunt vanitatis & impudētiæ plena, non tā vituperanda sunt, quā execranda, eò, quod non aliud doceāt, quā mirificos quosdam ritus, quomodo insanire oporteat.

DE HISTRIONICA.

CAP. XX.

HIstrionica autem saltratio imitationis & demonstrationis artificiū est, res mente conceptas decenti gesticulatione explicans: tā clarè & perspicuè mores & affectus omnes repręsentās, vt spectator omnis histrionē quāuis nihil loquentem, ex plurimis morib. & gesticulationibus clarè intelligat. Tātum prętstat histrionica, vt nullis prorsus sit opus interpretibus, tam aptè enim senem, puerum, mulierem, seruum, ancil-

Iam, temulentum, iracũdum, omniumq; personarũ differentias & affectus iucunda gesticulatione repręsentat, vt etiam è longinquo spectator nõ audiens fabulam, ex sola histrionis saltatione illius intelligat argumẽtum. Hinc histriones non parùm in precio habitos legimus, constatque, referente Macrobio, Ciceronem cum Roscio histrione, qui etiam Syllæ dictatori charissimus fuit, contendere solitum, vtrum ille sępius eãdem sententiam varijs gestibus efficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diuerso pronunciaret quæres Roscium induxit, vt librũ conscriberet, in quo eloquẽtiam compararet cũ histrionica. Verũ Massilienſiũ ciuitas, teste Valerio, tantę grauitatis custos extitit, vt nullum aditum histrionibus daret, nec minus, quia eorum argumenta magna ex parte stuprorum continẽt actus, ne talia spectandi consuetu-

suetudo, imitandi etiã licentiã faceret. Proinde verò exercere histrionicam non solùm turpis & scelesta occupatio est, sed etiam conspicere & delectari flagitiosum: siquidem & lasciuientis animi oblectatio cadit in crimen. Nullum denique nomen olim fuit infamius quàm histrionum, ac legibus ipsis arcebantur ab honoribus, quicunque fabulam saltassent in theatro.

DE RHETORISMO. Cap. XXI.

ERat & saltatio rhetorica, histrionicę nõ dissimilis sed remissior, quã Socrates, Plato, Cic. Quintil. ac Stoicorum plurimi ad: modum vtilem, ac oratori perquã necessariã arbitrati sunt: quarenus apto quodam corporis gestu, vultus & corporis cõpositã adformatione cõstat: tum vigore oculorũ, pondere vultus, accommodatoq; singulis verbis ac sententijs sono,

vocis cum efficaci corporis motu ad ea quæ exprimuntur, sed gesticulatione tenus. Hæc autem saltatoria siue histrionica rhetorica: porrò apud quosq; oratores tandem exulare cœpit, admonente Tiberium Augusto, vt ore, non digitis loqueretur, & iam in totum sublata est, duntaxat à scenicis aliquot fraterculis adhuc colitur (quamuis olim ab ecclesia histriones etiá sacro Communionis sacramento illis denegato depulsi essent) quos hodie aliquos videmus mira vocũ contentione, vultu multiformi, oculo vago & petulanti, iactatis brachijs, saltantibus pedibus, lasciuientibus lumbis, ac varijs motibus, inuersionibus, circunductionibꝰ, resupinationibus, saltibus, gesticulante toto corpore, animi videlicet mobilitate ipsum secum voluente, populares conciones ad plebem à suggesto proclamare: memores fortasis Demosthenis sententiæ, qui

qui(vt est apud Valer.) interrogatus quidnam esset in dicendo efficaciſsimũ, reſpondit: hypocriſis iterum, deinde, & tertiò interrogatus, idem dixit, ac pene totam dicendi vim huic deberi: ſed ne à matheſi lõgius progrediamur, ad Geometriam nunc properemus.

DE GEOMETRIA.

CAP. XXII.

IPſa Geometria, quam Philo Iudęus principem & matrem omnium diſciplinarum appellat, hanc præ cæteris diſciplinis laudem habet, quod quum inter omnium fere me diſciplinarum ſectas magna & innumera ſunt certamina, geometræ omnes vndiq; ſibi conſonãt: nec aliqua vnquã de illa inter ipſos eſt cõtentio, niſi quòd de punctis, de lineis, de ſuperficiebus adhuc diſputant, ſintne hæc diuiſibilia, an indiuiſibilia, cæterum non diſcrepant ab inuicem, nec doctrina, nec

traditione. ſed quiſq; alterum nouis vel ſubtilioribus inuentis, & quę nunquam quiſquá excogitauit, nititur ſuperare. Nullus tamen geometra adhuc circuli verá quadraturam inuenit, nec coſtę ęqualem lineam dedit: licet Archimedes Syracuſanus hęc ſe quondam inueniſſe putabat, & multi poſteri vſque in hęc tempora idipſum, ſed fruſtrá quodámodo conati ſunt, licet proxima dixiſſe videantur. Ea tamen eſt eorum ambitio, vt prorum traditionibus nunquam acquieſcát, ſed in talibus amplius aliquid, quàm magiſtri eorum inuenire putantes, ſeipſos in tantam inſaniam agunt, quá vniuerſæ terræ elleborum non ſufficiat expurgare. Ab ipſa autem geometria vltra hoc, quòd lineamenta, formas, interualla, magnitudines, corpora, dimenſiones atq; pondera rimatur, dependẽt quæcunq; organica ingenioſa opificia artificioſaq; inſtru-

ſtrumẽta maganaria, machanopoetica, poliorcetica tam bellorũ, quàm architecturæ, cæterorumq; vſibus accõmoda, vt arietes, teſtudines, cuniculi, catapultę, ſcorpiones, exoſtræ, ſambucæ, ſcalæ, tolleones, turres ambulatoriæ, heliopoles, naues, triremes, pontes, molæ Item bigę, trigę, quadrigæ, trocleæ, cliclocleæ, rotæ, vectes, & quibuſcunq; immania pondera vi minima trahuntur, aut attollũtur. Prętereà quęcunq; aut pondere, aut aqua, aut ſpiritu, aut neruis & funiculis conſtant, ſicut horologia, quę põdere gradiũtur, & quę ventorum impulſu reſonant organa, etiam quęcunq; hydraulica & ſpiriſtica inſtrumẽta, & quę ex his etiam non niſi ad voluptatem, admirationemq́ue fabricata ſunt, vt pilæ ſponte ſaltantes, lucernæ ſuas ſibi producentes ſtupas, & oſcula ſeu cucurbitæ ſponte ignem ſufflantes, & quale

Politianus narrat animal, quod dũ secatur in mensa bibit interim, viuentisque repręsentat motus atq; voces. Cuiusmodi fortè artificio narrat Mercurius Aegyptios Deorum confinxisse simulacra, vt articulatam promerent vocem, atque progrederentur. Ille etiam Architas Tarentinus, ligneam columbam sic geometricis rationibus cõstruxit, vt surgeret in altum, & volitaret. Iam verò & Archimedes primus æneum cœlum tanto artis opificio fabricasse legitur, vt inibi planetarum omnium motus planissimè deprehenderentur, simulque singularum cœlestium sphærarum vertigines. cuiusmodi etiã proximis his diebus fabricatum vidimus. Ex hac arte simul prodeũt tormentorum varia genera, & bõbardæ, cæteraque instrumenta igniuoma, de quibus ego nuper sub titulo pyrographiæ specialem librum composui, cuius nunc tandem

dem pœnitet, quum nihil nisi pernicioſiſsimum magiſterium doceat. Denique quicquid artificij eſt in pictura, in coſmemitria, in agricultura, in arte bellica, in fuſoria, in plaſtica, in ſtatuaria, in fabrili, in architectura, in metallica, totum hoc vel potiſsimum à geomatria eſt.

DE OPTICA VEL PERSPECTIVA. CAP. XXIII.

A geometria itaque proxima eſt optica, quá vocant perſpectiuá: deinde coſmimetria, atque architectura. Perſpectiua autem ſiue optica hæc triplicem videndi rationem, directam, reflexã, refractamque pertractat: quid lux, quid vmbræ, quid interualla edocet: cauſasque viſibilium, quæ per interualla falſa videntur, deprehedit: radiorumque proiectiones inquirit, per vnum ſeu plura perſpicua ſuper diuerſas corporum figu

ras: tum vmbrarum & lucis figura tionis, atque quæ rebus, quæ visui, quæ medio accidant, atq; quomodo res & visio ex medij diuersitate vario modo afficiatur, commonstrat. De ratione autem videndi, variæ & dissonæ opiniones sunt: nam Plato secundum conclaritatem visum fieri arbitratur, videlicet ea quæ ex oculis est, luce defluente ad vnum extrinsecũ aërem, ea quæ à corporibus est luce obuiá relata: ea verò quę circa aërem medium est, facile effusibili vertibiliq́ue coextentę igniformi visus virtuti. Galenus concorditer sentit cum Platone: verùm Hipparchus ait, radios ab oculis extẽsos vsque ad corpora ea, quasi palpitatione quadam tangentes, susceptionem eorum ad visum reddere. Epicurei autem simulacra eorum, quæ apparent, sese oculis ingerere affirmãt. Aristoteles autem simulachra nõ quidem corporea, sed secundũ qua-

qualitatē per alterationē aëris; quę in circuitu est, à visibilibus vsq; ad visum deuenire cēset. Porphyrio verò neq; radios, neque simulacra, neque aliud quicquā videndi causam ait, sed animam ipsam seipsam cognoscentem visibilē, & quę vna est omnium, seipsam in omnibus, quæ sunt, cognoscere. Verū geometræ & optici Hipparcho quodā modo accedētes, conos quosdā ex coincidētia radiorū factos subscribunt, quæ per oculos emittuntur: vnde multa simul visibilia cōprehendere visum, sed illa certissima, vbicunq; radij coincident. Sed enim Alchindus de aspectibus omnino docet aliud, verum Augustino videtur, animę potentiā in oculo aliquid efficere, quod à sapiētiæ studiosis nec dū sit perquisitū. Hæc itaque scientia ad deprehendendum cœlestium corporum varietatem, distantiam, magnitudinem, motum, eorumque reflexio-

xiones & refractiones, permultũ conducit, architecturæ etiam in metiendis ædificijs inseruit. Proximè tamen pingendi artificio, atque speculorum fabricæ plurimũ confert ornamenti, vt sine ipsa hæ artes perfici non possint. monstrat enim qua ratione, nec abnumera, nec deformia fingamus in imaginibus, quæ cernuntur interuallorũ & altitudinum causa.

DE PICTVRA.
CAP. XXIIII.

PIctura itaque ars montrosa, sed imitatione rerum naturalium accuratissima, lineamentorũ descriptione, & colorum debita appositione constans hęc olim tãto in precio fuit, vt primum gradũ liberalium artium obtineret. Ipsa verò non minus libera est, atque poëtis, sicut bene cecinit Flaccus.

pictoribus atque poëtis,

Quæ.

Quælibet audiendi semper fuit ęqua potestas.

Dicitur enim pictura non aliud, quam poësis tacens: poësis verò pictura loquens: tam sunt sibi inuicem affines. Nam sicut poëtæ, sic pictores historias & fabulas fingunt, omniumque rerum imagines, lumen, splendorem, vmbras, eminentias, depressiones exprimunt. Illud præterea ex ipsa optica habet pictura, vt visum decipiat, ac in vna imagine variato situ, plures species intuentium oculis obfundat: & quò statuaria pertingere non potest, ipsa peruenit: pingit ignem, radios, lumen, tonitrua, fulmina, fulgura, occasum, aurorá, crepusculum, nebulas, hominisq; affectus, sensus animi, ac pene vocem ipsam exprimit, & mentitis dimensionib. commensurationib. quæ non sunt, tanquá ea quę sunt, aut quæ non ita sunt, ita tamen videri facit. Quemadmodũ de Zuxi

&

& Parrhasio pictore narrât historici. qui quũ de artis prærogatiua veniſſent in certamen, & prior detuliſſet vuas pictas tanta ſimilitudine, vt aues aduolarent: alter detulit pictum velum, ſic veritatem mentiens, vt ille auium iudicio tumens poſtularet, deducto velo oſtendi picturam: tandem agnito errore, coactus eſt illi palmam deferre, quum ipſe aues fefelliſſet, Parrhasius verò artificem. Et narrat Plinius in Iudis Claudij fuiſſe picturæ admirationem, quum ad regularum ſimilitudinem corui decepti imagine aduolarunt. Iam vero & celebri Triumuirtu, narrante Plinio, experimento cõpertum eſt, auium cantus depicto draconе cohibitos. Habet inſuper hoc pictura, vt in omnibꝰ ſuis operibus plus ſemper intelligatur, diiudiceturq́; quàm conſpiciatur: ſicuti diligentiſsimè hæc ſcrutatus eſt Plutarchus in ſuis Iconibus.

quum

quumque ars summa sit, ingenium tamen vltra artem est.

DE STATVARIA ET PLASTICA. Cap. XXV.

PIctura comitatur statuaria & plastica, fusoria & criptica, importuni ingenij artificia, quę tamē etiā sub architectura comprehendi possunt. Statuaria ex lapide, ligno, ebore, rerū idola fabricat: eademq; ex gleba fingit plastes. Ars autem fusoria, hæc in proplaste, ex ære aliisq; metallis exprimit. Cripticus verò lapidibus & gēmis insculpit. Scripsit de istis è recentioribus Pomponius Gauricus, verū omnes hę artes pariter cum pictura ad ostentationem & libidinem, superstitionemque à malis puto dęmonib. repertę sunt: cuius artifices fuerūt, qui primi, iuxta verba Pauli, cōmutauerunt gloriā incorruptilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, &

volu-

volucrum, & quadrupedũ & ser-
pentum: qui contra diuinum præ-
ceptũ vetans idolum sculptile & si
militudinem, tam eorum quæ in
cœlo sursum, quàm quæ in terra
deorsum, fieri odiosissimam Deo
idololatriam introduxerunt, de
quibus ait Sapiens: Idolum ipsum
maledictum est, & qui fecit illud,
& quod factum est, tormenta pa-
tientur. Vanitas enim hominum,
vt ait idem, inuenit artes istas, in
tentationem animæ hominum, &
in decipulam insipientium: & ad-
inuentio illarum, corruptio vitæ
est. Nihilo minus tamen nos Chri
stiani præ cęteris gentibus sic desi-
pimus, in hanc vitæ & morum cor
ruptelã, vt vbiq; in atrijs, in domi-
bus, in cubiculis tenere nó pudeat,
quo lasciuis imaginibus nostrę ma
tronæ filiæque ad lasciuiam inui-
tentur: quinetiam hæc in templa,
in sacella, in aras Dei, magnis vene
rationibus traducimus non absq;
ido-

idololatriæ periculo, sed hoc latius in religione disputabimus. Verũ inesse picturis atq; statuis non cõtemnẽdam autoritatem, ego olim in Italia didici: nam quum fratres Augustiniani cũ Canonicis Regularib. coram Romano Pontifice de Beati Augustini habitu, videlicet nigrámne ille stolam super alba tunica, an candidam super nigra induisset, pertinaciter litigarent: atq; ex scripturis, quod ad hanc litem dirimendam faceret, nihil compertum haberetur, visum fuit Romanis iudicibus, rem omnem ad pictores & statuarios delegare, vt quod illi ex vetustis picturis atque statuis adsererent, sententiæ haberet vigorem. Hoc exemplo cofirmatus ego, quum aliquando indefatigata diligentia monachalis cucullæ originem inuestigarem, nec quicquam inde ex scripturis inuenire potuissem, tandem ad pictores me contuli, atque in istis fratrum

trum procœſtrijs atque porticibus, vbi vtriuſque teſtamenti hiſtoriæ, vt plurimum depictæ cernũtur, rem perquiſiui. Ceumq; in toto veteri teſtamento nullum ex patriarchis, neq; ex ſacerdotibus, neq; ex prophetis, neq; ex leuitis, neque Heliam ipſum, quem licet Carmelitæ ſibi faciunt patronum, inueniſſem cucullatum: nouum Teſtamentum adgreſſus, inueni illic Zachariam, Simeonem, Ioannem Baptiſtam, Ioſeph, chriſtum, Apoſtolos, Diſcipulos, Scribas, Phariſęos, Pontifices, Annã, Cayphã, Herodem, Pilatum, & pleroſque alios, nullam vſpiam conſpexi cucullam: rurſusque ab initio omnia & ſingula diligẽter examinans, mox in ipſa fronte hiſtorię ſeſe offert cucullatus diabolus, ille videlicet, qui erat Chriſtũ tentans in deſerto. Gauiſus ſum plurimum reperiſſe me in picturis, quod hactenus nequiui in literis,

dias

diabolum ſcilicet fuiſſe primũ cucullæ auctorẽ, à quo deinceps puto cæteri monachi & fratres hanc ſub diuerſis coloribus mutuarũt, aut fortè velut hęreditariò ſibi relictam acceperunt.

DE SPECVLARIA.

Cap. xxvi.

SEd nunc ad opticam reuertamur, quę etiam ſpeculorũ artificio plurimo eſt adiumento, omnium illorum affectiones & impoſturas indicans: quorum experimẽta patent in varijs ſpeculorũ generibus, vt ſunt caua, conuexa, plana, colũnaria, pyramidalia, turbinalia, gibboſa, orbicularia, angularia, inuerſa, euerſa, regularia, irregularia, ſolida, perſpicua. Sic legimus, narrante id Cælio, in antiquis lectionib. Auguſti temporib. Hoſtiũ virum quendã, ſed obſcœnitatis facilè principẽ feciſſe eius notæ ſpecula, quæ imagines longè maiores redderent, vt digitus brachij

chij menſuram & longitudine & craſsitudine excederet. Fit quoq; ſpeculum, in quo quis alterius videt imaginem, non ſuam. Et aliud quod in certo loco poſitum, nihil imaginetur: alior ſum verò tranſlatum, facit imagines. Item quod vniuerſas reddat imagines, & quod vnius rei plures reddat imagines. Et aliud, quod contra aliorum ſpeculorum morem dextrum reddit dextro & ſiniſtrum ſiniſtro. Et fiunt ſpecula cõburentia anterius & poſterius, atq; aliud quod ſuſceptã imaginem non intra ſe repræſentat, ſed remotius extra ſe in aëra reijcit, ibique tanquam aëreum ſimulachrum apparere facit, ignemque collectis in ſe Solis radijs, per remota ſpatia in quodcunq; combuſtibile potenter incutit, & eiuſmodi plura, qualia vidimus aliquãdo, & fabricare nouimus. Habent etiam perſpicua ſpecula ſuas impoſturas, videlicet vt rem magnã appa-

apparere faciant paruam: & contrà, quę minima sunt, apparere magna: & quæ remota sunt, propinqua: aut quæ propinquà sunt, videantur remota: quæ infrà pedes, sursum: & quæ supra nos sunt, hęc infima, alióue situ sese conspectui nostra offerát. Sũt & per quę vna res videtur plures, & alia, quæ res ipsas diuersis coloribus, vt in iride, aut sub diuersis dissimilibusque figuris decepto visu repręsentant, & ijs similia. Et noui ego fabricare specula, in quibus lucente Sole, omnia quęcunque illius radijs illustrantur per remotissima spatia: puta trium aut quatuor miliarium, plenissimè conspiciuntur: Est & illud in planis speculis mirandum, vt quanto minora sunt pro eorum modulo, rem repræsentent se ipsa minorem: quantumcunque autem maxima, nunquam tamè rem ipsam se ipsa reddent maiorem, quod considerã-

rans Augustinus ad Nebridiũ scribens, aliquid occultum illic latère putat, atque tandem omnia vana & superuacua sunt, nec nisi ad ostentationem & ociosam delectationẽ adinuenta. Scripserunt de speculis cùm Græci, tùm Latini perplures: præstat autem omnibus vnus Vitellius.

DE COSMIMETRIA.

Cap. XXVII.

DEInceps nunc Cosmimetriam paucis discutiamus atque hæc in cosmographiam & geographiam diuidiur, vtraque orbem mensurat atque distinguit, sed prior iuxta cœlestium rationem ex illorum distinctione, terrarum & locorum illis subiectarum situs, per graduum & minutorum mensuras commensurat, rationesque climatum, dierum

que

que & noctiũ discrimina, ventorũ cardines, siderum varios exortꝰ, polorum eleuationes, parallelos & meridianos, gnomonum vmbras & quę ad hæc reliqua sunt, ad singula loca mathematicis rationibus edocet. Altera verò nulla adhibita cœlestium ratione, orbem per stadia & miliaria mensurat, ac per montes, syluas, lacus, flumina, maria, & littora distinguit, gentesque ac populos, regna, prouincias, ciuitates, portus, & quæ inter cætera memorabilia sunt, commonstrat.

Ac patrios omnes cultus habitusque locorum,

Et quid quęque ferat regio, & quid ferre recuset,

Explicat. Ac imitatione quadam picturæ, iuxta geometriæ & perspectiuæ rationes, orbem omnem

nem in globo vel plana tabula effingit.

Pingens in paruo totum volumine mundum.

Subijs generibus quidam chorographiam numerant, quæ partialia quædam loca seorsum explorando, perfectiore insuper & quasi consummata effigie depingit:

Ornatu vario partes distincta per omnes,

Vitibus & syluis pratorum fontibus agris,

Aequora quæque rigant humentia flumina, corpus,

Inque humiles premitur valles, vbi surgit in altum,

Verticibus celsis tollens ad sidera montes.

Hæc omnia & quę antea diximus, ipsa nobis cosmimetria pollicetur. Sed qui nos illam docturi sunt autores, inter se tantùm non vna discordia pugnant de limitibus, longitudinibus, latitudinibus, ma-

magnitudinibus, mensuris, distantijs, climatibus, eorundem habitudinibus, admodum à se inuicem discrepantes. Quæ aliter Eratosthenes, aliter Strabo, aliter Marinus, aliter Ptolemæus, aliter Dionysius aliter iuniores distinxere. Nec de terræ vmbelico inter eos conuenit, quem Ptolemæus sub æquinoctiali circulo collocat, Strabo Parnasum Græciæ montem credidit, cui assentiunt Plutarchus & Lactantius grammaticus, putãtes illum cataclysmi tempore, aquarum cœliq́ue fuisse discrimen. Quemadmodum de hoc canit Lucanus:

Hoc solum, fluctu terras mergente cacumen
Emicuit, pontoq́ue fuit discrimen & astris.

Quod si hæc ratio ad renuncian dum satis est, erit vmbelicus terrę non in Parnaso Græcię, sed in Gordico Armeniæ monte: qui, teste

Berosó, primus à diluuio emicans, arcam Noë excepit. Alij alia adferunt, & quomodo aquilarum volatu medium terrę inuentũ sit. Sunt etiam & Theologi, qui falcem suá in hanc messem mittentes, Hierosolymam mediũ terrę esse volunt, quia scriptũ sit per prophetá: Deus operatus est salutẽ in medio terrę. Accedunt ad hanc censurá Lucretius, Lactátius, & Augustinus, qui Antipodas tam constanter negarunt. Atque illi insuper, qui extra Europam, Asiam, Aphricá, aliũ habitabilem orbem inficiarũt, quæ tamen Hispanorum Lusitanorumque nauigationibus, posteris nobis secus comperta sunt, qui etiam totam sub Zodiaco Zonam contra poëtarum nugas, ac Aristotelis falsam opinionem, habitatam monstrarunt. Alios præterea geographorum plerosque errores, superius inter historicos recitauimus. Verùm hæc ars, dum terrá im-

immensam & inscrutabilia maria, insularumque & regionum omnium situs, limites & insignia, ac innumerabilium pariter gentiũ ignotas origines, ritus, mores, discrimina nos docere conatur, nullum alium fructum inde percipimus, nisi, quòd aliena auidius scrutamur, nosipsos discimus ignorare. Et, vt ait Augustinus in Confessionibus, Eunt homines admirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminũ, & Oceani ambitum, & gyros syderum, & relinquunt seipsos. Plinius quoq; insaniam esse dicit metiri terram, quam dum metimur, sæpissime mensuram egredimur.

DE ARCHITECTVRA.

Cap. XXVIII.

ARchitectura autẽ non dubium quin permultũ cõmodi, ornatusq; adferat & publicis & priuatis ędificijs: hæc parietes &

tecta pistrinas & vehicula, pontes & naues, phana, templa, delubra, mœnia, turres, & omnis generis machinas (quibus res hominum tam publicæ quàm priuatæ tuentur, ornanturque) nobis largitur, disciplina alioqui perneceſſaria & honeſta, ſi non admodum faſcinaret mortalium animos, vt nemo ferme reperiatur (modò facultates non deſint) qui non totus cupiat etiam bene conſtructis ſemper aliquid coædificare. Quo inſatiabili ædificandi ſtudio deſiderioque effectum eſt, vt huius rei nullus ſtatutus ſit modus, neq; finis, hinc abſciſſæ rupes, completæ valles, acti in planum montes, perfoſſa ſaxa, & adaperta maris promontoria, excauata terræ viſcera, deducta flumina, iuncta maribus maria, exhauſti lacus, exiccatæ paludes, coercita æquora, ſcrutataq; maris profunda, factę nouę inſulę, rurſusque alię reſtitutę continenti,

Quę

Quę omnia & his plura, quum cũ natura ipsa pugnent, sępe tamen non modicam vniuerso orbi commoditatem attulerunt. Sed comparemus his quæ nullo prorsus alio mortalibus sunt vsui, quàm quod ad mirâdum spectandumq;, & vt ait Plinius, ad ociosum & stultam pecunię ostentationem ingentibus sumptibus constructa sunt: cuiusmodi sunt Aegyptiorũ, Grę-corum, Hetruscorum, Babyloniorum ac cęterorum aliquot gentiũ superstitiosa operum miracula, labyrinti, Pyramides, obelisci, colossi, mausolęi, Rapsinatis, Sesostris, & Amasis monstrosę statuę, atque sphynx illa miranda, in qua rex Amasis conditus putatur. Erat enim, vt ait Plinius, à saxo naturali elaborata & rubrico: capitis mõstri ambitus per frontem, centum & duos pedes collegit: longitudo centum quadraginta tres. Sed & sunt his maiora, opus Memnonis

atque Semiramidis, in Bagistano Mediæ monte, vasta stadiorum septem & decem effigies: quæ tamè longè superasset, quicunque ille architectus fuit, siue Stesicrates, vt refert Plutarchus, siue Dinocrates, vt refert Vitruuius, qui ex Athos monte Alexandri effigiem facturum se pollicebatur, in cuius manu ciuitas assideret, decem millium hominum capax. Adnumeremus istis Babylonicam spelunca, cuius basis (teste Herodoto) quaque versus stadium adimpleuit: atque turrim illam, quæ in profundo mari vitreis cancris super extructa memoratur. Accedunt etiá Gordianæ ædes, & arcus triumphales, & deorum templa, & præcipuè illud Dianæ Ephesiæ, per annos ducentos à tota Asia fabricatum, & quod in Aegypto ad Latonæ templum constructum vno lapide sacellum, latum fronte cubitos quadraginta, idipsumque

vno

vno etiam lapide contectum, ac Assyrij regis Nabuchodonosor statua ex auro 60. cubitorum magnitudine, quá non adorasse capitale fuit, atq; alia cubitorũ quatuor ex ingenti Topasio Aegyptiæ reginę facta. Huc spectant & nostris diuis tẽpla superbissimis fastigijs extructa, & in miram altitudinem cõgesta ingenti saxorum mole, erecta cãpanilia multis admodum sacris pecunijs & eleemosynis profusis, quibus multi pauperes Christi vera Dei tẽpla & imagines, interea fame, siti, algore, ægritudine, egestateque periclitantia, rectiùs ędificari & sustentari potuissent, deberẽtque. Cęterùm verò, quãtám perniciem hęc ars sæpissimè adferat hominibus, ipsę hostiles arces, bellorumque machinæ, cataphrattæ, scorpiones, balistæ cæteraque subuertendæ mortalium vitæ instrumenta, deuictique horum ingenio populi testes sunt. Neque id

in terra modô, quum etiam naues, castrorum ac artium instar, fabricare docuerit: quibus periculosa maria non tam nauigamus, quàm habitamus: & cùm natura sua mille periculis nobis infesta sunt, his nauigijs reddimus infestiora, in illis non secus, ac in solida terra latrocinantes, bellaque gerentes. Scripserunt de architectura primus Agatarchus Athenienſis, postea Democritus & Anaxagoras, deinde Silenus, Archimenides, Aristotel. Theophrastus, Cato, Varro, Plinius: demum Vitruuius, Nigrigentus: ex recentioribus autem, Leo Baptista, frater Lucas, Albertus Durerus.

DE METALLARIA.

CAP. XXIX.

Architecturę quoque subest ars metallica, ars reuera nó modici ingenij. Primùm siquidem ex telluris montiumque superfi-

cie, quę quoquo loco venę intus sitę sint, quę illarum extensiones, exitus, fibræ, cognoscere docet, & quomodo excauatis terrę visceribus, montium moles substruendę sunt: de quibus scripsit apud veteres Strato Lampsacenus librum, quem de Machinis metallicis intitulauit. Porro quemadmodum exerutis minerarum lapidibus, ignis loquamine pura metalla excoquãtur, eaque si mixta sunt, à se inuicem discernantur, aut nulli, aut pauciſsimi hactenus integrè tradiderunt: fortè quod ars hæc veluti mechanica & seruilis, a doctis quibusque & liberis ingenijs despecta sit. Verũ cum ego antè aliquot annos à Cæsarea Maiestate aliquot mineris præfectus essem, omnia quãtum potui indagatus, cœpi de illis specialem librum scribere, quem adhuc vsque in manibus habeo, continuo pro maiore rerùm notitia adaugens, & corrigens,

ſperans me, quòd tum ad metallorum inuentionē, tū cognitionem, tum venarū examinationē & conflationem, mōtiumque ſubſtructionem, & tractoriarum machinarū, cæterarumq; artificia hactenus incognita pertineat, nihil omiſſurū. Hac arte omnes humanæ conſtāt opes, quarum auaritiæ tanta mortales libido inuaſit, vt viui ad inferos vſque penetrent, & magna naturæ ruina in ſedibus manium quærant diuitias, vt canit Ouidius: Itum eſt in viſcera terrę.

Quasque recondiderat, ſtygijsque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum,
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, cuius diraque cupidine tandem
Omne nefas, fugere pudor, verumque, fidesque.

In

In quorum ſubiere locum fraudes
ſque doliſque,
Inſidiæſque, & vis, & amor ſceleratus habendi.

Et vt alius poëta inquit:

Auro pulſa fides, auro venalia iura.

Peſsimũ igitur vitę ſcelus inuenit, quicũque primus aurifodinas, cæterasq. metallorũ venas repperit, & (vt ait Plinius) tanto nocentiores fecerũt illi terras, vt non minus temerarij ſint, quàm qui è profundo maris petunt margaritas. Inuentum autem multis quidem, ſed diſſonantibus hiſtoriographis attribuitur. Præcipue verò plũbũ in inſulis, quæ Caſsiterides dicuntur, contra Celtiberiam ſitis, primò inuentum tradunt: æs autem in Cypro, ferrum in Creta, ſed aurum & argentum apud Pangęum Thracię montem: demum orbem omnem infecerunt. Soli Schytæ, vt refert Solinus, vſum auri & argenti damnarunt in æternũ, ſeſe à

publica auaritia abdicantes De auri ſuperfluitate apud Romanos olim veteri interdicto cautum erat, eratque lex cenſoria victimaliarũ aurifodinæ, qua, vt ait Plinius: in Vercellenſi agro cauebatur, ne plus quinque hominum publicani haberent. Atque vtinam homines eo ſtudio ferentur in cœlum, quo ſcrutantur terræ viſcera, ſola diuitiarum vena pllecti, quæ beatum hominem adeo facere nõ poſſunt, vt multos admodum, idque non rarõ pœniteas inſumptæ operæ.

DE ASTRONOMIA.
CAP. XXX.

SVpremo iam loco ſeſe offert aſtrologia, quę & aſtronomia, tota prorſus fallax poëtarumque fabulamentis multo nugatior cuius magiſtri audaces profectò homines, & prodigiorum autores, impia curioſitate, pro eorũ libro. ſu-

supra humanam sortem(tãquam Balsilides hæretici Abraxas)fabricant orbes cœlorum,siderum mẽsuras,motus,figuras,imagines, numeros,concentusque,tãquam nuper è cœlis delapsi,ac in illis aliquá diu versati,depingunt:quibus omnia stare ac fieri atque sciri posse arbitrantur, de ijs ipsis tamen admodum inter se dissidentes, contrarij,& adhuc pugnantes,vt cum Plinio dicere non dubitem, huius artis inconstantiam palàm arguere,ipsam esse nullam: cùm de eius etiam principijs aliter sentiant Indi,aliter Chaldæi, aliter Aegyptij, aliter Mauri, aliter Iudæi, aliter Arabes,aliter Græci, aliter Latini, aliter antiqui,aliter recentiores. Nam de numero sphærarum tractãtes,Plato,Proclus, Aristoteles, Auerrois,ac omnes ferme ante Alphonsum astrologi,prẹter paucos octo duntaxat sphẹras numerarunt,Hermeten tamen & aliquot

Ba-

Babylonios, dicunt Auerrois & Rabbi, Isaac nonum orbem posuisse: cui opinioni adhæret Azarcheles Maurus, atque Tebith, & idem doctus Rabbi Isaac, & Alpetragus: quibus adstipulatur Albertus Teutonicus suo æuo nescio quo facinore magno, & omnes qui motũ accessus & recessus probauerũt. Iuniores autẽ astrologi nũc decẽ orbes cẽsent, quos ipse Alberty etiam Ptolemæum tenuisse putat. Auerrois quoque nouẽ illum cẽse re arbitratus, cùm tamẽ reuera nõ plures octo adfirmet Ptolemæus. Sed & Alphontius secutus aliquãdo iudicium Rabbi Isaac, cognomento Bazam, nouem sphęras tenuit: sed post quatuor annos ab editione tabularum suarũ, adhęrens sentẽtijs Albuhassen Mauri, atque Albategni, sese reuocauit ad octo. Ipse etiã Rabbi, Abraã Auenazra, & Rabbi Leui, ac Rabbi Abraã Zacutus, nullum orbẽ mobilẽ supra octa-

octauum esse autumãt. Sed & de motu octaui orbis, ac stellarum fixarum admodum inter se variãt. Chaldęi enim atque Aegyptij illũ vnica duntaxat latione ferri adfirmant, quibus assentiunt Alpetragus, & ex recentioribus Alexander Aquilinus: cæteri autem Astronomi ab Hipparcho ad nostra vsq; tempora, illum pluribus motibus circumagi dicunt. Iudæi Talmudistæ illi duplicem motum assignant. Azarcheles atque Tebith. & Ioannes de monte regio motum trepidationis, quẽ dicunt accessus & recessũ, super paruis circulis circa capita Arietis & Libręe illi adscripserunt, sed in hoc à se inuicẽ differentes, quòd Azarcheles ait, caput mobile à fixo nõ plus decem partibus distare posse: Tebith autem, non plus partibus quatuor, cum decẽ & nouẽ fermè minutijs Ioánes de regio monte, non plus partibus octo, atque idcirco stel-

ſtellas fixas non ſemper ad eádem mundi partem vergi, ſed quandoque reuerti vnde cœperunt arbitrantur, ſed Ptolemæus, Albategni, Rabbi Leui, Auenazre, Zacutus: & inter recentiores Paulus Florentinus, & Auguſtinus Ritio, mihi in Italia ſumma familiaritate deuinctus, ſtellas iuxta ſignorum ſucceſsiones, ſemper & continuò moueri affirmant. Recentiores autem aſtronomi triplicem octauæ ſpheræ motum attribuunt, vnum proprium, quem trepidationis diximus, qui in ſeptem milibus annis ſemel compleatur: alterum quem gyrationis dicunt, à nona ſphæra, cuius circumuolutio non minus quam quadraginta nouẽ millibus annis finiatur: tertium à decimo orbe quem vocant motum primi mobilis, ſiue motum raptus, ſiue diurnum, qui intra diem naturalẽ ad principium ſuum quotidiè reuertitur. Præterea qui duplicé

motum octauę ſpheræ attribuerunt, non omnes inter ſe conueniunt. nam recentiores ferme omnes, & qui trepidationis motum admittunt, eam à ſuperiori ſphęra rapi argumentantur: ſed Albategni, Albuhaſſen, Alfraganus, Auerrois, Rabbi Leui, Abraam, Zacutus, Auguſtinus Ritius, motum diurnum, quem alij motum raptus putant, arbitrantur non eſſe alicuius ſphæræ proprium, ſed à toto fieri cœlo. Ipſe etiam Auerrois ait, Ptolemæum in quodá libro ſuo (quem narrationũ inſcripſit) negare motum gyrationis &. Rabbi Leui ait, illum cum Auerroe ſenſiſſe motum diurnum fieri à toto cœlo. Rurſus nunc de menſura motus octaui orbis, & ſtellarũ fixarum non magis conueniunt. Nam Ptolemæus arbitratur, ſtellas fixas, moueri in centum annis vno gradu. Albategni hoc fieri contendit in ſexaginta ſex annis

Aegy-

Aegyptijs, cui assentiunt Rabbi, Leui Rab, Zacutus, & Alphõtius in correctiõe tabularum suarum: Azarcheles Maurus ait, in septuaginta quinq, annis vno gradu moueri: Hipparchus in septuaginta & octo: Hebræorum plures, vt Rabbi, Iosue, Moyses, Maymonus, Rabbi, Auenazra, & post illos Haly Benrodam, in septuaginta annis. Ioannes de Monte Regio in octoginta. Augustinus Ritius medium tenet inter opiniones Albategni & Hebrẽorum, sentiẽs stellas fixas vnã cæli partẽ nõ citius quàm sexaginta sex, nec tardiꝰ quã septuaginta annis moueri: sed & Rabbi Abraam Zacuti (vt narrat Ritius) testatur ex Indorũ traditiõe, esse adhuc in cẽlo duas stellas sibi diametraliter oppositas, qui cursum suũ cõtra signorum ordinẽ, nõ nisi in centum & quadraginta quatuor annis cõpleant. Ipse etiã Alpetragus arbitratur esse adhuc in cælis varios mo-

motus hominibus ignotos: quod si ita est, possunt & inibi esse stellæ & corpora, quib9 motus illi cõueniant, quæ aut cernere homines non possunt propter exuberantiam altitudinis, aut hactenus nulla adhuc artes obseruatione deprehenderunt: cui assentit etiam Phauorinus philosophus apud Gelliũ in oratiõe sua aduersus genethliacos. Restat igitur, nullum adhuc astronomum è cælis descendisse, qui vel motum aplanes verum certumque nos docere potuerit, nec ipse etiã Martis verus motus hucusq; cognit9 fuit: quod etiã cõqueritur Ioãnes de Mõte Regio in epistola quadã ad Blãchinũ, eiusdemq; motus errorem etiã quidã Guliel mus de sancto Clodoaldo, insignis astrologus, in suis obseruationib9 ante ducẽtos & plures annos scriptũ reliquit, nec posterorum quispiã hũc hacten9 correxit. Quin & verũ Solis ingressum in puncta æ-

qui-

quinoctialia inuenire impossibile est, quod Rabbi Leui multis rationibus probat. Sed quid dicemus de postea compertis: quomodo circa illa aberrarunt priores? Nam multi cum Tebith maximam solis declinationem continuò variari arbitrati sunt, cùm tamẽ vna semper mensura feratur. Aliter tamẽ de illa opinatus est Ptolemęus, aliter compertum est per Albaten, Rabbi Leui, Auenazram, & Alphonsum. Similiter etiam de motu solis & anni mensura, aliter illi compertum habent, quàm Ptolemæus & Hipparchus tradiderũt. Similiter de motu augis solis, aliter Ptolemęus, aliter Albategni ac cæteri sentiunt. De cœli insuper imaginibus, ac stellarum fixarum considerationibus, aliter Indi, aliter Aegyptij, aliter Chaldæi, aliter Hebręi, aliter Arabes, aliter Timotheus, aliter Arsatilis, aliter Hipparchus, aliter Ptolemæus, aliter recen-

recentiores, tradiderunt. Transeo hîc de cœli principio, dextro atque siniſtro, quàm deſipiunt, narrare: de quibus tamen ſanctus Thomas Aquinas, & Albertus Teutonicus ſuperſtitioſi theologi, dum aliquid ſeriosè dicere conarẽtur, nihil inuenire potuerunt quod oſtenderent, nec vllus certè inuenire poterit vnquam. Quin & galaxias, hoc eſt, lacteus circulus quid ſit, adhuc ab aſtrologis ignoratur: Tráſeo etiam de excentricis, concentricis, epicyclis, retrogradationibus, trepidationibus, acceſsibus, receſsibus, raptibus, cæterisque motibus, & motuum circulis ſermonem prorogare, cũ omnia hæc non ſint nec Dei nec naturæ opera, ſed mathematicorum monſtra, & fingentium nugæ, à corrupta philoſophia, & poëtarũ fabulis deriuata, quib9 tamẽ veluti rebus veris & a Deo creatis, aut a natura firmatis, non pudet magiſtros illos tan-

tantum attribuere fidei, vt in has nugas veluti causas referant, quæcunque in istis fiunt inferiorib. illosque confictos motus dicunt esse principia omnium motuum inferiorum. Astronomos istos Anaximenis serua non spernendo dicto opportunè castigauit. hæc enim consueuerat vnà cum hero Anaximene ambulare: qui cum quodã die sydera inspecturus, domo maturius exiuisset, immemor situs loci, dum securiùs cælum intuendo explorat astra, in subiectã cecidit foueam, dixitque tunc ancilla: Miror, here, qua ratione quæ in cælo sunt præscire existimas, cum, quę sunt ante pedes, nequeas præuidere. Legitur eadem facetia Thales Milesius ab ancilla Thressa correptus. Haud absimile de illis ait Tullius, inquiens: Astrologi dũ cæli scrutantur plagas, quod ante pedes est nemo eorum spectat. Ego quoq; hanc artem à parẽtibus puer

puer imbibi: deinde non modicũ temporis & laboris in ea amisi. tandem didici totam hanc & omnem nullo alio fundamento inniti, nisi meris nugis & figmentis imaginationũ, tædetque & pœnitet insum ptę olim operæ, cuperemque omnem illius memoriam vsumque expoliare, abiecique iamdudum ex animo, nec reassumerem vnquam, nisi me potentum violentę preces (qui solent nonnunquam ad indigna artificia etiam magnis probisq; ingenijs abuti) sępe rursus impingere compellerent, suaderetque domestica vtilitas me aliquando illorum frui debere stultitia, & nugas tantopere cupientibus nugis obsequi: dico quidem nugis. quid enim habet astrologia nisi meras poetarum nugas & fabulas, portẽtosaq; figmẽta, quibꝰ cęlũ ipsum refertissimũ commẽti sunt? Neque verò vlli hominum generi plus inter se conuenit, quã astro-

astrologis cum poëtis, nisi quod de Lucifero & Vespere inter se dissentiunt, poëtis asserentibus, quo die Lucifer ante orientem solem apparuerit, eodem occidentē solē subsequi, quod eodē die fieri posse, Astrologi negant ferè omnes: præter illos, qui Venerem supra solem locant, quia stellæ quæ longè vlteriores sunt nobis in ortu citiùs oriri, & in occasu seriùs, recidere videntur. Sed hanc astrologorum de situ stellarum, siue planetarum discordiam, nisi nunc recordatus præterijssem, siquidem non tam astrologorum, quam philosophorum est. Nam Plato post lunam secundam sphæram solis locat, idem faciunt Aegyptij, inter lunam & Mercurium solem collocantes. Archimenides autem & Chaldæi solem in ordine quartū collocant. Anaximander, & Metrodorus Chius, & Crates, solem omnium supremum constitutum di-

dicũt, post quem lunam, infra has cæteras errantes inerrantesque. Xenocrates omnes vna eademq; in superficie stellas moueri putat. Non minus de solis & lunæ cęterarumque stellarũ magnitudine & distantia discordant, nec vlla inter eos de cęlestibus opinionum constãtia nec veritas: nec mirum id, cum cęlum ipsum, quod scrutãtur, omnium sit inconstantissimum, nugisque & fabulis repletissimum: nam ipsa duodecim signa, reliquęque & boreales & australes imagines non nisi fabulis in cęlum ascenderunt, atque tamen in his fabulis viuunt, imponunt, lucrantur astrologi, poetis interim eorundem inuentoribus egregiè esurientibus.

DE ASTROLOGIA IVdiciaria. Cap. xxxi.

REstat adhuc altera astrologię species, quã diuinatoriã vocant seu iudiciariã, quæ

agit de reuolutionib9 annorũ mũdi, de natiuitatibus, de quęstionib. de electionibus, de intentionib9 & cogitationibus, de virtutibus, ad omnium futurorum etiam, vel diuinę prouidentię arcanarũ dispositionum euentus prędicendos, euocandos, deuitandos vel repellendos. Hinc astrologi cœlorum syderumq; effect9 à remotissimis annis, ac ante omnẽ rei memoriam aut promethei tempora, à magnis, vt aiunt, & antediluuianis coniunctionibus nundinantur, omniumque animantium, lapidum, metallorum, herbarũ, & quęcunq; in his inferiorib. creata sunt, effectus, vires ac motus, ab his ipsis cælis syderibusque defluere, omninoque dependere ac indagari posse affirmant: homines profecto incredduli, nec minus impij, vel hoc vnum nõ agnoscentes, quòd Deus iam herbas, plantas, arbores, ante cœlos & stellas condiderat. Quin grauissimi qui-

quique philosophi, vt Pythagoras, Democritus, Bion, Fauorinus, Panætius, Carneades, Posidonius, Timæus, Aristoteles, Plato, Plotinus, Porphyrius, Auicenna, Auerrois, Hippocrates, Galenus, Alexander Aphrodisius: præterea Cicero, Seneca, Plutarchus, & alij multi, qui ab omni arte & scientia rerum causas scrutati sunt, nusquam nos in has astrologicas causas remittunt, quæ etiamsi causæ essent, tamen quia stellarum cursus, & earum vires non planè cognoscunt, quòd omnibus sapientibus notissimum est, de eorum effectibus certum iudicium dare nõ possent. Nec verò desunt inter ipsos, vt Eudoxus, Archelaus, Callandrus, Hoychilax, Hallicarnasseus peritissimi mathematici, & multi alij recentiores, grauissimique auctores, qui fatentur impossibile esse posse quicquam certi de iudiciorum scio tia inueniri, cũ propter innumeras

cooperantes cum cælo alias causas, quas simul attendere oportet, iubetq; sic etiam Ptolemæus: tum quia obstãt illis occasiones quamplurimæ, vt putà consuetudines, mores, educatio, pudor, imperiũ, locus, genitura, sanguis, cibus, animiq; libertas & disciplina, cùm influxus illi non cogãt, vt aiunt, sed inclinãt. Præterea qui iudiciorum regulas perscripserunt, tam diuersa plurimumque pugnantia eadem de re statuunt, vt impossibile sit prognosticatorem ex tot tam varijs dissonisque opinionibus aliquid certi posse pronunciare, nisi insit illi intrinsecus quispiã futurorum occultorumq; sensus ac præsagij instinctus, siue potius occulta & latens dæmonis inspiratio, quo inter hæc valeat discernere, seu alio quouis modo nunc illi, nunc alteri opinioni adhærere inducatur. quo instinctu si quis careat, is in astrologicis iudicijs (vt ait

ait Hali) veridicus esse non potest. quare iam non tam arte, quàm obscura quadam rerum sorte astrologica constat prædictio: & sicut non arte, sed sorte ex ludorum codicillis versus exit nonnunquá verum pronuncians, sic etiam ex animo astrologi nó arte, sed sorte prodeunt vaticinia, cui attestatur etiá Ptolemæus: Sciêtia, inquiês, stellarum ex te & illis est, indicás futurorum occultorumque prædictionum nó tam esse ex obseruatione stellarum, quàm ex animi affectibus. Nulla igitur est certitudo huius artis, sed conuertibilis est ad omnia secundum opinionẽ, quæ coniecturis aut existimatione, aut imperceptibili dæmonum afflatu, aut superstitiosa sorte colligitur. Nihil igitur aliud est hæc ars, quàm superstitiosorum hominum fallax coniectura, qui ob multi temporis vsum de rebus incertis scientiá fecerunt, in qua emun-

gendæ pecuniæ gratia decipiãt imperitos, atque ipsi simul decipiantur. Quòd si ars istorum vera est, & ab illis intelligitur, vnde tot & tanti errores ebulliunt in eorum prognosticationibus? sin minus, nónne frustrà & stultè & impiè de rebus nullis aut non intellectis scientiam profitentur? Sed cautiores illorum de futuris non nisi obscura pronunciant, & quæ ad omnem rem & tempus, & principem, & nationem applicari possunt, ambigua prognostica artificiosa versutia confingunt. Postea verò quàm aliquid horum acciderit, tunc illius colligunt causas, atque post factũ vetera vaticinia nouis rationibus stabiliunt, vt videantur præuidisse, quemadmodum somniorũ interpretes, vbi somnium viderint, nihil certi intelligunt: vbi autẽ post aliquid eis euenerit, tunc ad id, quod accidit, aptant etiam somnium visum. præterea cùm impossibile sit

in

in tanta stellarũ varietate non sem per inuenire, quasdam bene, quasdam malè positas, occasionem capiunt ex his dicendi quod volunt, & quibus volunt, vitam, salutem, honores, opes, potentiam, victoriam, sanitatem, sobolem, amicos, coniugia vel sacerdotia, magistratus similiaque prædicant. Quòd si quibus sint male propitij, ijs mortes, suspendia, dedecora, clades, exilia, orbitates, languores, calamitatesque renunciant, non tam ex scelerata arte, quàm ex sceleratis affectibus, huic impiæ curiositati credulos homines pertrahentes in exitium, populos ac principes sæpè funestis seditionibus ac bellis inter se cõmittentes. Quòd si cùm prognosticis illorum fortuna coincidat, vt inter tot ambigua vnũ aut alterum verũ euenerit, mirũ quàm tunc cristas efferunt, quàm id insolentissimè prædicant. Quòd si assidue mentiuntur, conuincãtur

mendacij, id tunc excusant blas-
phemia, vel mendacium menda-
cio tegunt, inquientes sapientem
dominari astris, cùm reuera nec
astra sapienti, nec sapiens astris,
sed vtrisque dominetur Deus: aut
aiunt, ineptitudinem recipientes,
cęlestibus influxibus obstitisse. vl-
teriorem autem fidem requiren-
tibus irascuntur, & inueniunt cir-
culatores illi interim principes &
magistratus, qui in illis credant o-
mnia, ac ornent publicis stipen-
dijs: quum reuera nullum genus
hominum reipublicæ sit pestilen-
tius quàm istorum, qui ex astris,
ex inspectis manibus, ex somnijs,
consimilibusque diuinationum ar
tificijs futura pollicentur, & vati-
cinia spargunt, homines insuper
& Christo & omnibus in illum
credẽtibus semper offensi: de qui-
bus Cornelius Tacitus conqueri-
tur: Mathematici (sic enim eos vul
gò nominant) inquiens, genus ho
minum

minũ principibus infidum, creditibus fallax, à ciuitate nostra semper prohibentur, sed expelluntur nunquã. Quin & Varro auctor grauis, omnium superstitionum vanitates ex astrologię sinu profluxisse testatur. Erat etiam in Alexandria vectigal, quod astrologi persoluebant, blacenominon, à stultitia sic nuncupatum, quia ex ingeniosa stultitia quæstum facerent, nec, nisi stulti & temerarij homines, illos consulere soleant: quippe si ab astris est hominũ vita atq; fortuna, quid timemus? quid solicitamur? quin Deo hæc & cælis, qui nec errare, nec malum agere possunt, relinquamus, atque homines cũ simus, non plus quã oportebat vltra vires nostras altum, sed humana duntaxat sapiamus: quin & christiani cum simus christo, linquamus horas & momenta Deo patri, qui ea posuit in sua potestate. Quod si verò vita

noſtra atque fortuna ab aſtris non ſunt, nónne in vacuum currit omnis aſtrologus? Sed eſt hominum genus adeò timidulũ credulumq́; qui tãquã pueri ad lemurũ fabulas plus timent, creduntq́; ea quæ nó ſunt, quã ea quę ſunt, atq; quo res eſt minus poſsibilis, hanc eo timẽt magis: atq; quæ eſt veriſimilis minus, hanc eò firmius credunt: qui profectò ſi non eſſent aſtrologi & diuinatores perirent fame. atq; horum ſtulta credulitas pręteritorũ oblita, præſentium negligens, in futura pręceps, ſic deceptoribus illis fauet, vt cùm in cęteris hominibus vno mẽdacio tã ſuſpecta fides reddatur dicentis, vt reliqua omnia vera obſcurentur: contra in his mendaciorum magiſtris vna fortuita veritas etiam publicis mendacijs faciat fidẽ. Quibus profectò qui maximè confidũt, maximè omnium reddũtur infeliciſsimi, vt ſolent ſuperſtitioſæ illæ nugę perniciem

cie suis adferre cultoribꝰ, quòd in Zoraste, Pharaone, Nabuchodonosor, Cæsare, Crasso, Pompeio, Diotharo, Nerone, Iuliano apostata testatur antiquitas, qui vt his nugis fuere deditissimi, sic earundē cōfidentia periere infelicissimi, & quibus læta cuncta promiserant astrologi, mœsta prouenerūt omnia, vt Pompeio, Crasso, & Cæsari, quibꝰ neminem eorum, nisi iam senē nisi domi, nisi cū gloria moriturū promiserunt, attamen quisq; eorū male & immaturè perijt. Pertinax profectò & pręposterum hominū genus, futura se præscire qui profiteantur, præteritorum & pręsentium ignari: & cum omnibus omnia occultissima se dicturos profiteátur, quid in propria domo, quid in thalamo suo fiat, sæpissimè nesciunt: cuiusmodi astrologum Morus Anglicus hoc epigrammate perpulchro taxauit:

Astra tibi æthereo pandunt sese omnia vati,
Omnibꝰ & quę sint fata futura, monent.
Omnibus est vxor quod se tua publicat, id te
Astra, licet videant omnia, nulla monent.
Saturnus procul est, iamque olim cæcus, vt aiunt,
Nec prope decernens à puero lapidem.
Luna verecundis formosa incedit ocellis,
Nec nisi virgineam virgo videre potest.
Iuppiter Europen, Martẽ Venus, & Venerem Mars,
Daphnen Sol, Hircen Mercurꝰ recolit.
Hinc factum astrologe est, tua cũ capit vxor amantes,
Sydera significent vt nihil inde tibi.
Præterea quàm inter se de his ipsis

ipſis iudiciorum regulis diſſentiát Iudæi, Chaldæi, Aegyptij, Perſæ, Græci, Arabes, omnibus notũ eſt: & quomodo omnem antiquorum aſtrologiam abijcit Ptolemæus, & hunc vt defendit Auenrodam, ita laceſsit Albumaſar, atque omnes hos lacerat Abraam Auenazre Hebræus. denique Dorotheus, Paulus Alexandrinus, Epheſtion, Maternus, Aomar Tebith, Alchindy Zahel, Meſſahalla, & ferè omnes alij aliter ſentiunt & opinantur, & cũ quæ dicũt probare vera nequeunt, ſola experimenti ratione ſeſe tuentur, nec ſuper ea quidem omnes vnanimiter cóueniunt: neque minus de domorum proprietatib. ex quibus omnium euentuum prædictionem venantur, diſcrepant, quæ aliter aſsignat Ptolemęus, aliter Heliodorus, aliter Paulus, aliter Manlius, aliter Maternus, aliter Porphyrius, aliter Abenragel, aliter Aegyptij, aliter Arabes, aliter

Græ-

Græci & Latini, aliter veteres, aliter recentiores. Quando quidem etiam initia finesq; domorũ, quodam modo constituere oporteat inter eos nondũ liquet, cùm hęc aliter fabricant antiqui, aliter Ptolemæus, aliter Campanus, aliter Ioannes de regio monte: vnde fit vt suis ipsimet obseruationibus sibi fidem adimant, cùm locis eisdẽ diuersi diuersas adscribunt proprietates, initia, atque fines. Impiũ hominum genus, qui quæ solius Dei sunt, tribuunt astris, & nos liberos natos syderum seruos faciunt: & cùm sciamus Deũ creasse omnia bona, illi stellas aliquas maleuolas, & scelerum auctores, & malorum influxuum tradunt non absq; maxima Dei cælorũq; iniuria, statuentes in cælestibus in illo diuino senatu, mala & scelera facienda decerni, & quicquid à nobis voluntatis culpa perpetratur, quicquid vitio materiæ in natura

præter

prẽter ordinem accidit, totum imputant syderibus. Iam verò & hæreses & infidelitates pernicioſiſsimas docere non verentur, videlicet, dum donum prophetiæ, vim religionum, arcana cõſcientię, imperium in dæmones, virtutẽ miraculorũ, efficaciã ſupplicationũ, futurę vitę ſtatũ, omnia pẽdere ab aſtris, ab illis largiri, ex illis cognoſci impia temeritate fatentur. Dicunt enim aſcendente Geminorũ ſydere, idq; Saturno, Mercurioq; ſub Aquario iunctis, in nona cæli plaga naſci prophetam: ideoque Chriſtum dominum tot claruiſſe virtutibus, quia eo in loco Saturnũ habuerit in Geminis. Religionum etiam ſectas, quibus Iouem prẽcipuum præficiunt patronum, per cæterarum ſtellarũ cõmixtiones diſtribuũt, ita vt Iuppiter ille cum Saturno religionem faciat iudęorum, cum Marte Chaldęorũ, cum Sole Aegyptiorum, cum Venere

Sara-

Saracenorũ, cum Mercurio christianorum, cum Luna eam quam futuram dicunt Antechristi: atq; Moysen Iudæis sabbati diem ex astrologicis rationibus instituisse religiosum, ideoq; errare christianos, qui diem sabbati Iudæorum ritu operibus vacantes non feriãtur, cum sit illa dies Saturni. Fidelitatem autem cuiusq;, cùm ad homines, tùm ad Deum, professamq; religionem, conscientiæ etiam arcana à parte solis, ac tertia, nona, vndecimaque cæli domicilijs deprehendi posse putant, prænoscendisque hominũ cogitationibus, &, vt aiunt, intentionibus multi multas admodum regulas tradunt, ipsisque diuinę omnipotentię miraculosis operibus, putà vniuersalis diluuij, & datę per Moysen legis, ac virginis puerperio, cęlestiũ cõfigurationes causas præficiũt, ac Christi redemptricem humani generis mortem, Martis opus fuisse fabu-

lan-

lantur. Quin & Christum ipsum in miraculis suis horarum electione vsum, quibus illum Iudæi lædere non possent, dum ascenderet Hierosolymam: ideoque vetantibus discipulis dixisse, Nonne duodecim horæ sunt diei? Dicũt præterea, si cui Mars in nona cæli domo feliciter locatus fuerit, hunc dæmones ab obsessis sola præsentia expulsurum: qui verò Luna atq; Ioue cum capite draconis in medio cælo coniunctis, Deo supplicauerit, omnia illum quæcunque petierit, impetraturum, porro futuram vitæ felicitatem à Ioue Saturnoq; largiri. Quòd si quis Saturnum in Leone feliciter constitutum habuerit in genesi, eius animam post hanc mortalem vitam innumeris angustijs liberatã, ad cælum & originis suæ primordia, applicatam dijs, transituram. Atque tamen istis execrandis nugis pernicioſilsimisque hęresibus,

Petrus

Petrus Apponensis, Rogerius, Bacon, Guido, Bonatus, Arnoldus, de villa noua philosophi, Alyacensis cardinalis & theologus, & plerique alij Christiani nominis doctores, haud absque hęreseos infamia subscribunt, & sese vera hæc expertos esse testari atque tueri audent. Scripsit autem aduersus astrologos recentiorib. annis duodecim libris Ioannes Picus Miran dula copia tanta, vt vix vllũ pene rit argumẽtum: tanta aũt efficacia, vt hactenus nec Lucius Balantius acerrimus astrologiæ propugnator, nec alius quisquam huius artis defensor, hanc ab adductis à Pico rationibus potuerit saluare. Is enim probat validissimis argumentis illam non hominum, sed malorum dæmonum fuisse inuentum. quod idem etiam Firmianus ait, per quam illi omnem philosophiã, medicinam, leges atq; religionẽ in humani generis exterminium

nisi

nisi sunt abolere. Nam primum quidem religioni fidem adimit, miracula extenuat, prouidẽtiam tollit, dum omnia constellationum vi prouenire, & à syderibus fatali necessitate pendere docet: insuper vitijs patrocinatur, excusans quasi cælitùs in nos descendentibus, bonas quascunque artes contaminat atque euertit, imprimis philosophiam, rerum causas à veris rationibus ad fabulas traducens, deinde medicinam à naturalibus efficacibusque remedijs ad vanas obseruationes, peruersasque & corpori & animo exitiales superstitiones cõuertens. Porrò leges, mores, & quascũq, humanæ prudentię artes in totũ pessundãs, cũ quo tẽpore, qua ratione, quibus medijs quid agẽdũ, sola astrologia cõsuleretur, solaq; vitę & morũ & Reip. & priuatæ sceptra teneret, tanquã de cęlo omnium trahẽs auctoritatẽ, vanaq; putarẽtur cętera om-

omnia quæ hanc non agnoscerét patronam. Dignissima profectò ars, quam olim etiam dæmones profiterentur in fallaciam hominum, & in iniuriam diuinitatis. Iá verò & Manichæorum hæresis arbitrij libertatem in totum tollens & auferens, non aliundè emanauit, quàm ex astrologorum de fato falsa opinione atque doctrina. Ex eodem fonte & Basilidis hæresis emanauit, qui trecentos sexagintaquinque cælos, per successionem & similitudinem abinuicem factos pronunciauit, & horum ostensionem esse numerum dierum anni, atque singulis eorum certa principia, & virtutes, & angelos assignans, atque illis nomina adfingens: esse autè omnium principé Abraxas, quod nomen, iuxta Græcam literaturam, continet in se trecentum sexagintaquinque, quod videlicet sunt illorum cælorum locales positiones ab illo commen

tæ.

tæ. Hæc ideò narrata sunt, vt cognoscatis astrologiam etiam hæreticorum progenitricem esse. Porrò astrologiam hâc diuinatoriam, sicut splendidissimi quique explodunt philosophi, sic Moyses, Isaias, Iob, Ieremias, cæteriquę antiquę legis detestantur prophetæ, & è Catholicis doctoribus Augustinus, illam à Christiana religione expellendam censet. Hieronymus hanc idololatrię genus esse disputat. Rident eam Basilius & Cyprianus: refutant Chrysostomus, Eusebiꝰ & Lactantius: inuehuntur Gregorius, Ambrosius, atque Seuerianus, sanctumque Toletanũ Conciliũ eam prohibet atque damnat: etiam in synodo Martini, & abs Gregorio iuniore, & Alexandro tertio pontificib. anathematizata, & à ciuilibus Imperatorum legibus punita. Apud veteres Romanos sub Tiberio, Vitellio, Diocletiano, Constantino, Gratiano, Valen-

Valentiniano, Theodosio Imperatoribus vrbe prohibita, eiecta atque punita, ab ipso etiam Iustiniano capitis supplicio percussa, quòd ex Codice eius manifestum est.

DE DIVINATIONIBVS IN GENERE.

Cap. XXXII.

ADmonet hic locus etiam de cæteris diuinationum artibus dicere, quæ non tam obseruatione cęlestiũ, quâ rerũ inferiorũ quandam cælestium vmbram & imitationẽ habentium, vaticinia præbent. vt illis intellectis melius cognoscatis hanc astrologicam arborem, de qua tales fructus descẽdunt, atque abs qua velut Lernęa hydra, multorum capitum fera, generata est. Inter artes itaque ad diuinandi quęstũ properantes, physiognomia, metoposcopia, chiromantia, (de qua etiam supra diximus) aruspicia, speculatoria, & oniro-

nirocritica, quæ est somniorum interpretatio, ac futurentium oracula hic sedem sibi vindicarunt. Omnia autem hæc artificia nullius solidæ doctrinæ sunt, nec vllis certis rationib9 constant, sed de reb9 occultis, aut fortuita sorte, aut spiritûs agitatione, aut apparentibus quibusdam coniecturis inquirunt, quæ ex quotidianis & longi temporis sumptę sunt obseruationib9. Solent enim omnes illę diuinationum prodigiosę artes, non nisi experientię titulo se defendere, & se obiectionũ vinculis extricare, quoties aliquid supra fidem ac prętet rationem doceant polliceanturq;. de quib9 omnibus sic in lege pręceptũ est: Nõ inueniatur in te qui colluſtret filium, ducens per ignẽ & ariolos scisciteturr, aut obseruet somnia atq; auguria: nec sit malefic9, nec incantator, quoniam hęc abominatur dominus.

DE

DE PHYSIOGNOMIA.
Cap. XXXIII.

HArum itaq; physiognomia, naturam (vt ait) ducem secuta, ex totius corporis inspectione, quæ sunt animæ & corporis affectiões, quę hominis fortuna, probabilibus signis se assequi posse præsumit, quatenus hunc Saturnium aut Iouistam, illum Martium aut Solarem, alterum Venereũ, Mercurialem, aut Lunarem pronunciat, & ex corporis habitudine illorum horoscopia colligit, ex effectibus paulatim, vt aiunt, ad causas videlicet astrologicas transcendens, ex quibus postea nugatur quicquid libet.

DE METOPOSCOPIA.
Cap XXXIIII.

METoposcopia autem ex solius frõtis inspectione omnia hominum initia, progressus & fines

fines sagacissimo ingenio, ac docta experientia se præsentire iactat, ipsa se etiam astrologiæ alumnam faciens.

DE CHIROMANTIA.

Cap. xxxv.

CHiromantia autem in vola manus pro numero planetarum septem montes effingit: atque ex lineis, quæ ibi conspiciuntur, quæ hominis complexio, qui affectus, quæ vita, quæ fortuna, se se posse cognoscere arbitratur per linearum harmonicam correspon dentiam, ceu per cęlestia quędá stigmata nobis à Deo & natura illic impressa, & quę Deo, auctore Iob, posuit in manibus hominum, vt inde noscat vnusquisq; opera sua: quamuis reuerà diuinus propheta illic non de chiromantica vanitate, sed de arbitrij libertate locutus fuerit. Præterea tuentur se prædicti diuinatores, quòd, licet non per rerum causas, tamen per

signa ab eisdem, similibus usue causis impressa, quę semper sint eadem rebus eisdem, similiaque similibus de effectibus possent iudicare: dicuntque ijs artibus vsum quondã Pythagorã, qui adolescentũ mores, naturas, ingenia, ex oris & vultus, totiusque corporis filo ac habitu coniectabatur: quemque idoneum iudicabat, hunc in disciplinã recipi iubebat. Idem consueuisse Pharaotem Indorũ regem, narrat Philostratus: verùm harum omnium artium errorem non alia ratiõe nobis impugnare necesse est, nisi ea ipsa, quòd deficiunt videlicet omni ratione. Scripserũt tamẽ de istis permulti ex antiquis viri grauissimi, Hermes, Alchindus, Pythagoras, Pharaotes Indus, Zophyrus, Helenus, Ptolemęus, Aristot. Alpharabius: prętereà Galenus, Auicenna, Rasis Iulianus, Maternus, Loxius Phylemon, Palęmon, Constãtinus, Atricanus: ex Roma-

nis

nis deniq; principib. L. Sylla & Cę
sar dictator eius studiosissimi fue-
re. Ex posteriorib. verò Petrus Ap
ponēsis, Albertus Teutonicus, Mi-
chaël Scotus, Antiochus Bartho-
lomęus, Coclitis, Michaël Zauo-
narola, Antonius Germisonus, Pe
trus de Arca, Andreas coruus,
Tricassius Mantuanus, Ioannes de
Indagine, & plerique alij illustres
medici: oēs tamē vltra cōiecturas,
& experiētię obseruatiōes tradere
queunt nihil. Non esse aūt cōiectu
ris illis & obseruationib. vllā ve-
ritatis regulā ex eo manifestū est,
quia figmenta sunt voluntaria, &
super quibus ipsi etiā ęqualis do
ctrinę & auctoritatis illarum do
ctores non concordant. Quare ve
hementer delirant errantque om
nes, qui per hęc signa vltra corpo
ris complexionem & naturę di
spositionem, mores quoque ipsos
& fortunę animique affectus prę-
dicere volunt: quod in Zopy-

rij iudicio de Socrate satis compro batum est. Nec vobis fidem faciat quod Appion Grammaticꝰ scriptum reliquit, Alexandrum quendam tam discretè imaginum similitudines pinxisse, vt ex his Metoposcopus futuræ aut præteritæ mortis annos dixerit: quod quidem posse ijs artibꝰ sciri non tam incredibile est quàm impossibile, sed solet hoc nugiuendum hominum genꝰ instinctu malorum dæmonum sic delirare, trahentium illos ab errore in superstitionem, & ab hac paulatim in infidelitatem.

ITERVM DE GEOmantia. Cap. xxxvi.

GEomantiam etiam, de qua & in Arithmetica locuti sumus, quæ proiectis punctis, vel casu vel vi quadam deductis, ex quibꝰ per pares & impares numeros, figuras quasdam cælestibus attributas componit, per quas diui-

diuinatur: idcirco omnes illius scriptores astrologiæ filiam testantur. Est & alia geomantię species, quã Almadal Arabs introducit, quæ ipsa per coniecturas quasdam à similitudinibus sumptas ex terræ crepitu, motu, sciſſura, tumore, vel sponte, vel ab æstu & caumate, aut tonitruis prouenientibus diuinatur, quæ ipsa etiam inani astrologiæ superstitione fulcitur, horas & lunationes & syderum ortus figurasque coobseruans.

DE ARVSPICIA.

Cap. XXXVII.

AVgurium verò, cuius multæ admodum sunt species, ars ipsa priscis temporibus in magna obseruatione fuit, ac tanta, vt nihil eorum quę ad publica vel ad priuata pertinerent, inauspicatè perfecerint. Hæc ars antiquissima est, vt tradit Pomponius lætus, à Chaldæis ad Græcos, apud quos Amphiareus Tyresias, Mopsus A-

philotes, & Calchas summi augures habiti sunt, à Græcis ad Hetruscos venit, ab illis ad Latinos. Et ipse Romulo augur fuit, & magistratus instituit augurijs confirmari: & Dionysius tradit antiquâ augurandi artem fuisse, etiam aboriginum & Ascanium, priusquam aciem contra Mezentium educeret, augurium captasse: quod vbi felix conspexit, pugnauit atque vicit. Denique Phrygij, Pisidæ, Cilices, Arabes, Vmbri, Thusci, & multi alij populi auguria secuti sunt. Lacedæmonij etiam regibus suis augurem assessorem dederunt & publico interesse concilio voluere, & apud Romanos augurum collegium. Huic arti fidem fecerunt, qui docuerunt à cęlestibus corporibus quædam pręsagiorum lumina super animantia quæque in hæc inferiora descendere: velut signa quædam in eorũ motu, situ, gestu, incessu, volatu, voce,

voce, cibo, colore, opere, euentu constituta, quibus tanquam insita quadam vi occulta, ac tacito quodam consensu, cum cęlestibus corporibus, quorum viribus afficiuntur, sic conueniant, vt possint omnia hæc præsagire, quæcunque cęlestia corpora cogitarunt facere. Ex quo patet hanc diuinationem non nisi coniecturas sequi, partim à syderum, vt aiunt, influentijs, partim à parabolicis quibusdam similitudinibus sumptas, quibus nihil est fallacius. Quare ridet eá Panætius & Carneades, Cicero, Chrysippus, Diogenes, Antipater, Iosephus, & Philo: damnant lex & ecclesia. Atque huiusce modi sunt illa Chaldæorum Aegyptiorumque mysteria, quæ quondam Hetrusci, deinde Romani, & hodie adhuc superstitiosum hominum vulgus velut oracula adorat.

DE SPECVLATORIA.
Cap. XXXVIII.

EX eodem fundamento prodit ſpeculatoria, quæ fulmina & fulgura, cæterasque elementorum impreſsiones, inſuper oſtenta, portenta, prodigia interpretatur, non tamen alia via quàm coniecturę & ſimilitudinis, quam equidem plurimum errare manifeſtum eſt, quod hæc omnia naturalia opera ſunt, non prognoſtica.

DE SOMNISPICIA.
Cap. XXXIX.

Accedit onirocritica, quę eſt ſomniorum interpretatio, quorum interpretes propriè coniectores vocantur, quemadmodũ canit Euripedes:

Qui bene coniectat, is vates optimus eſto.

Cui artificio etiam, & quidẽ magni philoſophi haud parùm tribuerunt, præcipuè Democritus, Ariſtote-

ſtoteles, & eius ſectator Themiſtius atque Sineſius Platonicus, ſic innitentes exemplis illis ſomniorum, quę caſus aliquis vera fecit, vt inde nihil fruſtra ſomniari ſuadere conentur. Dicunt enim quòd quemadmodum cęleſtis influxus in corporali materia formas producant diuerſas, ſic ex eiſdem influxibus in potentia phantaſtica, quæ organica eſt, phantaſmata imprimi cęleſti diſpoſitione, effectui cuipiam producendo conſentanea: maximè verò in ſomnijs, quia animus tunc à corporeis exterisque curis relaxatus, liberius diuinos illos ſuſcipit influxos: vnde multà dormientibus in ſomnijs innoteſcunt, quæ latent vigilantes. Hac itaque potiſsimum ratiõe ipſis ſomnijs veritatis opinionem conciliare nituntur. De cauſis tamen ſomniorum tam intrinſecis quàm extrinſecis, non omnes in vnã ſententiã conueniunt. nam

Platonici illas referunt in ſpecies & notiones animæ cõcretas. Auicenna in intelligentiam vltimam mouentem lunam, medio illius luminis, quo irradiatur phãtaſia hominum dum dormiunt. Ariſtoteles refert in ſenſum communem, ſed phãtaſticum. Auerrois in imaginatiuam. Democritus in idola à rebus deciſa. Albertus in influxum ſuperiorum, medijs tamen quibuſdam ſpeciebus, qua continuò defluunt à cęlo: medici in vapores & humores hæc referunt, alij in affectus & curas vigiliæ, aliqui Arabes in potentiam intellectualem, alij dicunt à potentijs animæ & influxu cæli & ſimulacris ſimul dependére, aſtrologi illa à ſuis conſtellationibus cauſari volunt: alij cauſas illorum in aërem circundantẽ, penetrantemque referunt. Scripſerunt præterea de ſomniorum interpretatione Daldianus & Arthemidorus, & circunferũtur libri

ſub

sub Abraham nomine, quē Philo in libris de Gigantibus, & de ciuili vita asserit somniorum solutiones primum adinuenisse, & alij sub Salomonis & Danielis nominibus in hanc rem cōficti, in quib. de somnijs nihil nisi mera somnia traduntur. Sed ipse M. Tullius in suis diuinationum libris aduersus hanc vanitatem, eorumque stultitiam, qui somnijs fidem habent, validissimis rationibus disputat, quas hic enumerare omitto.

DE FVRORE.

Cap. XL.

SEd (quod ferè prę terieram) istis somniatoribus eos etiā adnumerēmus, qui furētiū vaticinijs diuinitatis fidem prębent, eosque qui & prę sentium notitiā, & prę teritorum memoriam, omnemq; humanum sensum perdiderūt, diuinam futurorum præscientiam assecutos putant, & quæ sapientes vigilantesq; nesciunt, videre insa-

nos & dormiẽtes, ac ſi illis plꝰ, quã ſanis vigilantibꝰ, intelligentibꝰ, & prẽmeditantibꝰ deꝰ ſit propinquior: infelices profectò homines, qui his vanitatibꝰ credũt, illiſq; impoſturis obediunt, qui huiuſmodi paſcunt artifices, illorumque ventri ingenia ſua, ſuamq; fidem ſubmittunt. Quid nanque aliud putabimus furorem, quàm alienationem humani animi ab ipſis malis dæmonib. exagitati, aut per aſtra, aut per inferiora inſtrumenta ab immundis ſpiritibꝰ deducta? quod ita expreſsiſſe videtur Lucanus, dum inducit Aruum Thuſcum vatem:

Fulminis edoctum motus, venasque calentes,
Fibrarum. & motus errantis in aëre pennæ.

Poſt luſtratam vrbem, poſt mactatam victimam, poſt inſpecta exta, tandem figulum in hæc verba protuliſſe ſententiam.

Quod

Quod cladis genus, ô superi, qua peste paratis
Sęuitiam? extremi multorum tempus in vnum
Conuenere dies, summo si frigida cœlo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
Deucalionæos fudisset Aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in ęquore tellus,
Si sæuum radijs Nemęum Phœbe Leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusque tuis flagrasset curribus æther.
Hi cessant ingens. Tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda Chelasq; peruris
Quid tantum Gradiue paras? nam mitis in alto

Iuppi-

Iuppiter occasu premitur, Veneris q́ue salubre
Sydus habet, motuq́; celer Cyllenius hæret,
Et cœlum Mars solus habet, cũm signa meatus
Deseruere suos, mundoq́ue obscura feruntur,
Ensiferi nimium fulget latus Orionis,
Imminet armorum rabies, ferriq́; potestas
Confundet ius omne manu, scelériq́ue nefando
Nomen erit virtus, multosq́ue exibit in annos.

Omnia itaq́ue hæc diuinationũ artificia in ipsa astrologia suas radices & fundamenta habent. Nã siue corpus, vultus, manus inspecta sunt, siue somniũ siue prodigium visum sit, siue auspicium siue furor afflauerit, cœli figuram erigendam consulunt, ex cuius indicijs vnà cũ similitudinũ, signorumq; cõiecturis signi-

significatorũ venantur opiniones: ita diuinationes omnes astrologiæ artem vsumque sibi deposcunt, vt hanc veluti clauem ad omniũ arcanorũ notitiá necessariá fateantur. Quare omnes hę diuinationũ artes quãtum absint à veritate, palá sese offerunt ex eo, quod principijs vtántur tam manifestè falsis ac poëtica temeritate confictis: quæ cum nec sunt, nec fuerunt, nec erũt vnquá, tamen causas & signa eorum esse solent, quæ sunt rerum euentus contra apertam veritatem in illa referentes.

DE MAGIA IN GENERE, Cap. XLI.

EXigit etiá hic locus vt de Magia dicamus. nam & ipsa cũ astrologia sic coniuncta atque cognata est, vt, qui magiam sine astrologia profiteatur, is nihil agat, sed tota aberret via. Suidas magiam à Magusęis & nomen & originem tra-

traxisse putat: cómunis opinio est nomen esse persicum, cui adstipulantur porphyrius & Apuleius, & significare eorum lingua idem quod sacerdotem sapientem, siue Philosophum. Magia itaque omnem philosophiam, physicam, & mathematicam complexa, etiam vires religionum illis adiungit: hinc & Goëtiam & Thèurgiam in se quoque continet. Qua de causa magiam plerique bifariam diuidunt, in naturalem videlicet & ceremonialem.

DE MAGIA NATV. Cap. XLII.

NAturalem magiá non aliud putát quàm naturalium scientiarum summam potestatem, quam idcirco summum philosophiæ naturalis apicem, eiusque absolutissimam consummationem vocát: & quæ sit actiua portio philosophiæ naturalis, quæ naturalium vir-

virtutum adminiculo, ex mutua earum & opportuna applicatione opera edit, supra omnem admirationis captum. Magia Aethiopes maximè & Indi vtebátur, vbi herbarum & lapidum, cęterorumque ad id spectantium facultas suppetebat. Eius meminisse volunt Hieronymum ad Paulinum, vbi ait Apollonium Tyanęum fuisse magum seu philosophum, vt Pythagorici. Eius etiam generis fuisse magos, qui Christum natum muneribus inuisentes adorauerunt, quos euangeliorum interpretes exponunt Chaldæorum philosophos: quales fuere Hiarchas apud Brachmanas, Tespion apud Gymnosophistas, Budda apud Babylonios, Numa Pompilius apud Romanos, Zamolxides apud Thracas, Abbaris apud Hyperboreos, Hermes apud Aegyptios, Zoroastes Oromasi filius apud Persas. Nam Indi & Aethiopes, & Chaldæi,

dæi, & Perſæ hac maximè præcelluere magia: qua idcirco (vt narrat Plato in Alcibiade) imbuuntur per ſarum regum filij, vt ad mundanæ reipublicæ imaginem, ſuam & ipſi rempublicam adminiſtrare, diſtribuereque condiſcant: & Cicero in diuinationum libris ait neminem apud Perſas regno potiri, qui prius magiam non didicerit. Magia itaque naturalis ea eſt, quæ rerum omnium naturalium atque cœleſtium vires contemplata, earundemque ſympathiam curioſa indagine ſcrutata, reconditas ac latentes in natura poteſtates ita in apertum producit: inferiora ſuperiorum dotibus tanquá quaſdam illecebras ſic copulans per eorum mutuam applicationem ad inuicem, vt exinde ſtupenda ſæpè conſurgant miracula, non tam arte quàm natura, cui ſe ars iſta miniſtram exhibet hæc operanti. Nam magi vt naturæ accuratiſſimi

mi exploratores, conducentes ea quæ à natura præparata sunt, applicando actiua passiuis, sępissimè ante tempus à natura ordinatum effectus producunt, quæ vulgus putat miracula, cum tamen naturalia opera sint, interueniente sola temporis pręuentione: vt si quis in mense Martio rosas producat, & maturas vuas, aut satas fabas, vel petroselinum intra paucas horas excrescere faciat in perfectam plantã, & ijs maiora, vt nubes, pluuias, tonitrua, & diuersorũ generũ animalia, & rerũ trãsmutationes quamplurimas, cuiusmodi multas feciſſe se iactat Rogerio Bachõ pura & naturali magia. Scripserũt de illius operibus Zoroastes, Hermes, Euantes rex Arabum, Zacharias Babylonius, Ioseph Hebręus, Bocus, Aaron, Zenotenus, Kirãnides, Almadal, Thetel, Álchindus, Abel, Ptolemęus, Geber, Zahel, Nazabarub, Tebith, Berith,

Salo-

Salomõ, Astrophon, Hipparchꝰ, Alcmeon, Apollonius, Tryphon, & plerique alij, quorum aliqua opera adhuc integra, & pleraque fragmenta adhuc extant, & ad manꝰ meas aliquando peruenerunt. Ex recentioribus verò scripserunt in naturali magia pauci, & illi quidem pauca, vt Albertus, Arnoldus de villa noua, Raimundꝰ Lullius, Bachon & Aponus, & auctor libri ad Alphonsum, sub picatricis nomine editus, qui tamen vnà cum naturali magia plurimũ superstitionis admiscet, quod quidem fecerunt & alij.

DE MAGIA MATHEmatica. Cap. XLIII.

SVnt præterea alij naturæ sagacissimi æmulatores, inquisitoresq; audacissimi, quique naturalibus virtutibus ex solis mathematicis disciplinis, adscitis cælorum influxibus, sese natu-

ræ

ræ operum similia producere posse pollicentur, vt corpora euntia vel loquentia, quæ tamen non habeant virtutes animalis: qualis fuit columba Archytæ lignea quæ volabat, & statuæ Mercurij quæ loquebatur, & caput æneum ab Alberto magno fabricatum, quod locutum perhibet. Excelluit in istis Boëtius vir maximi ingenij, & multiplicis eruditionis: ad quem de istiusmodi scribens Cassiodorus, Tibi, inquit, ardua cognoscere, & miracula monstrare propositum est, tuæ artis ingenio metalla mugiunt, Diomedes in ære grauius buccinatur, æneus anguis insibilat, aues simulatæ sunt, & quæ vocem propriam nesciunt habere, dulcedine cantilenę probatur emittere, parua de illo referimus, cui cælū imitari fas est. De istis puto artificijs dictum est, quod apud Platonem legimus in vndecimo de legibus: Ars data est mortalibus,

bus, qua res posteriores quasdam generarent, non quidem veritatis & diuinitatis participes, sed simulacra quędam sibiipsis cognata deducerét: atque eousque progressi sunt magi homines audacissimi omnia perpetrare fauente maximè antiquo illo & valido serpéte scientiarum pollicitatore, vt similes illi tanquam simię, Deum & naturam æmulari conarentur.

DE MAGIA VENEFIca. Cap. XLIIII.

ESt præterea naturalis magiæ species, quam veneficam siue pharmaciam vocant, quæ poculis, philtris, varijsque veneficiorum medicamentis perficitur, cuiusmodi Democritus confeciſſe legitur, quô boni, felices, fortunatique filij gignantur: & aliud, quo auium voces ritè intelligamus, sicut de Apollonio narrant Philostratus atq; Porphy-

phyrius. Virgilius etiam de quibusdam herbis ponticis locutus, dixit:

His ego sæpè lupum fieri, & se condere syluis
Merim, sæpè animas imis exire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Et Plinius narrat quendam Demarchum Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Ioui Lycæo humana hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse, & in lupum se conuertisse: propter quam hominum in lupos immutationē, putat Augustinus Pani Lycæo & Ioui Lycæo nomen esse impositum. Narrat idem Augustinus, dum esset in Italia, quasdam fœminas magas, Circes instar, dato viatoribus veneficio in caseo, eos in iumenta vertisse, cūq; portassent, quę placuissent, onera, rursus in hoēs restituisse, idq; patri cuidam

Præ-

Præstantio tunc accidisse. Sed & ne quis hæc putet omnino deliramenta esse & impossibilia, is recordetur quomodo sacrę literę narrant Nabuchodonosor Regẽ mutatum in bouem, & septem annis fœno vixisse, tandem Dei misericordia in hominem redijsse: cuius corpus post mortem illius filius Euilmorodath in escam dedit vulturibus, ne quando resurgeret à mortuis, qui iam de bestia redierat in hominem, & huiusmodi plura de magis Pharaonis narrat Exodus. Verùm de ijs siue magis, siue veneficis loquitur Sapiens, dum dicit: Exhorruisti illos Deus, quia horribilia opera tibi faciebant per medicamina. Illud præterea vos scire volo non solũ naturalia scrutari hos magos, verumetiam ea quæ naturam comitantur, ac quodammodo exuunt, vt motus, numeros, figuras, sonos, voces, conuentus, lumina, & animi affectq

atque

atque verba. Sic Psylli & Marsi cõuocabant serpentes, alij alijs deprimentes fugabant: sic Orpheus Argonautarum tempestatem hymno compescuit, & Homerus narrat Vlysi sanguinem verbis restrictũ: & in lege duodecim tabularũ ijs qui messes excantassent, pœna constituta est, vt non dubium sit, magos etiam solis verbis & affectibus, alijsque similibꝰ non in seipsos modò, sed etiam in res extraneas sæpe mirum aliquem producere effectum. Quę omnia non secus vim insitam in res alias profundere, illasque ad se trahere, vel abs se repellere, seu alio quouis modo afficere putant, quàm magnes ferrum, & succinum paleas trahunt, siue adamas & allium magnetem ligant: sicque per hanc rerum gradariam ac concatenatam sibi sympathiam non solum dona naturalia & cęlestia, sed etiam intellectualia & diuina Iamblichꝰ,

Proculus, atq; Sinesius ex magorum sententia desuper susceipi posse confirmant: quòd Proculus in libro de sacrificio & magia fatetur, scilicet per huiusmodi rerum consensum magos etiam numina euocare solitos. Ad tantam enim quidam eorum deuoluti sunt insaniâ, vt ex diuersis stellarum constellationibus, per temporum interualla & quadam proportionum ratione ritè obseruatis constructâ imaginem cælitum nutu vitæ intellectusque spiritum accepturam putant, quo consulentibus illâ, respondeat, & occultæ veritatis arcana reuelet. Hinc patet hanc naturalem magiam nonnunquam in goëtiam & Theurgiam reclinatam, sæpissimè malorum dæmonum vafrâmentis erroribusque obretiri.

DE

DE GOETIA ET NECROMANTIA.

Cap. XLV.

Caeremonialis autem magiæ partes sunt goëtia atq; theurgia. Goëtia, immundorum spirituum commercijs inauspicata, nefariæ curiositatis ritibus, illicitis carminibus & deprecamentis cõcinnata, omnilegum placitis est exterminata, & execrata. Huius generis sunt, quos necromanticos & maleficos hodie nuncupamus:

Gens inuisa deis, maculandi callida cæli,
Quas genuit natura, mali qui sydera mundi,
Iuraque fixarum possunt peruertere rerum,
Nam nunc stare polos & fulmina mittere norunt,
Aethera sub terras adigunt, montesque reuellunt.

Hi sunt ergo qui defunctorum inclamant animas, & illi, quos veteres dicebant epodos, qui excantant pueros, & in eloquium oraculi eliciunt, & qui dæmones paredros circunferunt: quale quiddam de Socrate legimus, & qui, vt dicitur, spiritus pascunt in vitro, per quos se prophetare mentiuntur. Et hi omnes bifariam procedunt, nã alij dæmones malos virtute quadam maximè diuinorum nominum adiuratos aduocare & cogere student: quippe cùm omnis creatura timet & reueretur nomen illius qui fecit eam, non mirũ si Goëtici, & quiáque etiam infideles, pagani, Iudæi, Saraceni, & cuiuscunque prophani collegij siue sectæ homines, diuini nominis inuocatione dæmones astringant. Alij autem nefandissimi, detestando & omnibus ignibus plectendo scelere se dæmonibus submittentes, illis sacrificant & adorant, ido

lola-

lolatrię & viliſsimę deiectionis rei effecti ſunt, quibus criminibus etſi priores non ſunt obnoxij, tamẽ manifeſtis periculis ſe exponunt. Nam etiam coacti dæmones inuigilant, ſemper quo errantes nos decipiant. Ex horum verò Goeticorum anagyri profluxerunt omnes iſti tenebrarum libri, quos improbatæ lectionis Vlpianus iuriſconſultus appellat, protinusque corrumpendos eſſe ſtatuit. Cuiuſ modi primus excogitaſſe dicitur Zabulus quidam illicitis artibus deditus, deinde Barnabas quidam Cyprius, & hodie adhuc confictis titulis circunferuntur libri ſub nominibus Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Salomonis: item Pauli, Honorij, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi, & Eboracenſis cuiuſdam, quorum nugas ſtultè ſecuti ſunt Alphonſus rex Caſtellæ. Robertus Anglicus Bacon, & Apponus, & plerique alij deplorati in-

genij homines. Præterea à non homines modò, & sanctos, & patriarchas, & angelos dei tam execrabilium dogmatũ fecerunt auctores, sed & libros à Raziole & Raphaële, Adami & Tobiæ angelis traditos ostentant: qui libri tamen acutius inspicienti, suorum præceptorum canonem, rituum consuetudinem, verborum & characterum genus, extructionis ordinem, insulsam phrasim, apertè sese produnt, non nisi meras nugas ac imposturas continere, ac posterioribus tẽporibus ab omnis antiquæ magiæ ignaris perditissimis perditionum artificibus esse conflatos, ex prophanis quibusdam obseruationibus nostræ religionis cæremonijs permixtis, insitisque ignotis multis nominibus & signaculis, vt perterreant rudes & simplices, & stupori sint insensatis, & his qui nesciunt bonas literas. Neque tamen propterea patet has artes fabulas esse:

esse: nam nisi reuerà essent atque per illas multa mira ac noxia fierent, non tam arctè de illis statuissent diuinæ ac humanæ leges, eas exterminandas esse de terra. Cur autem goëtici illi solis malis vtantur dæmonibus, ea ratio est, quia boni angeli difficile comparent, quia Dei iussum expectant, nec nisi mundis corde & vita sanctis hominibus congrediuntur: mali autem faciles se exhibent ad inuocandum, falsò fauentes & diuinitatem mentientes, semper præstò vt astu suo decipiant, vt venerentur, vt adorentur. Et quia mulieres secretorum auidiores sunt, ac minus cautę atq; in superstitionem procliues, faciliusque illuduntur, adeò illis se præbent faciliores, faciuntque ingentia prodigia: cuiusmodi de Circe, de Medea, de alijs canunt poëtę, testatur cicero, plinius, Seneca, augustinꝰ, & multi alij tùm philosophi tũ ca-

tholici doctores & historici, ipsæ etiam sacræ literæ. Nam in libris Regum legimus Phytonissam mulierem, quę erat in Endor, euocasse animam Samuelis prophetæ, licèt plerique interpretentur non fuisse animam prophetæ, sed malignum spiritum, qui illius sumpserit imaginem. Tamen Hebręorum magistri dicunt, quod etiam Augustinus ad Simplicianum fieri potuisse non negat, quia fuerit verus spiritus Samuelis, qui ante completum annum à discessu ex corpore facilè euocari potuit, prout docent Goëtici. Quinetiam magi necromantici illud naturalibus quibusdam viribus ac vinculis fieri posse autumant, sicut nos in libris nostris de Occulta philosophia tractauimus: ideoque antiqui patres rerum spiritualium periti non sine causa ordinauerunt, vt corpora mortuorum sepeliren tur in loco sacro, & luminibus so-

cien-

cientur, aqua benedicta aſpergantur, thure incenſo ſuffumigentur, & expientur orationibus, quouſque ſuper terram extiterint. NAM, vt aiunt magiſtri Hebræorum, omne corpus noſtrum & carnale animal, quicquid in nobis ſuper materia carnis malè diſpoſita innititur, relinquitur in cibū ſerpēti, &, vt ipſi vocant, AZAZELI, qui eſt dominus carnis & ſanguinis, & princeps huius mundi: & vocatur in Leuitico princeps deſertorum, cui dictū eſt in Geneſi: Terrā comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et in Iſaia: Puluis panis tuus, hoc eſt, corpꝰ noſtrū creatū ex puluere terræ, quamdiu non fuerit ſanctificatum & trāſmutatum in melius, vt non amplius ſerpentis, ſed Dei effectum, videlicet ex carnali ſpirituale, iuxta verbum Pauli dicentis: Seminatur quod animale eſt, & reſurget quod ſpirituale eſt. Et alibi: Omnes quidē reſurgent,

sed non omnes immutabũtur, quia multi remansuri sunt in perpetuũ cibum serpentis. Hanc itaq; turpẽ & horridam carnis materiam, ac serpentis cibũ morte deponimus, illam aliquandò in meliorem sortem & spiritualem transmutatam reassumpturi, quod erit in resurrectione mortuorum. Et iã factum est in his, qui primitias resurrectionis degustarunt, & multi hocipsum virtute deifici spiritus in hac vita consecuti sunt, Enoch & Helias & Moyses, quorum corpora transmutata in naturam spiritualem, non viderunt corruptionem, nec, sicut cætera cadauera, potestati serpentis relicta sunt. Atque hęc est illa disceptatio diaboli cum Michaële de corpore Moysi, cuius meminit in Epistola sua Iudas. Sed de Goëtia & Necromantia hæc satis.

DE

DE THEVRGIA.

Cap. XLVI.

THeurgiam verò plerique putant haud illicitã, quasi hæc bonis angelis, diuinoque numine regatur: quum sæpissime tamen sub Dei & angelorum nominibus malis dæmonum fallacijs obstringatur. Non solùm siquidem naturalibus viribus, sed etiam certis ritibus ac cæremonijs cælestes, & per illas diuinas virtutes nobis conciliamus & attrahimus, de quibus multis regulis antiqui magi editis voluminibus pertractant. Omnium autem cæremoniarum pars maxima in mundicia seruãda consistit: primum quidem animi, deinde etiã corporis, & eorum quæ circa corpus sunt, vt in cute, in vestibus, in habitaculis, in vasis, in vtensilibus, obligationibus, hostijs, sacrificijs, quorum mũditia ad diuinorum consuetudinem & cõtuitum disponit, & in sacris

ſacris ſummopere efflagitatur, iuxta verba Iſaiæ: Lauamini, & mundi eſtote, & auferte malum cogitationum veſtrarum. Immunditia verò, quæ aërem frequenter & hominem inficit, mundiſsimum illũ cęleſtiũ & diuinorũ influxũ diſturbat, & mundos Dei ſpiritꝰ fugat: Verũ nõnunquã immũdi ſpiritus & deceptrices poteſtates, vt venerentur & adorẽtur pro dijs etiam hanc munditiam exquirunt, ideo hic maxima opus eſt cautela, de quibus latè in libris noſtris de occulta philoſophia diſſeruimus. Verùm de hac Theurgia ſiue diuinorum magia plura diſputans porphyrius, tandem concludit theurgicis conſecrationibus poſſe quidem animam hominis idoneam reddi ad ſuſceptionem ſpirituum & angelorum, ad videndos deos: reditum verò ad D.um hac arte præſtari poſſe, inficiatur omnino. Eius itaque ſcholę ſunt ars Alma-

del

del,ars notoria,ars paulina,ars reuelationum,& eiusmodi superstitionum perplura,quę eo ipso sunt pernicioſiora,quo apparent imperitis diuiniora.

DE CABALA.
Cap. XLVII.

VErùm occurrunt hic mihi verba Plinij, qui est & alia, inquit,magices factio, à Moyse etiamnum & Latopæa Iudæis pendens.quæ verba me de cabala Iudæorum commonefaciunt, quam in monte Sina à Deo ipso Moysi datam penes Hebręos constans opinio est, ac deinceps succesſionem gradus citra literarum monumenta vsque in Ezrę tempora posterioribus sola viua voce tradita, quemadmodum Pythagorica dogmata olim ab Archippo & Lysiade, qui in Grecia Thebis scholas habuere, tradebantur,in quib9 discipuli memoriter doctorum

prȩcepta tenentes, ingenio & memoria pro libris vtebãtur: ſic & Iudæi quidã literas aſpernati, in memoria & obſeruatiõe, ac vocali traditiõe hãc collocarũt: vnde cabala ab Hebræis quaſi ſolo auditu vniꝰ ab altero receptio nuncupata eſt. Ars, vt fertur, puetuſta, nomẽ aũt nõ niſi recentibus tẽporibus apud Chriſtianos cognitũ. Eius verò duplicem tradunt ſcientiã, vnam de breſith, quam & coſmologiam vocant, videlicet rerum creatarum, naturalium, & cȩleſtium vires explicantem, & legis bibliȩque arcana philoſophicis rationibus exponentem: quȩ profectò hac ratione nihil differt à magia naturali, in qua Salomonem regem præſtitiſſe credimus. Legitur namque in ſacris Hebrȩorum hiſtorijs, illum diſputare ſolitum à cedro Libani vſque ad hyſſopũ: nam de iumentis, volucrib. reptilib. & piſcibus, quæ omnia magicas quaſdam naturæ

turę vires prę ferre possunt. Ipse quoque inter posteriores Moyses Aegyptius in expositionibus suis super pentateuchū & plures thalmudistæ hanc insecuti sunt. Alterā verò eius scientiam vocant de mercana, quæ est de sublimioribus diuinarum, angelicarumq; virtutū, ac sacrorum nominum & signaculorum contemplationibus quędā quasi symbolica theologia, in qua literę, numeri, figurę, res, & nomina, & elementorū apices, ac lineæ, puncta & accētus, omnia sunt profundissimarum rerum & magnorum arcanorum significatiua. Hāc rursus bifariā secant, in Arithmantiam, videlicet quę notariacon vocatur, de angelis, virtutib. nominibus, signaculisq; etiam dęmonum ac animarū conditionibus tractās, atque in theomantiam, quæ diuinę maiestatis mysteria, emanationes, sacraque nomina & pentacula scrutatur: quam qui norit, hūc aiunt

aiunt admirandis pollere virtutib. ita quod dum velit, futura omnia præsciat, toti naturæ imperet, in dæmones & angelos ius habeat, & miracula faciat. Hac putant Moysen tot signa edidisse, virgam in colubrem, aquas in sanguinem vertisse: ranas, muscas, pediculos, locustas, bruchos, ignem cum grandine, vesicas & tabes Aegyptijs immisisse, primogenitum omne ab homine vsq; ad pecus interemisse, suosque deducẽtem mare aperuisse, fontem de petra, coturnices de cælo produxisse: aquas amaras dulcorasse, fulgura & nubes per diem, columnam ignis per noctem suis præmisisse, vocem dei viuentis ad populum è cælis euocasse, arrogantes igne, murmurantes lepra percussisse, malè merentes subita strage, alios terræ hiatu absorptos affeciisse, populum cœlesti cibo pauisse, serpentes placasse, venenatos curasse, numerosam turbam ab infirmi-

firmitate, veſtes eorum à corro-
ſione conſeruaſſe, & hoſtium victri
cem reddidiſſe: hac denique mira-
culorum arte & Ioſue ſtare ſolem
præcepiſſe. Eliam ignem in aduer-
ſarios è cælo deuocaſſe, puerum
mortuum vitæ reſtituiſſe: Danie-
lem leonum ora perſtrinxiſſe, tres
puerosin camino æſtuantis incen-
dij carmina ſucciniſſe. Porrò hac
arte aſtruunt perfidi Iudæi etiam
Chriſtum tam admiranda ſæpè fe-
ciſſe: Salomonem quoq; hanc per
calluiſſe, atque ex ea artem contra
dæmones, eorundemque vincula,
& coniurationum modos, ac con-
tra morbos excantamenta tradi-
diſſe, vt auctor eſt Ioſephus. Verũ
ego Deum Moyſi, cæterisque pro-
phetis multa, quæ continerentur
ſub cortice verborum legis, pro-
phano vulgo non communicanda
myſteria retexuiſſe. vt non dubi-
to: ſic hanc, quam iactant Hebræi,
cabalæ artem, quam ego multo la-
bore

bore aliquãdo ſcrutatus ſum, non niſi meram ſuperſtitionis rapſodiam, ac theurgicam quandam magiam agnoſco. Quòd ſi (quod Iudæi iactãt) à Deo profecta ad vitæ profectionem, ad hominum ſalutem, ad Dei cultum, ad intelligentiæ veritatem conduceret: profectò ſpiritus ille veritatis, qui repudiata ſynagoga venit nos docere omnem veritatem, hanc vſque in hæc poſtrema tempora ſuam non celaſſet eccleſiam. quæ profectò omnia nouit quæ ſunt Dei, cuius benedictio, baptiſmus, cæteraq; ſalutis ſacramenta reuelata & perfecta ſunt omni lingua. vniuſcuiuſq; enim linguæ par eſt & eadem virtus, modò par ſit & eadem pietas: nec eſt aliud nomẽ in cælis, nec in terra, in quo oporteat nos ſaluos fieri, & in quo operemur virtutẽ, præter vnum nomen Ieſu, in quo recapitulantur & continentur omnia. Hinc Iudęi in diuinis nominibus

bus peritissimi, parũ aut nihil post christũ operari possũt, sicut prisc illorum patres. Quod autem experimur, & videmus huius artis, vt vocãt, reuolutionibus sæpe miras magnorum mysteriorum à sacris literis extorqueri sententias, totum hoc nihil aliud est, quàm lusus quidam allegoriarum, quas ocioſi homines in singulis literis & punctis & numeris occupati, quod hæc lingua & scribendi ritus facile patiuntur, pro eorum arbitrio fingunt atque refingũt: quæ etsi nonnunquã magna sonent mysteria, nihil tamen probare, nec euincere queũt. quin iuxta verba Gregorij eadem facilitate contemnere liceat, qua asseruntur. Confinxit simili artificio pleraq; Rabanus monachus, sed latinis characteribus & versibus, infertis varijs imaginibus, qui quaque versus lecti, per quælibet superficiei ac imaginum lineamenta sacrum aliquod enunciant my-

mysterium depictæ illic historiæ repræsentatiuum, quæ etiam ex prophanis literis extorqueri posse nemo ignorat, qui Valeriæ Probę ex Virgilij carminibus compositos de Christo centones legerit: quæ omnia & eiusmodi sunt speculationes ociosorum hominum. Quod autem ad miraculorum operationem attinet, neminem vestrũ puto tam stolidæ ceruicis, qui de ijs credat aliquá habere artem vel scientiam. Est itaq; nihil aliud hæc Iudæorum cabala, quàm perniciosissima quædam superstitio, quæ verba & nomina & literas sparsim in scriptura positas pro arbitrio suo colligunt, diuidunt, transferũt: & alterum ex altero facientes, soluunt membra veritatis, sermones, inductiones, & parabolas hinc inde ex proprijs fictionibus construentes: aptare illis volunt eloquia Dei, infamantes scripturas & dicentes sua figmenta ex illis constare, ca-

lum

lumniantur legem Dei per impudenter extortas supputationes dictionum, syllabarum, literarum, numerorum, tentant violentas & blasphemas perfidiæ suæ inferre probationes. Præterea ijs nugis inflati, ineffabilia Dei mysteria & quæ sunt supra scripturam arcana, sese inuenire & scire iactant, per quę etiam prophetare, & virtutes & miracula sese perficere, sine rubore magnaque audacia mentiri non erubescunt. Sed accidit illis quod cani Aesopico, qui pane relicto & in vmbrá eius inhians, perdidit escam: sic perfidum hoc & duræ ceruicis hominum genus semper vmbris scripturę occupatum, & circa illas vanitates sua artificiosa, sed superstitiosa cabala impetum faciens, amittit panem vitæ ęternę, & inanibus nominib. depastum, perdit verbum veritatis. Ex hoc cabalisticę superstitionis Iudaico fermento prodierunt (pu-

(puto) Ophitæ, Gnostici & Valentiniani hæretici, qui ipsi quoq; cum discipulis suis Græcam quandam Cabalam commenti sunt, omnia Christianæ fidei mysteria peruertentes, & hæretica prauitate ad græcas literas & numeros protrahentes, ex illis construentes corpus, quod vocant veritatis, docentes absque illis literarum & numerorum mysterijs non posse in Euangelicis literis inueniri veritatem: quia variæ sunt & alicubi sibi repugnantes, plenæque parabolis scriptæ, vt videntes non videant, & audientes non audiant, & intelligentes non intelligát, sed cæcis & errantibus iuxta suæ cæcitatis & erroris capacitatem propositas: latentem verò sub illis syceram veritatem solis perfectis non per scripta, sed per viuæ vocis successiuam pronunciationem esse creditam, atq; hanc esse illam alphabetariam & arithmanticam

Theo-

Theologiam, quam Christus secretò manifestauit Apostolis, & quam Paulus se loqui dicit non nisi inter perfectos. Cùm enim hæc altissima sint mysteria, ideo nec scripta esse, nec scribi, sed in silentio scrutari apud sapientes, in absconditò secum illa custodientes. Sapiens autem apud eos nemo, nisi qui maxima hęreseos monstra fabricare nouit.

DE PRAESTIGIIS.

Cap. XLVIII.

SED redeamus ad magiam, cuius particula etiam est præstigiorum artificium, hoc est, illusionum, quæ secundum apparentiam tantum fiunt, quibus magi phantasmata edunt, multaque miracula circulatorijs fraudibus ludunt, & somnia immittunt: quod non tam Goeticis incantamentis & imprecationibus, dæmonumque fallacijs, quàm etiam certis fumigiorum vaporibus, lumi-

luminibus, phyltris, collyrijs, alligationibus, & ſuſpenſionibus: prę tereà annulis, imaginibus, ſpeculis, ſimilibusque magicę artis pharmacis & inſtrumentis, naturali cęleſtique virtute perpetratur. Multa & manuum prompta ſubtilitate & induſtria fiunt, euiuſmodi ab hiſtrionibus & ioculatoribꝰ quotidie fieri videmus, quos idcirco chiroſophos, hoc eſt, manu ſapientes appellamus. Extant de hoc artificio libri pręſtigiorum Hermetis & quorundam aliorum: legimus quoque Paſeten quendâ prę ſtigiatorem, refertiſsimum conuiuium hoſpitibus monſtrare ſolitum, idque cum libuit rurſum euanuiſſe, diſcumbentibus omnibus fame ac ſiti eluſis. Numam Pompilium etiam iſtiuſmodi pręſtigijs vſum legimꝰ. Sed & doctiſsimum Pythagoram id ridiculum aliquando factitaſſe, vt quę collibuiſſet, ſanguine perſcriberet in ſpeculo,

quo

quo ad pleni luminis lunæ orbem obuerſo, ſtanti à tergo res exaratas in diſco lunæ commonſtraſſe. Huc ſpectat etiam quidquid de hominum transformationibus legitur decãtatum à poëtis, creditum ab hiſtoricis, & à nonnullis Chriſtianis theologis, inſuper à ſacris literis adſertum. Sic apparent homines aſini vel equi, vel alia animalia oculis faſcinatis, aut parturbato medio, idque arte naturali. Nonnunquam etiam hæc fiunt à bonis & malis ſpiritibus, ſeu ad bonorũ preces ab ipſo Deo, ſicut in ſacris literis legimus de Heliſæo propheta, obſeſſo ab exercitu regis Syrię vallantis Dothain: verùm puris & apertis à deo oculis iſta non poſſunt illudere. Sic mulier illa, quæ à vulgo iumentum iudicabatur, Hilarioni non iumentum, ſed quod erat mulier, videbatur. Ea igitur, quæ hoc modo ſecundum apparẽtiam fiunt, præſtigia dicu-

tur: quę autem fiunt permutantiũ aut transferentium, vt de Nabuchodonosor, aut mesibus ad alios agros traductis, de his diximus superius. Verùm de hac præstigiorũ arte sic ait Iamblichus: Quæ præstigiati seu fascinati imaginantur, præter imaginatiua nullam habẽt actionis essentię veritatem. Eiusmodi namq; artificij finis est, non facere simpliciter, sed vsque ad apparentiam imaginamẽta porrigere, quorũ mox nullum cõpareat vestigium. Iam itaq; ex his quę dicta sunt patet, non aliud esse magiam quàm complexum idololatrię, astrologię, superstitionęque medicinę. Iamq; etiam à magis magna hęreticorum caterua in Ecclesia orta est, qui, sicut Iamnes & Iambres restiterunt Moysi, sic illi restiterunt Apostolicę veritati. Horum princeps fuit Simõ Samaritanus, qui Romæ sub Claudio Cęsare propter hanc artem statua dona-

donatus est cum hac inscriptione, Simoni sancto Deo. Eius blasphemias copiose narrant clemens, Eusebius, & Irenęus. Ex hoc Simone tanquam ex hęresum omnium seminario, per multas successiones monstrosi Ophitę, turpes Gnostici, impij Valentiniani, Cerdoniani Marcionistę, Mōtaniani, & multi alij hęretici prodierunt propter quæstum & inanem gloriam, mentiētes aduersus Deum, vtilitatem nullam neque beneficia hominibꝰ pręstantes, sed decipientes & in perniciem & in errorem mittentes: & qui credunt illis, confundentur in iudicio Dei. Verùm de magicis scripsi ego iuuenis adhuc libros tres, amplo satis volumine, quos de Occulta philosophia nuncupaui, in quibus quidquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recantatum volo: permultum enim temporis & rerū in his

vanitatibus olim cõtriui. Tandem hoc profeci, quod sciã quẽis rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Quicunq; enim non in veritate nec in virtute Dei, sed in elusione dæmonum, secundum operationem malorum spirituum, diuinare & prophetare præsumunt, & per vanitates magicas, exorcismos, incantationes, amatoria, agogima, & cętera opera dæmoniaca, & idololatrię fraudes exercentes, præstigia & phantasmata ostentantes, mox cessantia miracula sese operari iactant: omnes hi cũ Iamne & Mambre, & Simone mago ęternis ignibus cruciandi destinabuntur.

DE PHILOSOPHIA naturali, Cap. XLIX.

CAEterum nunc ad vlteriora procedamus, ipsiusq; philosophię placita, & quæ naturam ipsam scrutantur, rerumq; prin-

principia & fines vafris ſyllogiſmis inquirunt, ſcientias inueſtigemus. Quę profectò quam habeant certitudinem aliam à doctorum ſuorum fide, omnis homo ignorat. Hanc primò poetæ profeſsi ſunt, è quibus Promethęus, Linus & Muſæus & Orpheus, porro Homerus primi inuentores numerantur. Philoſophia itaq; nunc quam nobis veritatem præſtare poterit, quę ipſa ex poetarum nugis fabulisque progenita eſt, quod ita eſſe manifeſtis indicijs probat Plutarchus, omnes videlicet philoſophorum ſectas ab Homero principium ſumpſiſſe: ipſeque Ariſtot. fatetur etiam philoſophos natura philomytos, hoc eſt, fabularum ſtudioſos eſſe. Sectas philoſophorum alij nouem, alij decem, ſed multo maiori numero illa Varro partitus eſt. Quòd ſi quis etiam omnes philoſophos in vnum congregauerit, adhuc inter eos conſtare

non poterit, quæ secta potior diceenda sit, quorum dogmatibus potius parendum: adeò circa singula inter se pugnant atque dissentiunt, perpetuamque hanc per secula litem alunt: & quod (ait Firmianus) vnaquæque secta omnes alias euertit vt se suaque confirmet, nec vlla alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur. Cumque de singulis philosophia disputat & opinatur, de nullis certa est: vnde philosophos an inter bruta, an inter homines numerem, planè nescio: brutis siquidem præstare videntur, eò quòd rationem habeant & intelligentiam: homines autem quomodo erunt, quorum ratio nihil constans persuadere potest, sed semper in lubricis opinionibus vacillat, quorum intellectus ad omnia incertus non habet quod teneat aut sequatur: idq; nunc ita esse, diffusius ostẽdamus.

DE

DE PRINCIP. RER. naturalium, Cap. L.

NAm in primis de rerum naturalium principijs, super quibus tota hęc facultas fundatur, acerrima pugnainter grauissimos philosophos certatur, & adhuc sub iudice lis est quis eorum melius dixerit: admodum persuadibiles, inuincibilesque de contrarijs adferunt rationes. Nam Thales Milesius primus sapiens ab oraculo iudicatus, ex aqua omnia constare voluit: eius auditor & in schola successor Anaximander, rerum principia dixit infinita: illius autem discipulus Anaximenes, infinitum aërem esse rerum principium astruxit. Hipparchus, Heraclitus Ephesius ignem, his ambobus quodammodo adsentit Archelaus Athenienſis, Anaxagoras Clazomenius, infinita principia tanquam particulas minutas & confusas, sed diuina mente

in ordinem postea redacta: Zenophanes vnum esse omnia, neque id ipsum motabile: Parmenides calidum & frigidum tanquam ignē qui moueat, & terram quæ formet: Leucipus, Diodorus, & Democritus plenum & vacuum: Diogenes Libertus aërem, diuinæ tamen rationis compotem: Pythagoras Samius numerū statuit rerum principium, quem sequitur Alcmeon Crotoniates. Empedocles Agrigentinus litem & amicitiam, ac quatuor elementa: Epicurus atomos & inane, Plato ac Socrates Deum, Ideas materiam, Zeno Deum, materiam & elementa, Aristoteles materiam ad appetitū formæ per priuationem, quam ipse inter principia tertium ponit, contra id quod alibi docuit, æquiuoca nō debere annumerari: quare alij recentiores peripatetici loco priuationis motum quendam vtraq; cogentē posuerunt, qui cū sit

sit accidens, quomodo erit principium substantię, aut quis erit eius motus motor? Ideo Hebræorum philosophi materiam, formam & spiritum statuerunt.

DE MVNDI PLVRALITATE, & eius duratione. Cap. LI.

CAeterum cum de mundo disputant, nihilominus dissentiunt: Thales vnum mundum censuit, illumq; Dei facturam asserit, Empedocles similiter vnum, sed vniuersi tantum exiguã esse particulam, Democritus & Epicurus contrà, mundos esse innumerabiles, quos sequitur Metrodorus horum discipulus, dicens innumerabiles esse mundos, quia causæ eorum innumerabiles sint, nec minus absurdum esse, tantum vnum in vniuerso esse mundũ, quã in agro vnam duntaxat nasci spicam. De mũdi aũt duratione locuti Aristot.

Aristoteles, Auerrois, Cicero, Xenophanes illum æternũ, omnis corruptionis expertem dicunt. Nam cùm non possent intelligere, (vt Censorinus ait) oua ne an aues antè generatæ sint, cùm & ouum sine aue, & auis sine ouo gigni non posset: hinc arbitrati sunt mundum hunc, & vniuscuiusque geniti initium simul & finem perpetua reuolutione sempiternum. Pythagoras & Stoici à DEO genitum, & aliquando, quantum ex sui natura est, corrumpendum: quèis consentiunt Anaxagoras, Thales, Hierocles, Auicenna, Algasel, Alcmæus & Philo Hebræus, sed Plato asserit à Deo illum ad sui exemplar fabricatum, nunquam desiturum. Epicurus contrà planè interiturum. Democritus semel mundum genitum docet & interiturum, nec vnquam reparandum. Empedocles & Heraclitus Ephesius non semel, sed semper mundum

dum generari & corrumpi asserunt. Agamus liceat de re quapiam, quam illi à causa naturali potissimum procedere dicunt, putà de terræ motu, adhuc ipsum vnanimiter adinuenire nequierũt, sed permulta vagati, causam eius Anaxagoras æthera dixit, Empedocles ignem, Democritus & Thales Milesius aquam, Aristoteles, Theophrastus & Albertus ventum vel vaporem subterraneum: Asclepiades casum vel ruinam, Posidonius, Metrodorus, Calisthenes parcas: Seneca & alij in diuersa distracti, causam eius effectus frustrà inquisiuerunt: propterea veteres Romani, vbi terram tremuisse senserant, nunciatúmue esset, ferias quidem impetrabant, sed cui Deorum seruari illas oporteret, non edicebãt: quoniam qua vi, & per quem Deorum terra tremeret, adhuc incertum esset.

DE

DE ANIMA,
Cap. LII.

QVod si de anima ab illis aliquid scisciteмur, multo minus conueniunt: nam Crates Thebanus nullam esse animam ait, sed corpora sic à natura moueri. Qui autem animã fasi sunt, plerique illam corporum tenuissimum opinati sunt, huic crasso corpori suffusum: sed illorum alij aliud esse igneum dixerunt, vt Hipparchus & Leucippus, quibus quodammodo consentiunt Stoici, dicentes animam esse spiritum feruidũ, ac Democritus, dicens illam esse spiritum mobilem & ignitum atomis insertam. Alij dixerunt esse aërem, vt Anaximenes & Anaxagoras, Diogenes cynicus, & critias, quibus adstipulatur Varro inquiens: Anima est aër conceptus ore, deferuefactus in pulmõe, temperatq; in corde diffusus in corpus. Alij aqueum, vt Hippias, Alij terreum,

vt

vt Heliodor9 & Pronopides, quib. quodammodo assentiunt Anoximander & Thales, ambo conciues Milesij. Alij mixtum ex igne & aëre spiritum, vt Boetes & Epicur9: Alij ex terra & aqua, vt Xenophõtes. Alij ex terra & igne, vt Parmenides. Alij sanguineum, vt empedocl. & Circias. Alij spiritum tenuem per corpus diffusum, vt Hippocrates medicus. Alij carnem cũ sensuum exercitio, vt Asclepiades. Multi autem alij arbitrati sunt animam non corpusculum illud, sed illius quandam qualitatem vel cõplexionem, per illius particulas sparsam, vt Zeno Cithicus: & Dicearchus animã definiens quatuor elementorum complexionem: atque Cleantes, Antipater, Possidonius, dicentes illam esse calorem siue complexionem calidam, quib. adhæret Galenus Pergamenus. Sunt & alij, qui dixerũt animã nõ eã esse qualitatẽ seu cõplexionem,

sed

sed tanquam ad eius punctum aliqua certa corporis parte, vt corde vel cerebro residentem, & exinde de totum corpus gubernantem: ex quorum numero sunt Chrysippus, Archelaus & Heralitus Ponticus, qui animam vocauit lucem. Sũt rursus alij, qui adhuc liberius quoddam opinati sunt, animam vt punctũ aliquẽ liberũ, nulli corporis parti alligatum, sed ab omni determinato situ seclusum, & totum cuique corporis parti præsentem, quem siue complexio genuerit, siue Deus creauerit, tamen ex materię gremio eductus sit. Huius opinionis fuerunt Xenophanes, Colophonius, Aristoxenus & Asclepiades medicus, dicens animam esse sensuum coërcitionẽ, & Critolaus peripateticus, dicens eam esse quintam essentiam, ac Thales Milesius, dicens animam esse naturam irrequietam sese mouentem, & Xenocrates vocãs eam sese mo-

uen-

uentē numerū. quem sequūtur Aegyptij, dicētes animā esse vim quā-dam in omnia corpora transmeantem, & Chaldęi, inquiētes eam virtutem absq; determinata forma, omnes tamen exteras suscipientē: oēs quidem in hoc conuenientes, quòd anima sit vis quædā agilis ad mouendum, vel esse partium corporalium sublimem quandam harmoniā, sed tamen ab ipsa corporis natura dependentē. Atq; horū vestigia sequitur dęmoniacus Aristoteles, quiinuento nouo vocabulo, animā vocat entelechiam, scilicet perfectionē corporis naturalis organici, potentia vitā habentis, dantē illi principiū intelligēdi, sentiendi & mouēdi. Atq; hęc receptissimi philosophi animę futilis definitio, quę nō essentiā, naturā aut eius originē declarat, sed affectus. Porro supra hos oēs sunt allij, quidixerunt animam esse diuinam quandam substantiam, totam ac indiuiduam,

duam, ac toto ac cuique corporis parti præsentem, ab incorporeo auctore taliter productam, vt ex sola agentis virtute non ex materiæ gremio dependeat. Eius opinionis fuerũt Zoroastes, Hermes Trismegistus, Orpheus, Aglaophemus, Pythagoras, Eumenius, Hámonio, Plutar. prophir. Timæo. Locrus, & diuinus ille Plato dicés: animam esse essentiam sui motricé intellectu præditã. Eunominius episcopus partim Aristoteli, partim Platoni consentiens, definit animam esse substantiam incorpoream in corpore factam, super qua definitione deinde reliqua sua dogmata fabricauit. Cicero, Seneca, Lactantius, quid sit anima dicunt penitus ignorari. En videtis de animæ essentia quàm inter se dissident, nec minus ridiculè de eius sede inter se variant: nam Hippocrates & Hierophilus in cerebri ventriculis illam ponunt,

nunt, Democritus in toto corpore, Erasistratus circa membranam epicranidem. Strato in supercilio rum interstitio, Epicurus in toto pectore, Diogenes in cordis arteriato ventriculo, Stoici cum Chrysippo in toto corde ac spiritu circa cor versante, Empedocles in sanguine, cui adstipulatur Moyses, idcirco prohibens vesci sanguine, quia animalis anima sit in illo. Plato & Aristoteles & reliqui nobiliores philosophi in toto corpore, Galenus autem in quauis corporis particula suam esse animam putat: sic enim ait in libro de partium vtilitate: Multæ animaliũ etiã particulæ, hæ quidẽ maiores, illę minores, aliæ verò omnifariam in animalium speciem indiuisibiles, necessariò autem ijs omnibus anima quęuis indiget: corpus enim huius organum, & propterea multum à se inuicem animaliũ particulæ differunt, quia &

ani-

animę. Neq; verò hìc prętereundũ censeo Bedæ theologi sententiam, qui scribẽs super Marcum, Animæ locꝰ, inquit, principalis, non iuxta Platone in cerebro, sed iuxta chriſtũ in corde est. De animæ aũt duratione, Democritus & Epicurus vnà cum corpore interiturá aiunt. Pythagoras & Plato omnino immortalem, sed egressam corpore ad sui generis naturam deuolare. Stoici tanquam inter hos medij animam corpus relicturam, sic vt quę in vita hac nullis sublimata virtutibus infirmior sit, vnà cum illo emori: sin autem heroicis formata virtutibus, permanentibus illam naturis sociari, & ad sublimiores sedes euadere putant. Aristoteles quasdam animæ partes, quæ corporeas sedes habeant, ab illis inseparabiles esse, vnaque cum illis interire dicit: intellectum autem, qui nullius sit corporei organi, velut perpetuum à corruptibili se-

parari, sed adeò nihil manifesti dicit, vt eius interpretes adhuc de ea re disputent. Alexander Aphrodiseus ait manifestò, eum mortalem posuisse animam: idem sentit ex nostris Gregorius Nazianzen9. Contra hos Pleton, & ex nostris Thomas Aquinas pro Aristotele digladiantur, illum de animæ immortalitate rectè sentire. Porrò Auerrois eximius ille Aristotelis commentator, hominem quemque propria anima pollere putat, sed mortali; Mentem verò humanam seu intellectum dicamus esse vsquequaque ab omni tam anteriori quàm posteriori parte æternam, sed omnibus hominib. seu humanæ speciei vnam, qua tantùm in vita vteremur. Themisti9 verò ait Aristotelē mentem quidē agentem vnicam, capacem autē multiplicē posuisse, atq; vtráq; perpetuā. Horū præterea philosophorū opera factū est, vt etiā inter christianorū theo-

theologos de animarum origine ortum sit disidium, quorum aliqui à mundi origine factas in cælo omnium hominum animas putát, inter quos est vnus de multis doctissimus Origines. Augusť. quoq; primi parentis animam cęlitus ortam putat corpore antiquiorem, idque postea, tanquam aptum sibi contemplatum domicilium volũtario motu expetisse: quanquá ne hoc quidem satis constanter affirmare videatur.

Alij ex traduce animam propagari putant, sic animam ab anima generari quemadmodum à corpore corpus: in qua opinione fuit Apollinaris Laodiceæ Episcop9 & Tertullianus, Cyrillus, & Luciferianus, contra quorum hæresim Disputat Hieronym9. Alij à Deo animas quotidie creari tradunt, hos sequitur Thomas, eo peripatetico argumento pugnans, quod, cùm anima sit corporis forma, eá

non

non seorsum, sed in corpore creari debere: quam opinionem sequitur iam ferè omnis recentiorum Theologorum schola. Mitto gradus animarum, ascensiones & descensiones, quas Origenistæ inducut, sed diuinis scripturis nō corroboratas, nec Christianorum dogmatibus conformes: adeò nihil neque apud philosophos, neque apud theologos de anima certum. Nam Epicurus & Aristoteles mortalem putant. Pythagoras in gyrum ducit. Et sunt (vt quodam loco ait Petrarcha) qui eam contrahūt ad suum corpus, sunt qui etiā sparguntin corporibus animantium, sunt qui cęlo reddant, sunt qui circa terras exulare cogant: sunt qui inferos asserunt, sunt qui negent: sunt qui vnamquamque per se, sunt qui omnes simul animas creatas putent, hæcille. Fuit & Auerrois, qui mirabilius quiddam dicere ausus: vnitatem vt dixi attulit

tulit intellectus. Manichæi hæretici dixerunt vnã solá esse omnium seu vniuersi animam, in singula corpora tam animata quàm inanimata dispertitam, sed minus participare quæ nobis videntur anima expertia, magis autem quę animata, maximè verò cælestia: atque sic tandem concludunt, non nisi vniuersalis animæ partes esse singulares animas. Plato etiam vnam quidem vniuersi animam astruit: particularium verò alias, quasi separatim vniuersum sua anima existat animatum, diuisim item particularia. Præterea alij vnam animarum speciem, alij non vnam, sed duas, rationalem & irrationalem: alij multas, & tot quot sunt animalium species affirmant. Galenus medicus diuersis iuxta speciem diuersas item esse animas sentit: insuper & multas in eodem corpore animas ponit. Sunt & qui in homine duas animas ponunt,

sunt, vnam sensitiuam à generante, aliam intellectiuam à creante, inter quos est Occam theologus. Plotinus aliam esse animá & alium asserit intellectum, quem sequitur Appollinaris. Quidam non distinguunt ab anima intellectum, sed illum substantiæ animæ principalem partem esse dicunt: verũ Aristoteles hunc potentia adesse huiusmodi, atque actu de foris illi superuenire opinatur, neque ad naturam hominis & essentiá conferre, sed ad perfectionem cognitionis & contemplationis. Ideoque paucos homines & solos philosophos illum qui actu intellectꝰ dicitur, habere affirmat. Quippe etiá grauis inter theologos disputatio est, an (quæ Platonicorum opinio est) in animab9 exutis, eorum quæ in vita gesserint relique rintque, memoria sensusq3 supersint, aut istorum cognitione omnino careant, quod Thomistæ cum

suo

suo Aristotele firmiter tenent, & Carthusiensis exemplo confirmât de Parisiensi illo theologo ab inferis reuerso, qui interrogatꝰ quid illi restaret de scientia sua. Respõdit, nihil se scire nisi pœnam, & citato Salomonis verbo, Non est ratio, non scientia, non opes apud inferos, concluſisse illis videbatur nullam mortuis supereſſe cognitionem. Quod tamen manifestè est, non tam contra Platonicorum assertionem, quam contra scripturæ auctoritatem veritatemque, cũ dicat scriptura, visuros & scituros impios, quia ipse Deus est: quin & omnium non modò factorum, sed & verborum ociosorum, & cogitatuum rationem reddituros. Sũt etiam qui de animarum separatarum apparitionibus plura scribere & referre audent, eaque non ratiõ ab euangelica doctrina, & sacro canone aliena, atque cùm præcipiat Apostolus nec angelis de cęlo cre-

credendum esse, si quid renunciarent aliud quã quod traditum est: adeo penes istos antiquatum est euangelium, vt citius magisque credant vni ex mortuis renunciánti, quàm Prophetis, quã Moysi, quàm Apostolis, quàm Euangelistis. Talis profectò fuit doctrina atque sententia diuitis sepulti in inferno, qui putabat tũc credituros superstites fratres, si quis ex mortuis iret, & testificaretur illis. Cui sic opinanti in euangelijs contradicit Abraham, inquiens: Si Moysi & prophetis non credant, neque si quis ex mortuis mittatur credituros. Neque tamen propterea pias defunctorum apparitiones, admonitiones & reuelationes omnino inficior, sed valde suspectas esse admoneo, satana sese sæpissimè in lucis angelum & animarum effigiem transfigurãte. Quocirca credendi anchora in illis non est figenda, sed ad ædificatio-

nem piè acceptanda sunt, sicut alia quæ extra sacrum canonem, vel inter apocrypha sunt. Circunferũtur de his nugis multi fabulosi libelli Tundali, & qui Consolationis animarum inscribitur: & alij, quorum exemplis concionatores quidam imperitam plebeculã territãt, & munuscula contorquent. Scripsit etiam recentibus diebꝰ de spiritu quodam Lugdunensi fabulam protonotarius quidã Gallꝰ, homo nequã & impostor. Ex laudatis autem scriptoribus agit de istis Casianus & Iacobꝰ de Paradiso Carthusianus, verũ nihil vnquam solidæ veritatis, aut abditæ sapientiæ, quæ veram charitatem & animarum nostrarum salutem ædificarent, ab his animarũ apparitionibus reuelatum est, sed duntaxat eleemosynæ, peregrinationes, orationes, ieiunia, & reliqua popularis pietatis opera persuasa sunt: quæ tamen multo melius sa-

salubriusque docent sacræ literæ, præcipitque ecclesia. Verùm de his apparitionibus latè scripsimus in dialogo nostro de homine, & in libris de Occulta philosophia: sed modo redeamus ad philosophos. Ethnici omnes, qui animam immortalem asseruerunt, animarum transmigrationem communi consensu astruunt, & rationales animas ad rationis expertia corpora, & ad plantas vsque transmeare per temporum quasdam periodos, vel vt aliter contigerit, harum transmigrationem auctorem ferunt Pythagoram, de quo in Transfigurationibus sic cecinit Ouidius:

Morte carent animæ, semperque priore relicta
Sede, nouis dotibus viuunt habitantque receptæ.

Ipse ego nã memini Troiani tempore belli,
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hęsit in aduerso grauis hasta minoris Atridæ,
Cognoui clypeum læuæ gestamina nostræ
Nuper Abantæis templo Iunonis in Argis.

Multo plura de hac Pythagorica migratione scripserunt Timó, Xenophanes, Cratinus, Aristophó, Hermippus, & Lucianus, & Diogenes Laêrtius: verùm Iamblichq & plerique alij cum Trimegisto, non ab hominibus ad rationis expertia animalia, neque ab illis item ad homines, sed ab animalibus ad animalia, & ab hominibus ad homines transmigrationes duntaxat fieri consentiunt. Sed & sunt philosophi, ex quorum numero Euripides Anaxagoræ consectator, & Archilaus physicus, atque post eos

Aui-

Auicenna, qui primos homines olerum more ex terra natos tradant, eo ipso non minus ridiculi poëtis, qui homines quosdam satiuos ex serpentum dentibus progerminasse fabulantur. Sunt qui generationem omnino negent, vt Pyrrho Elienſis: ſunt & qui negẽt motum, vt Zeno.

DE METAPHYSICA

Cap. LIII.

SED ad vlteriora progrediamur oſtendemusque philoſophos illos non ſolũm de ijs quæ in rerum natura videntur, ſed etiam de figmentis cogitationum ſuarũ digladiari, atque de ijs rebus quæ nullis principijs firmantur: neque certum eſt, an ſint vel non ſint, vt quas absque corpore & materia ſubſiſtere opinantur, quasque formas ſeparatas vocant. Quę quoniã in rerum natura nõ ſunt, ſed ſupra

illam esse putantur, idcirco trásnaturalia seu metaphysica vocant. Hinc ille innumerabiles de dijs, & vndique sibi repugnantes, nec minus impiæ quàm indoctę opiniões prodierunt: nam Diagoras Milesius, & Theodorus cyrenaicus nullum prorsus Deum esse dixerunt, Epicurus aũt esse quidem Deum asseruit, sed nulla inferiorum cura teneri. Protagoras, esset nec ne, nihil sciri posse dixit, Anaximander natiuos deos putabat, longisq; interuallis orientes occidentesque. Xenocrates octo esse deos dixit. Antisthenes multos quidem deos populares, sed vnum naturalem summum totius artificem. Sed in tantam insaniam multi eorũ prolapsi sunt, vt quos adorarent deos, proprijs manibus ipsi sibi fabricarent: vt erat statua Beli apud Assyrios, quos tamen factitios deos mirum quàm extollat Hermes Trismegistus in suo Aesculapio. De divina

uina autem essentia locuti, Thales Milesius mentem dixit Deum, qui ex aqua cuncta formauerit: Cleantes & Anaximenes aëra Deum dixerunt: Chrysippus naturalẽ vim ratione prędităm seu diuinam necessitatem: zeno, diuinam naturalemque legem: Anaxagoras, infinitam mentem per se mobilem. Pythagoras animum per naturam rerum omnium intentum & commeantem, ex quo omnia vitam capiunt. Crotoniates Alcmeon solem, lunam cæterasque stellas deos dixit. Zenophanes omne quod esset Deum esse voluit, Parmenides continentem quendam lucis orbem, quem stephanon, hoc est, coronam pro deo statuit. Aristoteles quasi ex cælorum motu satis explorata deorũ cognitio haberi posset, ex illorum natura deos commentus est, ac diuinitatem modò menti tribuit, modò cæli ardorem deum dicit, modò mun-

dùm ipsum Deum statuit, modò alium illi Deum præficit. Hunc eadem inconstantia sequitur Theophrastus. Transeo quid Strato, Perseus, Aristo Zenonis discipulus, Plato, Xenophon, Speusipp9, Democritus, Heraclides, Diogenes Babylonius, Hermes Trismegistus, Cicero, Seneca, plinius, & reliqui censuerunt, quorum opiniones tamen à prioribus illis & iá recitatis, non longè discedant. Possem etiam reliquas illorum lites, & verborum portenta percurrere de ideis, de incorporeis, de atomis, de hyle, de materia, de forma, de vacuo, de infinito, de æternitate, de fato, de transcendentibus, de introductione formarum, de materia cæli, an ex elementis sydera constant, an ex quinta essentia, quá Aristoteles introducit, deque similibus, quæ insanis hominibus opinandi ac dubitandi contendendique materiam præbent: sed satis me-

me indicasse arbitror quàm nihil inter philosophos de veritate ipsa cõueniat. quib. quò quis redditur propinquior, eõ magis à vero ipso longiusque abest, & catholica religione aberrat. Hinc errasse scimus Ioannem vicesimum secundum Romanum pontificem, volentem animas beatas non visuras faciem Dei ante diem iudicij. Scimus Iulianum apostatam Christum abnegasse, non alia causa, quàm quod philosophiæ studiosior, humilitatem fidei Christianæ irridere ac contemnere cœpit. Eadem causa Celius, Porphyrius, Lucianus, Pelagius, Arrius, Manichæus, Auerrois, multique alij tanta rabie aduersus Christum & ecclesiam eius oblatrarunt. Hinc natũ illud apud vulgus prouerbium, Maximos quosque philosophos, maximos esse hæreticos solere: sed & Hieronymus vocat eos patriarchas hæreticorum, & primogenita Aegy-

pti, & vectes Damasci, nimis verè dicta nam quicquid hæresum vnquam fuit, totum hoc & omne ex philosophiæ fontibus ceu primo seminario scaturijt. Ab hac ferme tota theologia adulterata est, ac pro euangelicis doctoribus pseudoprophetæ, hæretici, ac philosophi nati sunt, qui diuina oracula humanis inuentis æquârunt, ac mirabilibus hominum dogmatibus polluerunt, ipsamque simplicem theologiam (vt ait Gerson) ad verbosam & sophisticam loquacitatem, ac Chimerinam mathematicâ reduxerunt. Quod prævidens paulus apostolus, toties nos hortatur ac cauere iubet, ne quis nos per philosophiam deprædetur vel seducat. Augustinus ciuitatem Dei ab illa tuetur atque defendit. Reliqui fermè omnes theologi & sancti patres eam à Christianis scholis procul propellendam penitusque extirpandam censuerunt. Nec

desunt

desunt etiam ethnicorum exempla, quibus aliquando factitatum legimus. nam sustulerunt Athenienses Socratem philosophię parentem, eiecerunt vrbe philosophos Romani, Messaniąque & Lacones, nec admisere vnquam, qui etiam sub Domitiano vrbe exacti sunt,& tota insuper Italia interdicti. Extat etiam Antiochi regis decretum in adolescentes, qui philosophari ausi sunt,atque etiam in parētes, qui liberis id admittebāt. Nec mō ab imperatoribus regibusq; dānati pulsiq;,sed à doctissimis viris editis libris reprobati, è quorū numero sunt Phliasius Timon, qui opus nomine Syllos in derisionē philosophorū scripsit: & Aristophanes: qui in eos comediā scripsit, cuius nomē Nubes, & Dion Pruseus orationem scripsit cōtra philosophos omniū eloquentissimā. Scripsit etiā orationē Aristides contra Platonē, pro quatuor Atheniēsiū

proceribꝰ multò eloquentiſsimá, ſed & Hortenſius Romanus vir nobiliſsima familia & eloquentiſſimus, validiſsimis rationibus philoſophiam inſectatus eſt. Sed de ijs hactenus.

DE MORALI PHILOSOPHIA.

Ca. LIIII.

RElīquū verò, ſi qua de moribus (vt aliquibus placet) philoſophia ſiue diſciplina eſt, hãc arbitror ego non tam philoſophorum ratiunculis, qui vario vſu, cõſuetudine, obſeruatione, ac communis vitæ conſeruatione conſtare, ac pro temporum, locorum, hominumque opinione mutabilem eſſe, quàm minæ ac blandimenta pueros, leges atque vindicta maiores docent. Nõnulla hominibus natiua addit induſtria, quę doceri nequeũt, ſed pro temporum vſu, homi-

minumque conspiratione per fas vel nefas inolescunt: quo fit, vt, quod aliquando vitium fuit, modò virtus habeatur: & quod hic virtus est, alibi vitium sit: quod vni honestum, alteri turpe: quod nobis iustum, alijs iniustum sit, pro cuiusque temporis, loci, status, hominum opinionibus, vel legibus. Apud Athenienses licuit viro sororem germanam habere in matrimonio, at id quidem apud Romanos nefas habebatur: quondam apud Iudæos, & hodie apud Turcas licet viro plures habere vxores, insuper & pellices cõcubinas: hoc apud nos Christianos non tã nefas est, quàm damnabile scelus. Laudi in Græcia ducitur, adolescentulos quãplurimos habere amatores. Deniq; tam fœminas, quàm viros in scenam prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdẽ gentibus fuit turpitudini: quæ tamen apud Latinos Romanosque humilia,

humilia, infamia, & ab honestate remota censebãtur. Neq; tamẽ pudebat Romanos, vxores ducere in conuiuia, illasq; in celebritate versari. ac primas tenere partes ædiũ: in Græcia verò neque in conuiuiũ adhibetur vxor, nisi propinquorum, neque versatur nisi in interiore parte ædium, quò nemo accedit, nisi propinqua cognatione coniunctus. Furari apud Aegyptios & Lacedæmonios honorificũ erat, apud nos fures furca suspensi strãgulantur, inquit Iulius Firmicus in astrologicis suis ad Lollianum scribens. Quædã gentes ita à cælo formatæ sunt, vt propria sint morum vnitate perspicuę. Scythę immanis feritatis crudelitate grassantur, Itali fuerũt regali semper nobilitate pręfulgidi, Galli stolidi, acuti Siculi, luxurioſi semper Asiatici, & voluptatibus occupati, Hispani elata iactantię animositate prępositi. Habẽt singulę nationes à superis agna-

agnata sibi morum discrimina, per quę facilè à se inuicem discernantur, vt cuius quisque nationis sit oriundus, à voce, à sermone, ab oratione, à cõsilio, à cõuersatione, à victu, à negocio, ab amore & odio, ab ira, ac militia, similibusque exercitijs facile cognoscatur. Quis enim videns hominem ingredientem incessu gallinaceo, gestu gladiatorio, vultu effreno, voce bubula, sermone austero, moribus ferocem, habitu dissoluto, laciniatóue, non mox indicet esse Germanum, nonne Gallos cognoscimus ab incessu moderato, gestu molli, vultu blando, voce dulcisona, sermone facili, moribus modestis, habitu laxo? Hispanos autem ab ingressu & moribꝰ, gestibusque festiuis, vultu elato, voce flebili, sermone elegãti, habitu exquisito. Italos verò videmꝰ incessu tardiusculos, gestu graues, vultu inconstantes, voce remissos. sermone,

mone captiosos, moribus magnificos, habitu compositos. Iamque scimus etiam, quia in cantu balant Itali, gemunt Hispani, vlulant Germani, modulantur Galli. Sunt in oratione graues, sed versuti Itali: culti, sed iactabundi Hispani: prõpti, sed superbi Galli: duri, sed simplices Germani. In consilijs est prouidus Italus, astutus Hispanus, inconsideratus Gallus, vtilis Germanus. In victu est mundus Italus, delicatus Hispanus, copiosus Gallus, incõditus Germanus. Sũt erga exteros officiosi Itali, placidi Hispani, mites Galli, agrestes inhospitalesque Germani. In conuersationibus sunt prudentes Itali, cauti Hispani, mansueti Galli, imperiosi intollerabilesque Germani. Sunt in moribus zelotypi Itali, impatientes Hispani, leues Galli, ambitiosi Germani. In odijs verò sunt occulti Itali, pertinaces Hispani, minaces Galli, vltores Germani.

mani. In gerēdis negocijs sunt circumspecti Itali, laborioſi Germani, vigiles Hiſpani, ſolliciti calli. In militia ſunt ſtrenui, ſed crudeles Itali, Hiſpani callidi & rapaces, Germani truces & venales, Galli magnanimi, ſed præcipites. Inſignes ſunt literaturæ Itali, nauigatione Hiſpani, ciuilitate Galli, religione & mechanicis artificijs Germani. Et habet vnaquæque natio quantulacunque etiam, ſiue ciuilis, ſiue barbara, peculiares mores ritusq; ſibi à cæli influxu à cæteris diuerſos, qui ſub nullam artem philoſophiamque cadere queunt, ſed ſola naturali virtute abſque omni diſciplina hominibus adgenerantur. Sed conuertamus ſermonem noſtrum ad eos, qui nobis harum rerum diſciplinam ſcriptis tradidere. Hi certè functi ſerpentis officio, eum nobis fructum dedere, cuius paſtu diſcamus ſcire bonum & malum. Hęc enim prima eorum

peſti-

pestilens opinio est, bonum & malum non esse ignoranda: ita demũ, aiunt, melius virtutem homines sequuturos, & vitia fugituros. At quantò certius & vtilius, quantò etiam felicius foret, mala non modò non facere, sed & penitus ignorare? Quis nescit eo ipso nos omnes miseros factos, cùm primi humani generis parentes, quid bonũ esset, quidq; malum didicerunt: ac idcirco fortè condonatus esset philosophis hic error, si nõ etiam sub virtutum ac bonorũ nomine, nos pessima mala, turpissimaque vitia docerent. Sectę aũt illorũ qui ethica tractarunt haud paucæ sunt, vt Academica. Cyrenaica, Eliaca, Megarica, Cynica, Eroitica, Stoica, Peripatetica, & plereq; aliæ. De his inter cæteros ita philosophatus est Theodor9 ille, quẽ nuncupatum esse Deum memorãt scriptores, videlicet: furto & adulterio, sacrilegio quoq; cùm tempestiuum erit, da-

dabit operam sapiens: nihil quippe horum turpe natura est, sed si auferatur ex hisce vulgaris opinio, quæ stultorum imperitorumque plebecula conflata est, sapientem publicè absque vllo deprehensionis rubore scortis congressurum. Talia sunt diuini huius philosophi placita, quibus nescio an quid tradi posset turpius, nisi quam legimus ab Aristotele probatam, & in Creta lata quoque lege permissam masculam venerem, quam & Hieronymus peripateticus ea ratione celebrat, inquiens, quia eius causa multi tyrânides sublatæ fuerunt. Aristotelis autem verba in politicis, vbi censet vtilem esse Reipublicæ, ne sit plebeis hominibus, numerosa soboles, hæc sunt: Ad cibi temperantiam velut perutilem, multa legislator sapienter ac studiose constituit, & de mulierum diuortijs: siquidem ne superfluam parerent multitudinem,

eum

cum masculis indixit cõcubitum. Hic est ille Aristoteles, cuius mores à Platone reprobati: vnde exortum illius in magistrum odium & ingratitudo, qui scelerosæ vitæ iudicium veritus, Athenas clam raptimque profugit, qui in benefactores ingratissimus, etiam Alexandrum illum Magnum, à quo amplè magnificeque ornatus extitit, quique illi vitam, corpus, animamque credebat, ac patriam restituit, Stygię aquæ veneno peremit: qui etiam de anima malè sentiens, locum gaudij post mortem negauit, qui veterum dicta compilatus, malligneque interpretatus, ingenij laudem furto ac calumnia quæsiuit: quin iam inueteratus dierum malorum, ex scientię immoderata cupiditate in rabiem versus, sibi ipsi intulit necem, ipsis dæmonibus dignum factus sacrificium, qui docuerunt illum scire. Dignissimus profectò hodie Latinorum gymnasio-

nasiorum doctor, & quem Colonienses mei theologi etiam diuis adnumerarunt, librumq́, sub prælo euulgatum ederent, cui titulum facerent de salute Aristotelis: sed & alium versu & metro de vita & morte Aristotelis, quem theologica insuper glossa illustrarunt, in cuius calce concludunt Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodũ Ioãnes Baptista in gratuitis. Sed ne longius digrediamur à proposito, quid de felicitate ac summo bono sentiãt philosophi, audiamus: hác namque alij in voluptate posuerunt, vt Epicurus, Aristippus, Gnidius, Eudoxus, Philoxenes, & Cyrenaici: alij cum voluptate honestatem copularunt, vt Dinomachus & Calipho: alij id in primogenijs naturæ collocarunt, vt Carneades & Hieronymo Rhodio: alij in indolentia, vt Diodoro: alij in virtutib. vt Pythagoras, Socrates,

Ariston,

Ariſton, Empedocles, Democritus, Zeno Citicus, Cleantes, Hecaton, Poſsidonio, Dionyſius, Babylonicus, & Antiſthenes, & Stoici omnes, multique ex noſtris theologis, illis quodãmodo adſentientes, adhuc diſputant de connexione virtutum, & quod ſit illud commune felicitatis fundamentũ, in quod omnes virtutes conuenire debẽt. Niſi enim omnes in vnum confluxerint, nequaquam facient hominem felicem, etiãſi vna ſola defuerit. Cum itaque diſpares & quodammodo pugnãtes virtutes ſunt liberalitas & parſimonia, magnanimitas & humilitas, miſericordia & iuſtitia, contemplatio & ſollicitum opus in frequenti miniſterio, & huiuſmodi multę, niſi omnes in vno cõueniant cõcordes, iam non virtutes, ſed vitia cẽſeri poſſent. Illud aũt, in quod conuenire omnes debent, Ambroſius & Lactantius, cum Macrobio Platonem in ſua republi-

publica secuti, iustitiam putant: alij temperantiam modum omnib. imponentem: alij pietatem, vt Plato in Epinomide: alij charitatem, sine qua nullus est profectus in virtutibus, vt sentit Paulus, & adhuc super istis argumẽtatur Thomas, Henricus & Scotus & alij. Sed modò reuertamur: felicitatem adhuc posuerunt alij in fortuna, vt Theophrastus: sed Aristoteles in fortuna cum primigenijs virtutibusq; coniuncta: quinimo in voluptate, sed virtutum bonis fucata, quasi non eisdem etiam Epicurus suam voluptatem tueatur: cæteri deniq; peripatetici in speculatione. Herilus philosophus, Alcidamus, & Socratici multi summum bonum putabant scientiam, verùm Tiberini populi Chalybibus vicini, quorũ meminerunt Appolonius & Pomponius, luxum risumque summã esse felicitatem dixerunt. Sunt & qui summum bonum in silentio

posue-

posuerũt, Platonici verò cum suo Platone & Plotino diuina semper redolentes in vnione cum summo bono felicitatem locauerunt, Bias Prienæus in sapientia, Biõ & Borysthenes in prudentia, Thales Milesius in harum congerie, Pittacus Mitylenæus in bene agere, Cicero in omnium rerum vacatione: sed hęc nisi in solo Deo inueniri potest. Trãseo reliquos plebeios philosophos, qui omnem felicitatem sustulerunt: vt Pyrrho Elienſis, Euricolo & Xenophanes, & qui summam felicitatem in gloria, honore potentia, ocio, diuitijs, & similibo locarunt, vt Periander corinthus & Lycophron, atq; illi, de quibus ait psalmista: Quorũ os locutũ est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Promptuaria eorum plena,

eructan

eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis. Boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populũ, cui hęc sunt. Iam & de voluptate itidem diuersum sentiunt, quã (vt superius audistis) Epicurus summum bonum arbitratur: contrà Architas Tarentinus, Antisthenes, Socrates hanc summum malum dicunt: Speusippus autem & aliqui veteres Academici dixerunt voluptatem & dolorem esse duo mala inter se opposita: bonum autẽ hoc, quod inter illa mediũ esset. Zeno censuit voluptatẽ neque bonum, neque malũ, sed esse indifferens. Critolaus Peripatetic9, & Plato voluptatem dicunt malam, multorumq; malorum escá atque parentem. Longũ nimis esset omniũ adferre de felicitate opiniones & congeriem facere ex his, quib9 alij

O quam-

quamplurimos libros compleue-
re: nam octo supra ducentas & o-
ctoginta de istis à M. Varrone col-
lectas opiniones meminit Augu-
stinus, quarum famosiores hic re-
citasse putamus. Sed videamus
nunc quomodo hęc cum Christo
conueniant, apparebitque felicita
tem beatitudinéq; nobis nō acqui
ri per virtutem Stoicam, nec per
purgationem Academicā, nec per
speculationem Peripateticam, sed
per fidē & gratiam in verbo Dei.
Audistis enim quomodo felicita-
tem seu beatitudinem philosopho
rum alij ponunt in voluptate, sed
Christus in fame & siti: alij in hone
state & fama & amplitudine no-
minis, sed Christus in maledictióe
& odio hominum: alij in primoge
nijs, sanitate, lætitia, & indolentia,
sed Christus in fletu & luctu: alij
in prudentia & scientia ac virtuti-
bus moralibus, sed Christus in in-
nocentia & simplicitate & mundi-
tia

tia cordis: alij in fortuna, sed Christus in misericordia: alij in gloria belli & subactione terrarum, sed Christus in pace: alij in honore & pompa, sed Christꝰ in humilitate, beatos vocans mites: alij in potentia & victoria, sed Christꝰ in persequutione: alij in diuitijs, sed Christus in paupertate. Docet Christꝰ absolutam virtutem non nisi gratia desuper data acquiri, philosophi hãc proprijs viribus & assuetudine parari: docet Christus omnem concupiscentiam esse peccatum, contrà philosophi inter medias res numerant, quæ nec virtutis, nec vitij censeantur: euadere autẽ virtutes si quis eis mediocriter afficiatur. Docet Christꝰ de omnibus benè merendum esse, etiam inimicos diligendos, liberè mutuũ dandum, de nullo vindictã sumendam, omni petenti tribuendũ: contrà philosophi non nisi his qui beneficiũ compensant beneficio: cęterùm

terùm liceat irasci, odisse, contendere, belligerari, fœnerari. Porro ij nobis cum suo libero arbitrio ac rectę rationis dictamine atque naturali lumine Pelagianos hęreticos dedere. Tota autem moralis philosophia (teste Lactantiu) falsa est & inanis, nec instruens ad iustitię munera, nec officium hominis rationesque confirmans. Tota denique diuinę legi ipsiq; Christo repugnat, vt eius gloria nulli alij debeatur quàm Satanę.

DE POLITICA.

Ca. LV.

AD hanc philosophiam pertinet etiam politica, quę est ars administrandæ Reipub. Eius verò tres sunt species, videcet monarchia, quæ est vnius regimen: aristocratia, quę est paucorum, sed nobilium, diuitum, seu optimatũ: democratia, quæ est plebis siue popularis. His affines sunt tyran-

tyrãnides, oligarchia, & anarchia: verùm quæ istarum præferenda sit, inter scribentes nondum conuenit. Nam qui monarchiam antecellere disputant, naturæ exemplis opinionem suam muniunt, dicentes, quod sicut in vniuerso vnus est summus Deus in stellis vnus sol, rex vnus in apibus, dux vnus in gregibꝰ, in armẽtis rector vnus, & grues vnum sequuntur: sic in republica oportere vnum esse regem tãquam caput, à quo nequaquam membra dissentiant. Hãc prę cęteris probarunt Plato, Aristoteles, Appollonius: quibus subscribunt ex nostris Cyprianus & & Hieronymus. Qui verò aristocratiam extollunt, aiunt nihil melius rebus magnis administrãdis, quàm plurium optimorumque in vnũ cõsentieuntiũ cõsultationes. Nam ex pluribus optimis, necesse est optima constare consilia: neminem autem solum satis sapere. so-

lius Dei hoc munus esse. Huic quo que opinioni subscribunt Solon, Lycurgo, Demosthenes, Tullius, & fermè omnes illi veteres legislatores, etiam Moyses: quibus cõsentit etiam Plato, eam rempublicam & ciuitatem inquiens in optimo felicissimoq; statu videri cõstitutam, quæ à sapientibus regeretur: cui, si placet, adijciamus etiam à nobilibus, siquidem hæc opinio est multorum consensu firmata. Qui autẽ popularem rempublicam prętulerunt, hanc omniũ pulcherrimo nomine appellarunt Isonomiam, hoc est, iuris æqualitatem. Nam omnia illic in commune referuntur, & cõsilia omnia à multitudine, cui haud dubiè oĩa insunt, capiuntur certiora. Deniq; vox Populi, vox Dei, hinc quicquid omnib. placet, quidquid cõmunis populi cõsensu statuitur, hoc tanquã à Deo ipso ordinatũ, optimũ atq; iustissimũ esse præsumatur necesse est. Hoc deni

que

que regimen tutius esse aiunt quã optimatũ, ex eo quod minime sub iacet seditioni: populus enim nunquã vel raro inter se dissidet, optimates autẽ maximè & sępissimè. Prętereà in populari regimine omnis ineſt ęqualitas atq; libertas nullorũ tyrânide oppressa, vbi pares honorum gradus: nec quisquã vicino præstat, sed vnusquisq; & omnis multitudo per vices imperat, & imperatur. Hãc igitur præ cæteris laudarunt Othanes Persa, Eufrates, & Dion Syracusanus, & nos videmus hodie hac democratia Venetos & Heluetios præ omnibus Christiani orbis principatibus maximè florere, prudentiæq; & potentiæ, diuitiarum & iustitiæ laudem, atque victoriæ palmam obtinere: quin & Athenienſium respublica olim latissimè potentissimeque imperans, sola democratia regebatur, omniaque agebantur à populo & apud populum.

Atque Romani olim omnes has administrationes perpessi, maximam imperij partem sub populari democratia adepti sunt, nec vnquam peius habuere quàm sub regibus & optimatibus, pessimeque sub imperatoribus, sub quib9 omnis eorum, potentia naufraugium fecit. Itaque quæ istarum triũ melior, potiorque, non facilè dijudicari potest, cùm quæque suos assertores habeat & impugnatores. Reges enim, quibus pro libidine omnia licet impunè facere, rarissimè bene imperant, nec vnquam sine bellorum strepitu regnant. Habet quoq; hoc in se regalitas pestiferum malum, vt etiam ij, qui olim fuerint viri optimi, omniumque consensu probati, mox regiam adepti tanquam peccandi licentiam, insolentes pessimique euaderent: quod in Caligula, Nerone, Domitiano, Mithridate, & plerisque alij visum est. quin etiam in Saule, Da

ui-

uide, Salomone electis à Deo regibus sacræ literæ produnt, atque ex omnibus regibus Iudę vix pauci sunt probati, ex Samariæ regib. nullo, sed qui hodie reges & imperatores & principes habẽtur, nõ pro populo, pro ciuibꝰ, pro plebe, pro iustitia, sed pro nobilitate tuenda confirmandaque nati constitutiq; sibi videntur. Atque sic regunt, vt non eorum custodiæ traditæ, sed rapinæ & depopulationi datæ ciuium omnium fortunæ videantur, omnia ab omnibus auferẽtes: ac subiectis vtuntur pro arbitrio, interdum etiã pro placito, & concessa eis desuper potestate in subditos abutũtur, ciues mutuationibus, plebem indictionibus, alios exactionibus, cęteros vectigalibꝰ alijs super alijs, sine modo, sine fine onerãtes. Quod si qui modestiores hæc remittant, tamen non in commune bonum, sed in sua commoda illud faciunt, permittentes

subditis benè esse quo ipsis bene sit, habeantque cũ velint quod rapiant: quin & quo iustitiæ laudem aucupentur, leges arctè sanciunt, sed auaritiam & crudelitatem iustitia vestiunt: prævaricationis reos terribilibus supplicijs, bonorum proscriptionibus & multis enormibus afficiunt, in hoc tyrânis nõ meliores, quo cupiunt quampluri mos esse prævaricatores. Nã vt sce lera delinquentium vires sunt tyrannorũ, sic multitudo transgressorum diuitiæ sunt principũ. Erat mihi olim in Italia cũ potẽte principe consuetudo admodum familiaris, quem cum hortarer aliquando vt Gibellinorum ac Guelforũ factiones in dominatu suo compesceret, fassus est mihi, illius factionis occasione ad duodecim millia ducatorum in mulctis fisco suo quotannis inferri. Verùm de hoc latius in libro de Nobilitate politica differemus. Vbi autem rei pub.

Optimatos.

pub. regnum optimates tenent, in eadē cum ipsis Republica degunt ira, odium, æmulatio. Quapropter rarissimè inter se concordes regnant, & dum vnusquisque suam sententiam prę ferri ac primus esse vult, odia inter se priuata excitantur: vnde sępè factiones seditionesque & cædes, & ciuilia bella in reipublicæ perniciem exoriuntur. Cuius mali infinita exempla, & Græcorum & Latinorum historiæ cōmemorant, & hodie adhuc plures Italiæ ciuitates misera illorum spectacula præbent. Administrationē verō populare perinde ac pessimā cēsent fermè oēs. Hāc multis rationibus Vespasiano dissuadet Appollonius, & Cicero ait nō esse rationē in vulgo, non cō silio, nō discrimē, nō diligentiā, vt Poeta canit: (traria vulgo, Scinditur incertum studia in con- Et othanes Persa ait populari multitudine nihil esse insolētius, nihil

insipientius, propriumq; plebi nihil intelligere, sed ad res obeundas sine consilio præcipites ruere, torrenti flumini similes. Demosthenes quoque populum malum bestiam vocat, & Plato hunc beluam multorum capitum nominat, cuius meminit Horatius, & Phalaris ad Egesippum scribens: Populus omnis, inquit, temerarius est, demens, desidiosus, promptissimus in quodcunque contigerit mutare sententiam, perfidus, incertus, velox, proditor, fraudulentus, voce tantum vtilis, & ad iram & ad laudem facilis. hinc est vt qui in agenda Republica populo placere annititur, honestis pereat contumelijs. Sed & Lycurgus legislator Lacædemonius interrogatus aliquando, quum in Republica statũ popularem non constituisset, respondet interrogãti: Tu prius in domo tua efficito principatum popularem. Aristoteles quoq; in ethi

cis

cis censet administrationẽ populi esse pessimá, vnius verò optimá. Est enim plebs errorum princeps, & prauarum consuetudinum magistra, ingensque maiorum cumulus, Nec rationibus, nec auctoritatibus, nec suasionibꝰ flecti potest, quum illas nõ intelligat, has aspernetur: ad persuasiones verò indocibilis est & obstinata, cuius mores inconstantissimi, semper noua cupiens, & odiens præsentia, nec sapientum doctrina, nec patrũ disciplina, nec magistratuum auctoritate, nec maiestate principum cõtineri potest. quam penes nunquã sine periculo, aut frustrà sapientũ consilia audita sunt, semper ferè multitudinis stultitia præualente. Sicut notum est in Socrate de Deorum opinione ad Athenienses in Capy Troiano, de equi introductione: in Magio Cãpano, ne Hannibal in vrbem reciperetur, consulenti: in Paulo Aemilio, pugnã cannen-

nensem detrectanti deniq; in tot prophetarū nomini prędictionib. à populo Iudaico minimè exauditis. Proinde populi statuta ac plebis placita quomodo poterint esse bona, cū popularis illa multitudo ferè semper, quæ optima sunt, ignoret? cū maior illius pars manuarij sunt opifices, tum quia non in iustitiæ & æquitatis ratione, sed in numero consistant, in quo semper plures sunt mali quā boni: nec exacto rerum ducitur iudicio, sed studio multitudinis & numero, sicut ait Plinius ille iunior: Numerātur enim sententiæ, non ponderātur. Non enim quod prudentioribus, sed quod pluribus visum est, in populari consultatione maiores obtinet vires. Inter quos quū omnes sibi habeātur ęquales, nihil est tam inęquale quā æqualitas ipsa. Promiscuo itaq; plebis impetu nihil salubriter instituitur, nihil eorū quę in peius collapsa sunt, in melius restituun-

ſtituuntur: quin, quę optima inſtituta ſunt, plebis licẽtia potius conturbantur, tolluntuŕque. Inter has autem tam diuerſas Reip. adminiſtrationes, pleriq3 mixtam ex duabus ſpeciebus politiam delegerũt: vt qualem Solon ex optimatibus & populo inſtituit, omnibuśq; eo modo ſuos honores communicauit. plerique etiam mixtam ex omnibus, cuiuſmodi erat Lacedæmoniorum. Rex enim apud eos erat perpetuus, ſed qui tantum bellorum tempore dominaretur, erat́que optimatum ſenatus è potentioribus & ditioribus. Ephoros quoq; ex plebe creabant decẽ perpetuos, qui vitæ necisq; haberent poteſtatem, ſtatum plebis repræſentãtes. Apud Romanos olim democratię propter ſenatus auctoritatẽ mixta erat ariſtocratia (multa enim apud populum, nonnulla apud ſenatum imperabantur) hodie multis locis reges & principes

pro

pro arbitrio impetrant, tamen optimates prouinciarum ac magistratus consilijs rebusque gerendis adhibent. Atque hinc oritur quæstio, quæ Respublica tutior sit an in qua princeps malus & consiliarij boni, siue vbi princeps bonus probusque, sed consiliarij praui. Marius Maximus & Iulius Capitolinus, ac multi alij priorem eligunt: quibus tamen alij multi graues auctores non adsentiunt, cùm experientia ipsa videamus sæpius à bono principe malos corrigi, quàm malum principem à bonis emendari. Tandem verò vt Respubl. optimè administretur, nulla philosophia, nulla ars, nulla scientia præstant, sed probitas rectorum. Optimè enim vnus, optimè pauci, optimè populus imperant si probi sint: pessimè autem, si sint improbi. Sed quod omnem vincit improbitatis temeritatem, cùm agrum colere, gregem pascere,

re,

re, nauim regere, familiam gubernare, filios educare, mutti se aut ignorare, aut nescird, aut non posse fateantur, tamen magistratum in vrbibus agere, regem & principem se gerere: & quod difficillimum est, populis & nationibus imperare, nemo sibi à natura negatũ putat. Cæterum quod spectat hic ad ciuilium legum scientiam, quibus omnes Respublicæ & ciuitates constant, reguntur, augentur atqꝫ seruantur, dicemus inferius.

DE RELIGIONE IN genere. Cap. LVI.

AD Reipublicę integritatem pertinet etiam religio, quæ est disciplina quædam exteriorum sacrorum ac cęremoniarum, per quam reruminternarum & spiritualium, tanquam per signa quædem admonemur, quam

Cice-

cicero definit disciplinã, per quá reuerenti famulatu cęremonię diuini cultus exercentur: quam quidem ciuitatibus maximè vtilem & necessariã esse testatus est cùm Cicero, tum etiam Aristoteles. Sic enim ait in politicis: Oportet principem præ alijs deicolam videri. Minus enim putant subditi talibus pati aliquid iniquum, & minus machinantur contra talem, tãquam habeat propugnatores etiam deos. Religio autem à natura sic hominibus insita est, vt plus illa quàm rationalitate à cæteris animantibus discernamur. Quòd autem nobis naturaliter insita sit religio, ipse fatetur Aristoteles: tũ ex eo liquet, quòd quoties in subitaneis periculis & timoribus aliqua perturbatione obruimur, confestim antequam aliquid perscrutemur & ante omnem electionẽ, ad diuinam inuocationem confugimus, natura videlicet nos absque

que alio præceptore diuinum auxilium implorare edocente, iamque ab initio creationis mundi Cain & Abel ipsi Deo religiosè sacrificarunt, sed & Enoch primus fuit qui, quo ritu Deus inuocandus esset, instituit. Quare de eo dicit scriptura, Tunc tandem cœpit inuocari nomen Domini. Post diluuium à multis multæ quàm multis gentibus religionem leges datę sunt. Nam Mercurius & Mēna Rex Aegyptijs: Melissus Iouis nutritor, Cretensibus: Faunus & ante illum Ianus, & Latinus, Numa Pōpilius, Romanis: Moyses & Aaron, Hebræis, Orpheus Græcis. Tum Cadmus Agenoris filius, ex phœnice mysteria & solennitates Deorum, simulacrorum consecrationes & hymnos, cæteraque sacra, pōpas & celebritates, quibus dijs honores impenderētur, Gręcis primū tradidisse legitur. Quinetiam furtorum & scelerum numina esse tradi-

tradiderunt: nec tantùm nomina Deorum dederunt, sed etiam instaurarunt sacra. Coluerunt Romani Iouem adulterum & stupratorem, & Febri publicum phanũ in palatio dedicarunt, & aram malæ Fortunæ in Exquilijs. Quin etiá apud inferos inuenerunt quos colerent Deos, ipsumque infernorum principem omnium infimũ & miserrimum Satanam sub Ditis, Plutonis, & Neptuni nominibus venerantes, assignantes illi custodem tricipitem Cerberum, hoc est, carniuorum, qui semper circuit quęrens quem deuoret, nulli parcens, omnibus nocens, omnes accusans: hinc diabolus quasi criminator appellatus. Vnde Poëta canit.

Dux Erebi populo poscebat crimina vitę.

Nil hominum miserans, iratus omnibus vmbris,

Stans

Stant furiæ circum, varięque exordia mortis,

Sęuaque multisonans exercet pœna catenas.

Coluerunt quondam Aegyptij cum dijs suis etiam animalia bruta & monstra, & sunt adhuc hodie qui idola & simulacra colunt. Quin Turcę, Saraceni, Arabes, Mauri, & magna pars orbis hodie Mahumetum colunt, absurdissimę religionis cõditorem: & Iudęi in sua perfidia adhuc perseuerantes, venturum eorum Messiam pertinaciter expectant. Et nobis Christianis diuersi diuersis temporibus & religionibus pontifices nostri, religionum mores prędscripserunt; nimirum quod legibus inter se dissidẽtes circa cęremonias, circa cultũ, circa cibos, circa ieiunia, circa vestitum, circa quęstus, circa pompas, circa mitras, & circa purpuram, & eiusmodi. Sed vnum admirabiliũ vin-

vincit admirationem, quòd illi his ambitiosis moribus se cælum posse ascendere putant, quibus Lucifer olim cælo deciderit. Ac tandē omnes istæ religionum leges nullo alio fundamento incumbunt, quàm suorum instituentium placitis: nec aliā insuper certitudinis regulā habēt, nisi ipsam credulitatē. Cōsiderate ab initio mūdi, quot sunt, quot fuerūt in religiōe studia, quot cæremoniæ, quot cultꝰ, quot ritus, quot hæreses, quot placita, quot vota, quot leges, & nōdum à tot seculis homines ad rectā fidem producere potest religio absque verbo Dei? quo incarnato, & in cruce de hostibus triumphante, deiecta sunt templa & idola, & deorum potestates ablatæ, defecerunt que oracula.

Efficacissimus Christi.

Ablata est Pythij vox haud reuocabilis vlli.
Temporibus longis etenim iam cessat Apollo,

Cla-

Clauibus occlusis silet: ergo ritè peractis,
Discedas patria, & redeas ad limina sacris.

Ex quo enim verbum Dei per Euangelij nuncium eluceſcere cœpit mundo, omnes dij gentium veluti fulgure tacti corruerunt, ſicut apud Lucam ait Chriſtus: Vidi ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem. Verùm quod hic ad fidem, & ad theologiam, & ad canonum decreta pertinet, diſcutiemus inferius, nos hic de religione loquimur, quantum ad eas artes, quæ ad ſacerdotum quęſtum, & ad rempublicam ſuis ſimulacris, ſtatuis, imaginibus, templis, phanis, ſacellis, faſtis, pompis, & ſacerdotiorum magiſtratibus ornandá attinet, de quibus alibi inter placita theologica anno milleſimo quingenteſimo decimo per me Colonię declamata amplo ſermone diſputaui. quocirca ea iſtic bre-

breuissimo sermone trâsigemus, ostendentes etiam in illis, quę honestandę religionis causa, & ad hominum salutem inuenta sunt, sępè non minimam inueniri cum vanitate malitiam. Quod ita esse, nunc per singula discurrentes monstrabimus.

DE IMAGINIBVS. Ca. LVII.

IMaginum itaque cultum, iâ ab antiquo non omnes populi admiserunt. Siquidem Iudęi (vt narrat Iosephus) nihil magis exhorruerunt quàm simulacra, nec aliquam effinxerunt imaginem eius quod coluerunt, neque eorum, quorum memoriam tenuerunt. Lex siquidem Dei per Moysem prohibuit illis simulacra fieri, aut in templis poni, aut adorare corâ eis. Apud Seres populos (teste Eusebio) etiam lege cautum erat, ne simu-

simulacra venerarentur. In Roma norum quoque templis apud Clementem & Plutarchum, ex decreto Numæ annis centum & septuaginta ab Vrbe condita, nullã imaginem neque fictam neque pictam esse conspectam legimus. August. quoque idem testatur, auctore Varrone: cuius, inquit, verba clarissimè testantur, nullum fuisse in vrbe simulacrum Deorum per annos centum sexaginta, factumque deinceps, vt eximaginum ac statuarum multitudine, religionis cultus negligeretur atque contemptui haberetur. Persæ etiam (testibus Herodoto & Strabone) statuas non extruebant. Aegyptiorũ autem in istis summa erat impietas & stultitia, exinde in omnes gẽtes deriuata. Qui quidẽ corruptus gentilium mos & falsa religio, quũ ipsi ad Christi fidem conuerti cœperunt, nostram quoque religionem infecit, & in nostrã Ecclesiã

simulacra & imagines, multasque pomparũ steriles cæremonias introduxit, quorũ nihil omnino fuit apud primos illos & veros christianos. Nec dici potest quanta superstitione ne dicam idololatria penes rudem & indoctam plebem alatur in imaginibus, conniuentib. ad ista sacerdotibus, hinc non paruum lucri quæstum percipientibus. Atque hic tuentur se Gregorij verbis, dicentis imagines esse libros vulgi, vt possit rerum memoria retineri: atque in his legant qui literas non didicerint, illisque conspectis, ad Dei contemplationem trahantur. Verùm hęc sunt excusantis Gregorij humana commenta, licèt sanctus ille vir imagines probet, non cultum. Non enim decet nos ex vetito imaginum libro discere, sed ex libro Dei, qui est liber scripturarum. Qui ergo cupit Deum nosse, non requirat ab imaginibus pictorum & statuariorum,

sed

sed (vt inquit Ioannes) scrutetur scripturas, quæ testimoniũ perhibẽt de illo: qui aũt nesciũt legere, ij audiant verbũ scripturæ. Fides enim eorum (vt ait Paulus) ex auditu est. Et Christus apud Ioannẽ ait, Oues meæ vocem meam audiũt. Iamq; etiamsi (quod ait christus) nemo potest venire ad eum nisi pater traxerit illum, & nemo venit ad patrem nisi per ipsum Christum: cur auferimus gloriam Deo, tribuentes illam picturis & statuis, ac si possent trahere in contemplationem Dei? Accedit istuc etiam reliquiarum cultus immoderatus. Fatemur enim, nec quisquam negare poterit, sanctas esse sanctorum reliquias, & quæ æternitatis gloria fulgebunt aliquando: ideoque à nobis summa reuerentia colendos fateamur etiã sanctos ipsos, licèt in omnib9 locis ex audiant piè inuocantes, magis tamen vbi aliquid reliquiarũ suarũ

Reliquiæ Sanctorũ.

velut pignus habent : sed quia nō omnium certitudo eadem est, cū varijs in locis putātur sanctorum eorundem eadem retineri pignora, necesse est horum aut illorum stultam confidentiam esse oportere. Ne igitur in idololatriam vel superstitionem incidamus, tutius est fidem rebus visibilibus non affigere, sed colere sanctos in spiritu & veritate per Dominum nostrū Iesum Christum, illorum opem implorantes. Certiores itaque reliquias, & digniores non habemus sacramento corporis Christi, quod vnicum sanctum sanctorum in omnibus templis nostris seruatur, quia coràm Christum veneramur, & adoramus præsentem: qui licèt vbique præsens sit, ibi tamen etiam corporaliter præsens est. Sed auarum sacerdotale genus, auari homines non modò ex lignis & lapidibus, sed etiam ex mortuorum ossibus, & sanctorum martyrū reliquijs

liquijs materiâ auaritiæ ſuæ captã tes, ſuę rapinę inſtrumẽta fecerũt: attollũt ſepulchra confeſſorũ, exponunt reliquias martyrũ, vendẽtes illorũ contactus & oſcula, exornant illorũ ſimulachra, & feſta illorum magnis pompis decorant, prædicát illos ſanctos, & extollũt magnis præconijs, vitam autem illorum quos tantopere laudant, longiſsimè fugiunt. Nónne iſtis locutus eſt Saluator, Vę vobis qui ędificatis ſepulchra prophetarum, ſimiles illis qui occiderũt eos? Proinde gentilium more ſanctis ipſis officia diſtribuunt, & hunc cum Neptuno aquarum periculis ſubuenire, illum cum Ioue fulmẽ incutere, aut cum Vulcano ignem: alium meſſes curare cum Cerere, alium prędeſſe vitibꝰ cum Baccho. Et habent mulierculę ſuas Diuas, à quibus ceu à Lucina aut Venere liberos petant, & quę cum Iunone iratos placant vel vindicant maritos,

tos. Iam verò etiam sunt qui furta & amissa seu perdita recuperare faciunt, atq; nullum morbi genus est, quod inter Diuos non habeat suum medicum: quę causa est quò minus lucrantur medici quā causidici, cùm nulla sit lis tam pusilla, tam iusta, quę diuum aliquem habeat patronum. Verùm sicut anima nostra per diuersa membra diuersos explicat actus, & illa prodiuersitate dispositionum suarū diuersas suscipiunt potentias, vt oculi visum, aures auditum: ita DOminus noster IESVS Christus in corpore suo mystico, cuius ipse anima est, per diuersos sanctos suos, velut accómodata ad hoc mébra, diuersa suæ gratiæ munera in istis inferioribus administrat atq; distribuit, & singuli sancti peculia re cooperandi munus sortiuntur, & singuli certas gratias impartiuntur, iuxta quam multiformē gratiarum distributionem, partim hominī-

minibus reuelatam, partim piis coniecturis adsecutam, varijs precibus & inuocationibus sanctos imploramus. Putamus equidem quemadmodum Christus morte sua mortem nostram redemit, in cuius morte coœperũt sanctę mortes, omniumque fidelium mortes sanctificantur: sic martyres eos, qui certo quodam morborum genere, aut huic simili tormento cruciati perierint, ab illo ipso tanquã id pro nobis passi, nos liberare: & habet id quidem rationem non inualidam. Sed ridẽdi sunt, qui à nominis similitudine, & vocum confusione, & per similia futilia inuenta sanctis illa adscribunt: vt Germani caducum morbum Valentino, quia hoc nomen cadere significat, & Galli Etropio addicant hydropicos ob vocis consimilem sonum. Nihil ergo hic diuinæ potentiæ & sanctorum meritis derogatũ volo. Impius enim est, quisquis

de pietate Christiana ac sanctorũ miraculis perperàm sentit, sed superstitiosus & improbus est, qui pro miraculis prodigiosa quæque mendacia ceu portica nugamenta vertunt in historiá, & simplicibus oraculi loco credenda proponũt, magnisq; clamoribꝰ inculcãt: stultissimi quoq; sunt, qui ijs fabulis & somnijs fidẽ habẽt. Atq; hic vos scire volo quod, quẽadmodũ imaginũ exuperãs cultꝰ idololatria est, ita illarũ pertinax detestatio hæresis est, de qua olim Philippꝰ & Leo tertiꝰ imperatores dãnati sunt. Sic etiá quẽadmodum reliquiarũ abusus execrabile scelus est, ita earundẽ irreuerentia detestãda hęresis est: quæ quondá à Vigilantio Gallo progenita, ab Hieronymo profligata, nunc rursus vnà cum imaginũ expugnatoribus à proximis annis apud Germanos repullulascere cœpit.

DE

DE TEMPLIS.
Ca. LVIII.

CAeterùm nũc de templis sci-
mus hanc maximam olim fu
isse gentilium superstitionem, sin-
gulis dijs suis sua templa fabrican-
tium: quorũ imitatione cœperũt
deinde Christiani suis diuis tem-
pla inscribere. Multæ tamen gen-
tes templis omnino carebant, &
Xerxes quondam suadentibus ma
gis omnia templa per totam Grę-
ciam combusisse traditur, quia im
pium & nefarium esset, deos ipsos
parietibus includere. Verùm de
templis quondam Zeno Citicus in
hæc verba philosophatus est, in-
quiens: Sacella ac templa constrúe
re nihil quidem necesse est. nihil
enim sacrum iure existimandum
neq; pro sancto habendum, quod
ipsi homines construxerint. Apud
Persas nulla olim templa erant,
Hebræis autem in tota natiõe non

nisi vnicũ tẽplum religiosum erat à Salomone Hierosolymis extructum, de quo tamen legitur apud Isaiam: Hæc dicit Dominus, Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus, quam ædificas mihi? Et Stephanus protomartyr ait: Salamon ædificauit illi domum, sed excelsus in manufactis non habitat. Et Paulus Apostolus ait Athenienſibus: Deus non in manufactis templis habitat, qui cum sit dominus cœli & terræ, manibus hominum non colitur tanquam indigens aliquo. Docet autem humanam naturã ipsosque homines, sed puros, pios, sanctos, religiosos, Deo que deuotos esse acceptissima Deo templa. quemadmodum scribens Corinthijs, inquit: Templum Dei estis, & spiritꝰ Dei habitat in vobis, templum Dei sanctum est, quod estis vos. Prętereà in prima illa nostra religione ab ipsis Christianæ fidei

fidei incunabulis, & diu post Christũ passum non fuisse nostris sacris tẽpla constructa, fatetur ipse Origines contra Celsum, docens multis rationibus, Christianis illa ad verum Dei cultum veramque religionem nihil conuenire. Et Lactantius ait: Non templa Deo cõgestis in altitudinẽ saxis struenda sunt, sed suo cuique conseruandus est pectore, in quod se conferat cũ adorat Deum.

Non habitat templis manuum molimine factis
Omnipotens, ædes aurea verus homo.

Et Christus suos adoraturos nõ in templũ remittit, nec in synagogas, sed in cubiculũ orare in abscondito. Atq; ipse, quod legitur apud Lucam, nunquam ad turbas, ad vrbes, ad templũ, ad synagogas accessit orare, sed exiuit in montem orare, & ipse erat pernoctans in oratiõe. Verũ Ecclesia, quę nihil agit nisi a-

&ta ſpiritu Dei, cum multiplicato Chriſtiano populo Eccleſiam iam ingreſsi eſſent cum fidelibus peccatores, cum firmis infirmi, & tanquam in arcam Noæ cum mundis animalibus ſimul & immunda: ſacras quaſdam ædes, & templa, & baſilicas, loca ſacrata ab omni prophano commercio libera inſtituit, in quibus Chriſtianæ multitudini verbum Dei publicè prædicaretur, cæteraq; religionis ſacramenta & commodius & caſtius adminiſtrarentur: quæ à populo Chriſtiano ſumma ſemper in veneratione habita, etiam à principibus immunitate munita, nunc in tantam excreuere multitudinem, accedentibus illis tot fratrum oratorijs, priuatisque ſacellis, vt maximè neceſſarium foret, multa ex illis tanquam ſuperflua & indebita membra reſecari. Accedit ad hæc ſtructurę ſuperba magnificentia, in quam multæ admodũ ſacræ

pecu-

pecunię & eleemosynę indies profunduntur, quibus, quod & superius diximus, multi Christi pauperes vera Dei templa, imaginesque, fame, siti, æstu, algore, labore, debilitate, egestate periclitantia sustentari deberent,

DE FESTIS.
Cap. LIX.

FEstorum etiam dies tam apud Gentes quàm apud Iudæos magna religione semper celebres fuere, qui omnes distributim per certa anni tempora, per certos & statutos dies Deum colebant: quasi liceret aliquando à diuino cultu discedere, aut forsan Deus plus alio quàm alio tempore se coli velit. quod idcirco vt probrũ Paulus obiecit Galatis, ad eos sic scribens: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos, timeo ne vobis frustrà & sine causa laborauerim. De quare etiam

Col-

Coloſſenſes admonens, præcepit illis dicens: Nemo vos iudicet de cibo & potu, in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorũ. Veris enim & perfectis Chriſtianis nulla eſt dierum differẽtia, qui ſunt ſemp in feſtiuitate, ſemper conquieſcentes in Deo, & ſine intermiſsione verum ſabbatum agẽtes. Sicut vaticinatus erat Iſaias ad patres Iudæorum, fore aliquando vt ſabbatum eorum tolleretur, cumq; venerit Saluator, futurum ſabbatum perpetuum, perpetuasq; neomenias: rudiori autem populo, ac infirmæ multitudini, ac imperfectiori Eccleſiæ parti, à ſanctis patribus eiuſmodi dies ſtatuti ſunt, quibus conueniant ad ſacram verbi Dei concionem audiendam, & ad cultum diuinũ celebrandum, ac communicandorum ſacramentorum cauſa: ita tamẽ, vt non Eccleſia diebus ſeruiat, ſed dies inſeruiant Eccleſiæ.

cleſiæ. Sunt itaque conſtituti dies à patribus in Eccleſia, quibus ab omnibus externis negocijs, atque corporeis actibus plebem abſtinere deceat, quo liberiꝰ ſeruiat Deo, vacet orationibus & contemplationibus, interſit diuinis officijs & verbi Dei concionibus, & quęcũq; eiuſmodi ſunt, quæ tunc ob æternę ſalutis commodum fiunt. Sed ille diſtortor æquitatis, labefactor omnis ordinis & pulchritudinis, auctor omnium malorum diabolus, quidquid ſpiritus ſanctus ędificat, aſsiduè demoliri nitens, etiam hanc artem propè diruit. Adeò maxima pars Chriſtiani populi ſacrũ hoc dierum feſtorum ocium non ad orandum, non ad Dei verbum audiendum, non ad cætera, quorũ cauſa inſtituta ſunt, impendit: ſed ad omnifariam bonorum morum ac chriſtianæ doctrinæ corruptelam, in choreis, in comędijs, in hiſtrionibus, in cãtilenis, in ludis, in com-

compotationibus, in pompis, in ſpeculis, in quibuſcunq; mundanis, carnalibus, ſpiritui ſanctitatiq; contrarijs operibus conſumit: & (quemadmodũ inquit Tertullianus de Cæſarum ſolennibus) ſolent tunc grande officium agere, focos & choros in publicum ducere, vicatim epulari, ciuitatem taberną habitu obolefacere, vino gulam cogere, certatim curſitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras: ſic exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus. Nonne ergo meritò damnandi ſumus, qui hoc ritu Chriſti & ſanctorum eius ſolennitates celebramus? Cæterũm à diebus feſtis, præter Manichæorũ inſanam blaſphemiam, & Cataphrygum peſtifera dogmata, aut nullas, aut pauciſſimas hęreſes compertas habemus: veruntamen maximi in Eccleſia ſchiſmatis occaſionem præſtiterunt, cùm Victor Romanus

Pon-

Pontifex omnes fermè orientales & auſtrales Eccleſias à communione amputaſſet, ea ſola de cauſa, quòd in diei Paſchatis obſeruatione morem à Romana conſuetudine ſequerentur diuerſum: cui tunc inter cęteros excellētiſsimos viros reſtitit Polycrates Aſiæ Epiſcopus. Præterea Irenęus Lugdunenſis Epiſcopus, quāuis ipſe Romano ritu Paſcha celebrauit, magna tamen libertate Victorem Pontificem obiurgare auſus eſt: quòd præter exemplum prædeceſſorum ſuorum pacis perturbator abſcidiſſet Eccleſias non in fide errātes, ſed in ſolis ritibus quibuſdam à Romana Eccleſia diſſidentes. Multa deinceps ſuper hac Paſchatis obſeruatione conciliorum & Pontificum decreta, ac patrum rationes, & quæ vocātur eccleſiaſtica computa, emanarunt. Neque tamen in hunc vſque diem veram, atque per vniuerſum orbē

ean-

sandem paschatis diem constituere potuerunt: & in hunc diem vsque consultis astrologis de calendarij reparatione, sed de Indeciso negocio disputatur. Digna profecto res, pro qua ob vnius Romani pontificis pertinacem religionem tantum Ecclesia pateretur naufragium.

DE CAEREMONIIS.

Cap. LX.

EX membris deniq; religionis non minima sunt, rituũ & cæremoniarum pompæ in vestibus, in vasis, in luminibus, in campanis, in organis, in concentu, in odoribus, in sacrificijs, in gestibus, in picturis preciosis, in ciborum & ieiuniorum delectu similibus (magna cum admiratione, tum veneratione ab imperita plebe & hominibus, qui nihil aduertunt quàm quæ ante oculos obseruantur) receptis eiusmodi. Numa Pompilius primum Roma

nis

nis cęremonias indixit, quorũ prætextu rudem adhuc & ferocem populum, qui vi & iniuria imperium occupauerat, ad pietatem, fidem, iustitiam, & religionem inuitaret, feliciusque gubernaret. Testantur hæc ancylia ac palladium, sacra imperij pignora, Ianus bifrons belli & pacis arbiter, ignis Vestę, cui flamina custos imperii iugiter vigilaret, ipseq; annus fastorum & nefastorum dierũ varietate per duodecim menses diuisus, sacerdotiorumq; magistratus in pontifices & augures partitus, variiq; sacrificiorũ & supplicationum, spectaculorum, processionũ, delubrorũ & officiorũ ritus, quorũ magna pars (Eusebio teste) exinde in nostrã quoq; religionem migrauit. Verũ Deus ipse, quem non delectant caro & cor & sensibilia signa, has exteriores carnalesq; cęremonias despicit, atque contemnit. Non enim in corporalibus actionib9 & sensi

bilibus

bilibus operibus, cultuque carnali vult coli Deus, sed in spiritu & veritate per Iesum Christum. Ipse enim spectator fidei est, considerás intimum spiritum & occulta hominum, scrutator cordium, qui intuetur intima mẽtis. Quapropter carnales illæ & externæ cæremoniæ nequeunt homines promouere ad Deum, apud quem nihil est acceptum præter fidem in Iesum Christum cum ardenti imitatione illius in charitate, ac firma spe salutis & prẽmij. Hic enim est verus, & nulla externorum carnaliumq; rituum inquinatione violatus Dei cultus: quod nos instruens Ioannes, ait spiritum esse Deum, & eos qui volunt adorare, in spiritu & veritate oportet adorare. Cognouerunt hoc aliqui gentium philosophi: hinc Plato in veneratiõe summi Dei exteras omnes cæremonias auferri iubet. Nihil enim deest ei qui ipse est omnia, aut in eo

sunt

sunt omnia, sed nos agentes gratias adoremus. Hæc enim sunt summæ incensiones Dei, quando aguntur gratiæ à mortalibus. Neque præterea habemus quicquam aliud quod reddamus Deo magis acceptum, quàm laudem, gloriã, & gratiarum actionem. Neque verò hic quisquam obijciat Mosaicæ legis sacrificia, ritus, & cæremonias, quasi Deus in illis delectatus sit: non propter hoc eduxit eos de Aegypto, vt sacrificia illi offerrent & adolerent incensa, sed vt obliti idololatriæ Aegyptiorum, audirent vocem Domini, & obedirẽt illi in fide & iustitia propter illorum salutem. Quòd autẽ Moyses illis sacrificia & cęremonias instituit, morem gessit infirmitati & duriciei cordis eorum, aliquid indulgens errori, vt eos ab illicitis reuocaret, ne gentium ritu sacrificia immolarent dæmonibus & nõ Deo. Non enim principaliter hęc,

sed

sed secundum consequentiã concessa sunt, nec aliter eos obligare potuit lex illa, nisi quatenus populi cõsensu fuerat cõprobata. Quin & Moyses ipse laturus has cæremoniarum leges, seniorum & populi collegit suffragia, quo illos sibi magis haberet obnoxios: ideoque lex illa pro temporum & rerũ vicissitudine potuit immutari, & aliquando in totum erat abroganda: lex autem Dei, quæ in lapideis tabulis tradita erat, perpetua est. Sic enim locutus est dominus per Ieremiam: Quo mihi thꝰ de Saba affertis, & cinamomũ de terra longinqua? Holocaustomata & sacrificia vestra non delectauerunt me. Et iterum per eundem ait: Hæc dicit dominus, Holocaustomata vestra colligite cum sacrificijs vestris, & manducate carnes, qui non sum locutus ad patres vestros nec de holocaustomatibꝰ nec sacrificijs præcepi eis, qua die eduxi vos de Aegyp-

gyp
eis,
ero
lus
meis
vt b
Isaia
mihi
nec
me,
nec
re, n
incer
rum
pecc
per q
in hu
tem
pes &
iniuſ
niũ, q
Solu
ſolue
cioru
em, &

gypto, sed sermonẽ hunc præcepi eis, dicens: Audite vocem meã, & ero deus vester, & vos eritis populus meus: ambulate in omnib9 viis meis, quęcunq; præcepero vobis, vt benè sit vobis. Et iterum apud Isaiam ait dominus: Non obtulisti mihi oues holocaustomatis tui, nec in sacrificiis tuis clarificasti me, non seruisti mihi in sacrificiis, nec aliquid laborioſè fecisti in thure, nec mercatus es mihi argento incensum, nec adipem sacrificiorum tuorum concupiui, sed in peccatis tuis ante me stetisti. Super quem igitur, ait, aspiciam, nisi in humilem & quietum & trementem sermones meos? Nõ enim adipes & carnes pingues auferẽt ante iniustitias tuas, hoc enim est ieiuniũ, quod ego elegi, dicit domin9. Solue omnẽ nodum iniustitiæ, dissolue connexus violentorũ cõmerciorum, dimitte quassatos in requiem, & omnẽ conscriptionem in-

iustam

iuſtam conſcinde. Frange eſurienti panem tuum ex animo,& peregrinum ſine tecto,induc in domũ tuam. Si videris nudum, adoperi eum,& domeſticos ſeminis tui ne deſpicias: tunc erumpet matutinum lumen tuum,& ſanitates tibi citò orientur,& præcedet ante te iuſtitia, & gloria Dei circundabit te: & adhuc te loquente dicam,Ecce adſum. Non inficior, quemadmodum olim in ſynagoga Moyſes & Aaron & per ſucceſsionem cæteri pontifices,iudices,prophetæ vſque ad ſcribas & phariſæos, ſic poſtmodum in Eccleſia ab apoſtolis,euangeliſtis,pontificibus,ſacerdotibus,& doctoribusfactum, vt illam pijs quibuſdam cæremonijs, elegantibusque ritibus & inſtitutis tanquam ſponſam ornatam viro ſuo decorarẽt: multa inſuper ſtatuta & decreta ediderunt poſteriores, iuxta hominum imbecillitatem. Sed quòd ſolet ſæpè con-

contingere, vt quod prouisum est ad remedium, tẽ dat ad noxam, sic accidit vt crescentibus iis cæremoniarum legibus, pluribus constitutionibus hodie onerentur Christiani, quàm olim Iudæi: quodque magis dolendum est, cùm ipsæ per se nec bonæ sint, nec malæ, plus illis fidat populus, arctiusque obseruet, quàm tradita à deo præcepta, dissimulantibus illa nostris Episcopis, & sacerdotibus, & abbatibus, & monachis, ac suo ventri interim egregiè consulentibus. Cęremoniæ aũt, etsi nullas contra fidem hæreses dederint: innumeras tamen in ecclesiam sectas intro duxerunt, maximorumq; scismatum semina fuerunt. Hinc primũ Græca ecclesia à nostra abscissa est, quòd illa non in azymo consecraret, sed in fermento, cum tamen illam verè consecrare fateamur. Deinde etiá Bohemorũ Ecclesia seperata est, quia sub vtraq; specie

cõmunicaret Eucharistię, vt ait Apostolo circumcisio nihil est, & prę putiũ nihil est, sed obseruatio mãdatorũ Dei: sic & cæremonię nihil sunt, nisi obseruatio pręceptorũ ecclesiæ. Nefas ergo est vtrobiq; propter modicas & quaslibet causas, quæ Christianæ fidei nihil officiũt, vnitatem ecclesiæ scindere, & corpus Christi diuidere: & quod Pharisæis Saluator improperat, excolare culicem, & camelum glutire, atque turbata pace ecclesiæ in illis pugnare, vnde plus obsit schismatis pernicies, quàm prosit correptio. Potuissent Romani Pontifices multa mala sustulisse, pacatamque & integram seruare ecclesiã, si toleràssent Græcorum fermentum, & Bohemorum calicem. Neque verò maiora hæc sunt, quàm quòd Innocentius octauus (Volaterrano teste) concesit Norueegijs, vt liceret illis sine vino sacrificare calicem.

DE

DE MAGISTRATIBVS ECCLESIAE, Cap. LXI.

IAm verò & magistratꝰ & varię hominũ sectę sunt in ecclesia, cũ ad ornamentũ religionis, tũ pro cõ seruando sacrorum ordine, ne fiat confusio. Quicquid autẽ agitur in ecclesia, siue ad ornamentum siue ad ædificationem religionis, tam in deligendis magistratibus, quàm instituendis ministris ecclesię, nisi id fiat diuini spiritus instinctu, qui quasi anima est ecclesiæ, vanum est & impium. Quicunq; enim ad magnum Dei officium, & Apostolatus dignitatẽ à spiritu Dei vocatus non fuerit, sicut Aaron, & qui nõ ingressus, fuerit per ostiũ, quod est Christus, sed aliunde in ecclesiã ascenderit per fenestrã, per fauores hominũ, per emptitias voces, per imperiũ principum: certè hic nõ est vicarius Christi & Apostolo

rum, sed fur & latro, & vicarius Iudæ Iscariotis, & Simonis Samaritani. Hinc ab antiquis patribus de electione prælatorum (quod sacer Dionysius vocat nominationis sacramentum) tam arctè statutum est, quòd Pontifices & Apostoli, qui præessent ministerijs in Ecclesia, nominarentur viri moribus & vita integerrimi, potentes in doctrina sana de omnib9 rationem reddere: sed antiquis patrum constitutionibus paulatim à sua maiestate cadentibus, ac recentiore pontificio iure cum damnabili consuetudine inualescente, tales plerique super sedem Christi conscendunt pontifices & Apostoli, quales olim super sedem Moysi sedebant scribæ & pharisęi, qui dicunt, & non faciunt, alligantes onera grauia in humeris populi, ipsi autem nolunt digito mouere. Hypocritæ sunt, omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominib9, osten-

ostentantes religionē suam in scenis: cupiūt primas stationes in choro, in gymnasijs, in synagoga, & vbique in foro, in plateis Rabbi & magistri & doctores vocari volūt: claudūt viā cęlorum, & ipsi non introeuntes etiam alios excludūt, nec sinunt intrare: comedunt domos viduarum, orationes longas factitantes, circumeuntes mare & aridā, seducunt, & furantur pueros, vt nacto vno proselyto, exaugeant perditum eorum numerū, vt ipsi perditi, & addicti gehennæ igni alios simul secum multo magis disperdant: suis commentis & traditionibus pijssimas Christi leges labefactant, verum Dei templum ac viuas Christi imagines, & aras animarum populi negligentes, aurum & oblationes auaro oculo curant, leuiora & quasi sinistra legis facientes, de decimis collectis, oblationibus & eleemosynis accuratè noua cudunt, & le-

ges cęremoniarũ arctè ſanciũt, decimãtes fruges, pecora, pecunias, & etiã quęuis minima, mẽthã, anethũ, cuminũ & de his canũ more collatrãtes à ſuggeſto cõfligũt cũ populo. Quæ verò grauiora & dexteriora ſunt opera Euãgelij, & legis, & iuſtitię Chriſtianæ iudiciũ, miſericordiã, & fidẽ omnino negligũt, excolãt culicem, deglutiunt camelum, cęſpitant ad lapidem, ingens ſaxum tranſiliunt, duces cæci, falſi & doloſi, genimina viperarũ, terſi calices, ſepulchra dealbata, foris in mitris, in pilis, in habitu, in veſtitu, in cuculla oſtentãtes ſanctimoniam, intꝰ pleni ſpurcitia, hypocriſi, iniquitate, ſcortatores, ſaltatores, hiſtriones, lenones, aleatores helluones, temulẽti, venefici, qui iam anteà (quod notat Ioannes Camotenſis Epiſcopus) non ex virtutũ meritis, ſed aut per turpe obſequiũ, aut intuitu munerũ, aut fauore principũ, aut vi amorũ ad ſacerdo-

dotia, ad beneficia, ad episcopatus conscenderũt, aut sub hypocrisis fuco hęc ad se traxerunt ex bonis Ecclesię quę paperũ sunt, sibi priuatas diuitias cumulãtes, monopolia & nundinas constituentes, in eleemosynis parentum nostrorum, abutentes illis in scortis, in alea, in venatione, in omni luxu & spurcitia.

Gaudent equis canibusq; & aprici gramine campi.

Cõcutiunt populos, vexãt regna, sollicitant bella, diruunt ecclesias, quas religiosorum patrũ cõstruxit deuotio, ipsi extruentes palatia, incedentes in vestibus purpuratis & deauratis, magno plebis detrimento, & religionis infamia, ac reip. insupportabili onere: quos non mercenarios pro pastoribus, nõ lupos pro mercenarijs, sed pro lupis diabolos, Beatꝰ ille clarevallẽsis Bernardus in sermone ad generalẽ Remẽsem synodũ, prẽsente Romano

pontifice definiuit. Iam etiam ipse Romanus summus pōtifex (quod idem sanctus Episcopus Camotensis conqueritur) omnibus grauissimus & intollerabilis est, cuius pompam & fastum nullus vnquam tyrannorum æquauit: atque ij interim in se solis iactāt religionis & Ecclesię statum consistere, cùm religionis onera, & verbum Euangelij, quod verum pontificium munus est, in alios reijcientes, ipsi in condendis proprijs legibus occupati, Ecclesiæ accipiūt emolumenta, ociosi simul & flagitiosi. Et quia, vt aiunt, sedes ipsa pontificia aut sanctos recipit, aut sanctos facit, hinc sibi nihil non licere putant adeo vt etiā sacris Ecclesiæ cęremonijs, quas sancti patres ad instruendos mortalium animos, & pro conferenda nobis Dei gratia, magna obseruantia instituerunt nefaria voluptate pro sua libidine impudenter flagitiosissimę

simeq; abutuntur: cuiusmodi exẽplũ de Bonifacio octauo pontifice in Porchetum cardinalem legimus apud Crinitũ. Hic est ille magnus Bonifacius, quia tria magna & grãdia fecit primum, falso oraculo de Iuso Clemente, persuasit sibi cedere apostolatum: secundum, condidit sextum decretalium, & papam asseruit omnium dominum: tertium, instituit iubilæum, indulgentiarum nundinas, illasq; primus in purgatorium extendit. Trãseo cætera illa Romanorum pontificum monstra, quales Formosus papa, & nouẽ sequentes olim Ecclesię turpiter præfuerunt: taceo etiam posteriores illos Paulum, Sixtum, Alexandrum, Iulium, famosos Christiani orbis perturbatores. Prętereo Eugenium, qui ob violatum Turcæ iusiurandũ, christianam Remp. in tot tunc istissima bella cõiecit, ac si non etiam hosti fides seruanda sit. Alexander VI.

1.
2.
3.

Paulo, Sixto, Alexandro, Iulio, Pontifices, famosi Christianorum perturbatores.

quáto Christianę reipub. dáno Zizimú Pazaithę, Turcę fratrẽ vene no sustulerit, omnibus notum est. Iamq; ipsi etiá Romanorũ pontificum legati (quod ait Camotẽsis, & quotidiana experientia notissimũ est) sic interdũ in prouincijs debac châtur, ac si ad flagellandum eccle siam egressus sit Satan à facie domini: commouent & conturbant terrá, vt videantur habere quod oporteat sanare, lętãtur cũ mala fiunt, exultãtes in rebus pessimis, vixq; tenent lacrymas, cum nil lacrymabile cernunt. Siquidẽ peccata populi comedunt, & vestiuntur, & nutriuntur, & luxuriantur in eis. Sed habent vitiorum suorũ efficacissimos titulos, nec quicquá illis obijci potest, quod nõ alicuius sanctorum exẽplo cõstantissimè excusent, aut tueantur. Ná si improperetur illis, quia indocti & illiterati, dicẽt tales Christum delegisse Apostolos, qui nec magistri legis, nec scri-

scribæ fuerint, nec synagogas, nec scholas vnquam frequẽtauerint: si linguę barbaries obijcitur, dabũt Moysen impeditę linguę, & Ieremiam nescientẽ loqui, quin & Zachariam, quòd mutꝰ esset, à sacerdotio nõ excluſum. Quòd si etiã sacrarum literarum ignorãtia, aut infidelitas, aut error, aut hęresis obijciatur, dicẽt Ambroſium nõdum Chriſtianum, ſed catechumenũ adhuc, in Epiſcopum electum: & Paulum non ex infideli modò, ſed ex perſecutore ad apoſtolatum vocatum: Auguſtinum quoq; aliquãdo Manichæum fuiſſe, & Marcellinum martyrẽ in papatu idolis thura odoleuiſſe. Quod ſi obijciatur illis ambitio, exẽp o illis erunt filij Zebedæi: ſi timiditas, timidi erant Ionas & Thomas: ille ad ꝛiniuitas, hic ad indos accedere metuẽtes: ſi perfidia, Petrus perfidiæ addidit periurium: ſi fornicatio, Oſeas meretricem, & Sampſon ſcorta com-

plexi

plexi sunt: si percussio, si homicidium, si militia, Petrus Malcho auriculam amputauit, Martinus Iuliano militauit, & Moyses Aegyptium interfecit, & abscõdit in stabulo. Adeò nihil penes eos refert, qualis quisque sit qui accedat ad sacerdotia, atque tunc horum magistrorum gladio oportet vt quisq; ceruices suas supponat gladio, inquam, non gladio verbi Dei, cuiꝰ illi custodes & ministri esse debẽt, sed gladio ambitionis, gladio auaritiæ, gladio mulctæ & extortionis, gladio multi exempli, gladio sanguinis & occisionis, quo armantur contra omnem veritatem & iustitiam & honestatem.

Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta.

Incipit euertetque aras respectꝰ honesti.

Libertas scelerum est, quæ regna inuisa tuetur.

Sublatusq; modꝰ gladij facere omnia sæuè.

Non

Non impunè licet eorum placitis contradicere, nec libidini eorũ resistere, nisi quis paratus sit martyrium subire pro Christo: hoc erit excremari pro hæretico, quemadmodum Hieronymus Sauonarola prædicatorij ordinis theologus, simul ac propheticus vir olim apud Florentiam exustus est. Verùm quoniam omnis potestas bona est, quia à Deo est, à quo sunt omnia, & omnia bona, & licèt vtentibus aut patientibus aliquándo mala sint: vniuersitati tamen semper bona sunt, prouidente sic illo, qui bene vtitur malis nostris. Propter multitudinem enim delinquentiũ superinducit Deus tyrannos, & peccata populi faciunt regere hypocritam. Quicunque igitur à Domino constitutus est Episcopus in Ecclesia, dignum & iustum est obedire illi, & in nullo contradicere. Qui enim Episcopo & sacerdoti

Adulatur.

ti obedire contemnit, non illum, sed Deum contemnit. quemadmodum de contemptoribus Samuelis ipse locutus est, inquiens: Non te spreuerunt, sed me. Et Moyses aduersus murmurantē populū ait: Non aduersus nos murmeraſtis, sed aduersus dominū Deum. Non igitur inultus permanebit à Domino, qui se contra Episcopum & prælatū suū posuerit. Dathan & Abiron restiterūt Moysi, & terra viuos absorbuit. Multi cū Chore cōspirauerūt aduersus Aaron, & igne consumpti sunt. Achab & Iezabel persecuti sunt prophetas, & canes cōederunt eos. Egressi sunt pueri vt illuderent Heliſæo, & vrsi dilaniarūt illos. Ozias rex cōtra sacerdotes sacerdotiū arrogare ausus, leprosus factus est. Saul quia præter Samuelē sacerdotum principē sacrificare præsumpsit, regia vnctione simul & prophetico spiritu priuatus à Deo, datus est spiritui malo.

malo. Infidele est scripturis sacris non credere, impium est sacerdotes spernere: boni sunt sacerdotes, melior Episcopus, super omnes sanctissimus summus pōtifex & princeps sacerdotum, cui creditę sunt claues regni cęlorum, & commissa sunt secreta Dei, princeps quidem secundū Deum, pontifex secundum Christum. quem qui honorat, honorabitur à Deo: qui inhonorauerit, inhonorabit illum Deus, & vltionem euadere non poterit.

DE SECTIS MONASticis. Cap. LXII.

SVnt adhuc in Ecclesia diuersarū sectarū populi, monachi & fratres anachoritæ, quibus vetus lex omnino caruit. Caruit etiam Ecclesia eo tempore quo fuit optima, nec tot cęremoniarum retibus implicita. Qui hodie religiosorum nomen sibi soli vendicant, arduas

arduas profectò viuendi regulas, & officia sanctissima professi, laudabiliumque virorum sanctissimorumque patrum nomina, putà Basilij, Benedicti, Bernardi, Augustini, Franciſci, & similium præ se ferentes: sed hodie est inter eos ingens malorum turba. Siquidem huc tanquam in malorum omniũ asylum confluunt, quoscunq; scelerum conscientia terret, qui ob legum vindictam nusquam alibi tuti sunt, qui crimina commiserũt supplicio expianda, quos vitæ turpitudo abstraxit ad infamia, quos rebus suis scortis, alea, ingluuie profusis, ęs alienum ac turpis egestas mendicare cõpellunt, & quos laborem subterfugientes, spes otij, ac fraudatæ cupidinis impatiẽs desperatio, aut circumuẽta iuuentus, aut iniusta nouerca, aut iniqui tutores huc impegerunt: quorum omnium agmen iungit simulata sanctimonia, cucullatus habitus

&

& valida mendicitas. Atque illud mare magnum, in quo cum cæteris piscibus habitant Leuiatham & Behemoth, cœte grãdia, belluæ & reptilia, quorum non est numerus: de quo exiliunt tot Stoicæ simiæ, tot insolentissima poscinummia, tot palliata mendicabula, tot cucullata monstra, barbigeri, funigeri, restiferi, saccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, atrati, nigritæ, grisones, albichlamydes, versicolores, multipelles, linostolij, retiarij, palliati, chlamydati, pullati, paludati, præcincti, bracchati, acid genus aliorum turba histrionum, qui cùm de rebus humanis nullam fidem habeant reliquam; ob monstruosę vestis habitum creduntur illis diuina, hodieque sacrum religionis nomen sibi soli vsurpant, ac se Christi sodales, Apostolorumque contubernales iactant: quorum vita sæpe sceleratissima est auaritia, libidine, gula, ambitio-

bitione, temeritate, petulantia, & omni scelere referta, sed religionis prætextu semper inulta. Romanæ enim Ecclesiæ priuilegijs muniti sunt, & à iurisdictione omnium Ecclesiarum exempti sunt, quò plura illis impunè liceant: quūq; ipsi pro foro rei alios quoscq; vbique cōueniant, ipsi tamen conueniri non possunt, nisi aut Romæ, aut Hierosolymis. Horum vanitates & errores si mihi calamo explicandi forent, non caperent omnes pelles Madian: eorum, inquam, qui non pietatis causa professi sunt religionem, sed ventris gratia cucullam induerunt. Neque verò bonos offendet hic sermo, quem de solis improbis dictū volo, qui sub pellibus agninis sunt lupi rapacissimi, & in vestibus ouium astutam gerunt sub pectore vulpem: adeo dissimulantes artes fallaciæ suæ, vt nihil aliud professi videantur quàm scenicam

quan-

quandam hypocrisim, & merum quæstum pietatis imagine personatum, dum pallido vultu mentiuntur ieiunia & obsequentibus lacrymis profunda à pectore trahunt suspiria, & mobilibus labris frequentes orationes simulantes, & gressu incessuque composito, gestibus tranquillis,

Obstipo capite figentes lumina terræ,

Modestiam sibi vendicantes, fucato habitu humilitatẽ, & suspensa à collo cuculla sanctimoniam foris professi, intus autẽ detestandos mores secum ferentes: atque eũ inter hæc sceleratissima quæq; nonnunquam committant, seruantur, vincuntque religionis titulis, cuculla veluti clypeo cuncta fortunæ spicula repercutientes, & ab omnibus mundanis periculis ciuilibusque molestijs securi, panem ociosum & emendicatum pro eo qui laboribus ac-

qui-

quiritur, vescentes, securi & sine sollicitudine dormientes: hancq; tamen Euãgelicam paupertatem putant, in ocio & mendicitate vesci alienis laboribus. Cumq; summam humilitatem profiteantur, incedentes vili vestitu vt rustici, nudi pedes vt histriones retiarij, cincti funibus aut capti latrones, raso toto capite vt fatui, cuculla, auriculis ac tintinabulis tenus morionibus ac laruis carnispriuialibus quàmsimilimi, cęteraq;, quęcunque contumeliæ & abiectionis signa propter Christum & religionem sese suscipere fateantur: vincuntur ambitione, & omnem instituti sui rationem in arrogantissimos titulos referunt, ac paranymphi, rectores, gardiani, præsides, priores, vicarij, prouinciales, archimandritæ, generales vocari gloriantur, vt nullum hominum genus tam videatur primi loci appetens quàm istud. Non desunt

quæ

quę de istis per plura mala malè di ci possent, sed iam pręcesserũt qui de ijs amplissimis maledictis concionati sunt: adeò vt non solùm multos probos & integrę vitę ve re religiosos patres, sed ipsas etiã sanctorum patrum bene viuendi instituta & regulas contemptui exposuerint. Quocirca nihil ego hic in sugillationes eorum dixisse volo, qui rectè in professionibus suis ambulantes, sanctorum illorum patrum vestigia sequentes, ad cumulum aspirant perfectionis. Fateor regulas & professiones illorum sanctas, fateor esse in hunc diem sanctos monachos, sanctos fratres mendicantes, sanctos anachoritas, sanctos canonicos regulares: tamẽ inter hos plurimos infideles, & reprobos, & apostatas, quibus religionis professio deformatur. Atq; hoc est propositum nostrum voluisse ostendere, nullam vnquam cuiusuis religionis pro-

professionem tam castam extitisse, in quam non irrepserit erroris & malitię macula. Siquidem & Angelos apostatas legimus, & primos fratres paricidas, prophetas reprobos, apostolos proditores, & discipulos Christi perfidos, atque inter Rom. Pontifices supra multos scismaticos & reprobos & etiam hæreticos: aliquando etiam mulierē ad tanti apicis culmen conscendisse, quę vocata est Ioánes octauus, rexitque sedem Apostolicam laudata ab omnib. annos duos cum aliquot mensibus atque diebus: & quod mulieribus in Ecclesia negatum est, contulit sacros ordines, promouit episcopos, ministrauit sacramenta, cæteraque Rom. Pontificum exercuit munera: & facta eius in Ecclesia non fuerunt irrita, communi videlicet errore faciente ius. Quo prævalēte, puto Ecclesiam tunc coactam multa dissimulare, quę religionis rigor alias non tu-

tulisset: adeò nec in religionibus quicquã integrum, stabile & perpetuum reperiri potest. Quicunque autem in Ecclesiam Dei sectas introducunt, & tanquam sibi placentes, quæstus causa, aut fictę sanctitatis gloria secedunt à principe Romana Ecclesia, ij tanquam Nadab & Abiu alienum ignem offerentes ad altare Dei, ab eo comburentur. Qui verò elati & peruersę sententiæ excogitatis hęresibus exurgere audent aduersus Ecclesiã Dei, cum Dathan & Abiron voragine terræ absorpti viui descendent in infernum. Qui autem scindunt vnitatem religionis, & Christi mẽbra diuidentes affligunt Ecclesiam Dei, eadem pœna qua Ieroboam exterminabuntur.

DE ARTE MERETRIcia. Cap. LXIII.

Reliquũ nunc, quia apud Aegyptios primos religionũ

auctos

auctores neminem olim sacerdotem fieri licebat, qui Priapi sacris non prius initiatus fuisset, atque in nostra Ecclesia receptum sit, quod carens testib9 Papa esse nó possit, prohibeanturq; spadones, eunuchi & castrati in sacerdotes ordinari, palamque videmus vbicunq; sunt magnifica ista templa, & sacerdotum monachorumque collegia, vt plurimum in proximo esse lupanaria: quin & plurimę monialium & vestalium ac beguinarum domus, priuatæ quędam meretricularum fornices sunt, quas etiam monachos & religiosos (ne diffametur eorum castitas) nonnunquam sub monachali cuculla, ac virili veste in monasterijs aluisse scim9. Visum est non pręter ordinem de arte meretricia sermonem hic subnectere, quam equidé ad bene institutæ Reipublicæ rationem non solùm vtilem, sed & necessariam esse plerique sapientis-

tissimi arbitrati sunt. Nã Solon ille magnus Athenienſium legislator, atque vnus de ſeptem ſapientibus Apollinis oraculo iudicatus (vt teſtes ſunt Philemon & Menander) emptas iuuẽtuti meretriculas cõparauit, & primus Veneris pandemi templum ex proſtitutarum capturis dedicauit, lupanariaque inſtituit, legem ſanciuit, immunitate etiam meretricibus conceſſa roborauit. Tantæ quoque reuerentiæ habitæ ſunt meretrices in Grę cia, vt cùm Perſes in Græciam expeditionem faceret, Corinthię meretrices pro ſalute Greciæ in templo Veneris ſupplicarent. Mos quoque is erat apud Corinthios, vt de re magna ſupplicaturi Veneri, meretricibus id committeretur. Meretricum templa conſtructa plurima apud Epheſum, & aliud celebre ædificarunt Abydeni, quòd libertatem ſibi ademptam meretricis opera recuperarunt.

Ipse præterea sapiens Aristoteles non dubitauit etiammeretrices diuinis honoribus dignas, quando Hermiæ pellici sicut Eleusinæ Cereri sacra fecit. Inuentum autem huius artis Veneri tribuitur, quæ idcirco etiam inter deas relata est. Hæc enim impudica omnibusque prostituta libidinibus, auctor mulieribus in Cypro fuit, vt vulgato corpore quæstum facerent: vnde apud Cyprios, narrante Iustino, mos inoleuit, vt virgines eorum ante statutas nuptias in quæstum ad littus maris prostituerent dotem lucraturas, & pro reliqua pudicitia Veneri libamenta soluturas. Apud Babylonios etiam, teste Herodoto, consuetudo fuit, vt qui rem domesticam consumpsissent, filias suas adigerent ad quæstum corpore faciendum. Verùm Aspasia Socratica meretrix vniuersam Græciá (vt scribit Athenæus) meretricib. impleuit: ob cuius amorem,

rem, eiusq; ministras à Megarensib. raptas, ait Aristophanes bellum Peloponesiacum à Pericle susceptũ. Extulit aũt hanc meretricandi artẽ permultum imperator ille Heliogabalus, qui (vt testis est Lãpridius) lupanaria domi amicis, clientibus, & seruis exhibuit. conuiuia dedit ad viginti duo fercula ingentia epularum, sed vt per singula cõuiuę coirent & lauarẽt. iuramẽtoq; adigebantur, quòd voluptatẽ hanc perficerẽt. sępè etiá meretrices à lenonib. cunctis redemit & manumisit, è quibus meretricem quandam notissimam & pulcherrimam triginta argenti libris redemisse legitur: fertur & vna die ad oẽs circi, & theatri & amphitheatri, & omniũ vrbis locorum meretrices ingressus, & singulis aureũ donasse. Aliquando etiam oẽs de circo, de theatro, de studio, & omnibus locis & Latineis meretrices collegit in ędes pub. & apud eas

concionem habuit quasi militarẽ, vocans commilitones, disputauitque de generibus schematum & voluptatum: post cõcionem pronunciauit ijs quasi militibus ternos aureos donatiuum. Etiam matronis Romanis meretricari volentibus non solùm impunitatem, verumetiam immunitatem concessit, salariaq; ex publico ærario meretricibus statuit. Etiam senatusconsulta quędam amatoria & meretricia siue futuaria inuulgauit, eaque de nomine matris siue coniugis suæ Semiramida iussit appellari: insuper & genera quędam libidinum adinuenit, quibus etiã Cyrenæ meretriculæ (quæ Dodecamechana, quoniam in Venerio vsu duodecim excogitasse modos, quibus inscensori iucundius redderetur, libidinis proluuium cognominata est) numeros superat, ac veteres omnes Tribades, Hostias, Aphias, Spinctrias, casalua-

uadas, Casaritas, prostipulas, cęteraq; scortilla vinceret. Transeo Iudam Israelitam patriarcham scortatorē, & Sampsonem populi dei iudicem, qui non nisi scorta duxit vxores, ac Salomonem Iudęorum regem sapientissimum, qui greges meretricum penè innumerabiliū habuisse proditur: quin & cùm cę sarem dictatorem virum strenuissimum hanc ob causam omnium mulierum virum nuncupatū, tum & Sardanapalum Babyloniorum monarcham, cæterosque innumeros meretricum potentissimos patronos: ipse etiam Proculus Imperator in hac arte non postremam gloriā reportauit, qui (vt testatur eius ad Metianum epistola) ex captis centum Sarmaticis virginib. decem prima nocte iniuit, omnes aūt intra quindecim dies constuprauit. Sed maiꝰ illo est quod poē tæ narrant de Hercule, illum quinquaginta virgines vnà nocte om-

nes mulieres reddidisse. Narrat etiam Theophrastus grauis auctor, herbulam quandam Indicam tantæ virtutis, vt quidam ea comesta ad septuagesimum coitum processerit. Reliquum verò non parum hanc artem ornarunt Sappho poëtes Phaonis adamatrix, & Leontium Metrodori scortum in philosophia eruditissima, adeo vt aduersus Theophrastũ contra coniugium protuendo meretricatu libros ediderit. Accedit istis Sempronia Græcè & Latinè elegantissima. nec prætereunda hic est Leæna Aristogitonis Atheniensis probatissimæ fidei scortum, quæ torta à tyrannis vt amicum proderet, tormenta omnia cum constanti silentio perpessa est. Nobilitarunt præterea hanc artem Rhodope meretrix, Aesopi fabulatoris conserua quondam & contubernalis, quę tantas o pes meretricio quæstu consecuta est, vt inter mun-

mundi spectacula tertiam ordine condiderit Pyramidem. Sequitur hanc Thais Corinthia, quę prerogatiua pulchritudinis insignis, regum duntaxat & principum dignabatur amplexus. Maximè verò hanc artem extulit Messalina claudij Cæsaris vxor, quæ lupanari circumiens, etiam ancillam nobilissimam è prostitutis, die ac nocte quinto & vigesimo concubitu superauit, & lassata vitia, sed non satiata recessit. Quibus adiungere poterimus ex recentiori memoria Ioannam Neapolitanorum illustrem reginam, & pleraſq; alias principes meretrices, & palatina scorta, si nuncupare eas tutum foret, quamuis vulgata fama notissimæ sint: hoc ipso tamen à cæteris meretricibus discretæ, quòd contra Heliogabali legem non in publicis lupanaribus, vt Messalina illa imperatrix, sed intra limina clanculum futuunt, & quasi per insi-

dias meretricantur. Adscribamus liceat etiam Octauiani Augusti vtranque Iuliam, filiam & neptem, tum & Populeam & Cleopatram Aegypti reginam, & alias nobilissimas meretrices: quinetiam Semiramidis monarchæ, & Pasiphaë vetustissima libidinis exẽpla, quarum hæc tanta libidine ardebat, vt non modò filium proprium in cõplexum sollicitaret, sed etiam equum vsque ad coitum adamarit; illa verò Minois regis vxor, se tauro suppoſuerit. Nolumus autem hoc loco illustrium meretricum catalogum edere: sed illud prætereũdum non est, meretricios & adulterinos concubitus germinasse nobis splendidissimos heroas, putà Herculem, Alexandrum, Ismaëlem, Abimelech, Salomonem, Constantinum, Clodoneum Francorum regem, & Theodoricum Gothum, Guilermum Normannum, Raymirum Arragonensem.

Sed

Sed & qui hodie regnant & imperant reges, pauci admodũ ex legitimis matribus nati sunt. Tá leuia habentur penes eos matrimonij iura, vt pro libito desponsatas, iustas, verasque vxores repudient, mutent, atq; permutent, similiter & filios filiasq; tot nuptijs & sponsalitijs copulant & recopulant, vt nescire cogamur, vbi verum cohę reat illorum matrimoniũ. Exempla huius plura suppetunt, sed pauca, quæ à proximis annis sese offerunt, pro omnibus faciunt. Nónne Ladislaus Polonus accepta in vxorem Beatrice, cuius nutu Hungariæ regnum obtinuit, tandẽ repudiata illa superinduxit aliam ex Gallis pellicem? Nónne Carolus octauus rex Francorum repudiata Margareta Maximiliani Cæsaris filia, illius sponsam rapuit, & vxorem sibi copulauit? quam eã dem posteà Lodouicus duodecimus repudiata sua sibi consimili

thoro coniunxit, consentientibus illis & adiutantibus regni Episcopis & Pontificibus, quibus visum est pluris facienda iura acquirendę Britannię, quàm iura obseruándi legitimi matrimonij. Et hodie adhuc nescio cui regi persuasum audio, vt liceat sibi iam plus viginti annorum vxorem dimittere, & nubere pellici. Sed ad meretrices reuertendum est, harum artes qui nosse velit, videlicet quo ritu suá prostituant pudicitiam, qua oculorũ lasciuia, quo nutu faciei, quo corporis gestu, quẽis sermonum blanditijs, quẽis impudicis contrectationibus, quo exteriore habitu ac fuco sollicitẽt corruptores, cęterasque meretriciæ artis vafricias, illices, laqueos, stratagemata, apud comœdiarum poëtas hæc requirat. Qui autẽ scire cupit, quo ritu, quo diliniméto, quo cõtuitu, quo affatu, quibus basijs, quib. suauijs, quib. cõtactibus, quib. oppressiun-

siunculis, quibus affrictionib. quibus luctis, quo accubitu, quo constrictu, quibus motibus, quo impulsu, quo exceptu, quo recessu, qua Veneris protelatione, qua reciprocatione, qua instauratione meretricius ludus sit explendus, in medicorum voluminibus traditum inueniet. Scripserunt præterea libros de meretricibus Antiphanes, Aristophanes, Apollodorus, Calistratus: particulatim verò Laidis meretricis laudes scripsit Cephalus rhetor, atq; Naidis meretricis laudes conscripsit Alcidamus. Scripserunt præterea de fornicarijs amoribus tam Græci quã Latini, callimachus, Philetes, Anacreontes, Orpheus, Alceon Pindarus, Sappho, Tibullus, Catullus, Propertius, Virgilius, Iuuenalis, Martialis, Cornelius gallus, & multi alij, non tam poëtarũ quàm lenonum officio functi: sed hos omnes vincit Ouidius in epistolis

heroicis & ad Corinnam dictatis, maximè verò de arte amandi, quẽ verius de arte meretricandi aut lenocinandi intitulasset, ob quorum eruditionem, quòd iuuentutem impudicis documentis corrupisset, ab Octauiano Augusto in meritum exilium ad Getas vsque relegatus est. Ipse etiam Archiloch9 Lacedæmonius olim omnes amorum libros iussit excremari, & tamen hæc ars hodie adhuc à nobis legitur, & ludimagistri hanc suis prælegunt discipulis, & editis in eam sceleſtissimis commentarijs exponunt: quin & vidi ego nuper atque legi sub titulo Cortosanæ Italica lingua editum & Venetijs typis excusum de arte meretricia dialogum, vtriusque Veneris omnium flagitiosissimum dignissimũque, qui ipse cum auctore suo ardeat. Prætereo hic, & consultò quidem, cinædorum & prædiconum detestandam libidinem referre-

ferre-

ferre, etsi illam magnus probet Aristoteles: ac Nero imperator publico thoro honestauit, quo tẽpore Paulus Apostolus scribens ad Romanos indignationem omnipotentis de illis indicit. Pluet enim super eos dominus laqueos, vt non effugiant, ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum. In hos iubet imperator insurgere leges & armari iura, & exquisitis pœnis vltore gladio pœnã irrogari capitalem: sed hodie igne excremantur, quàm Moyses in legibus suis crudelibus supplicijs extirpandam censuit, & Plato à sua republica expellit, & in legibꝰ damnat. Antiqui etiam Romani hanc (teste Valerio & alijs) seueriſsimè punierunt. Exempla huius fuerunt Q Flaminius, atque tribunus ille à Cælio occisus, sed nos honestis auribꝰ parcentes, ab hac monstrosa libidine, & brutali spurcitia ad meretrices redeamus.

Siqui-

Siquidem omnibus hæc libido infesta est,& non est qui ignem illius aliquando non senserit: sed aliter vruntur fœminæ, aliter viri,aliter adolescentes,aliter senes,aliter plebei,aliter proceres, aliter pauperes,aliter diuites. Quodq́, mirabilius est, pro nationum & terrarum varietate,aliter Itali,aliter Hispani, aliter Galli,aliter Germani:ita libidinis incendio pro cuiusq; sexus, ætatis, dignitatis, fortunę atq; nationis differentia sibi varios insani endi ritus deligẽte:virorum amor ardentior,sed fœminarum pertinatior: amor iuuenũ lasciuus est, & senum ridiculus.placere studet pauper obsequio,diues muneribꝰ, plebei conuiuijs, proceres pompa & ludis. Adoritur pathicam ingeniosus Italus dissimulato ardore, quadã adornata lasciuia,illamq́ editis laudat carminibus, omnibusq; pręferens extollit:si potitur zelotypus,illam perpetuo recludit ac ve-

veluti captiuam obseruat: si amore frustratus de recuperanda pathica desperauerit, ad maledicta conuersus, illam infinitis conuicijs detestatur. Præceps Hispanus, ardoris impatiens, furibundus, irrequieta lasciuia irruit, miserabilibusque lamentis incendium suum deplorans pathicam inuocat & adorat: si potitus fuerit, tandem aut zelotypus perimit. aut satiatus ad mercedem prostituit: si frui desperare cogatur, seipsum excrutiat. & mori destinat. Lasciuus Gallus obsequio nititur, cantibus & iocis pathicam oblectat, si capitur zelotypia, mœstus luget, si frustratur, lacessit contumelijs, vindictam minatur, vimque intentat: si potitus fuerit, tandem negligit, & aliam vrit. Frigidus Germanus lentè inardescit, accensus arte instat, & donis prouocat, zelotypus liberalitatem continet, frustratus contemnit, potitq; refrigescit. Fingit sese amare

Gal-

Gallus, ardorem dissimulat Germanus, amatum sese sibi persuadet Hispanus, amare nescit absque zelotypia Italus. Amat iucundam licèt deformẽ Gallus, præfert pulchram licet inertem Hispanus, mauult timidulam Italus, cupit audentiorem Germanus: fit è sapiente stultus pertinaciter amando Gallus, rebus omnibus amando profusis è stulto tandem, sed serò fit sapiens Germanus, ob placendæ amatæ desiderium magna aggreditur Hispanus, vt amata fruatur, maxima quæque contemnit Italus. Quin huiusmodi amorum libidinumque passionibus irretiti etiam maximi viri, multa præclara facinora sæpissimè negligunt, & post terga relinquunt: cuiusmodi quondam in Ponto Mithridate, in Capua Hannibal, in Alexandria Cæsar, in Græcia Demetrius, in Aegypto Antonius, cessat olim ab opere Hercules propter

pter Iolen, Achilles pugnam detrectat propter Briſeidem, moratur Circe Vlyſſem, moritur in carcere Claudius propter Virginiam, retinetur Cæſar per Cleopatram, eademque exitio fuit Antonio. Produnt ſacræ literæ propter fornicationem Seth cum filiabus Cain prope vniuerſum humanum genus diluuiõe extinctũ. propter fornicationis impetũ deletæ ſunt Sichen & domus Emor, & penè tota tribus Beniamin: populus. Iſraël propter fornicationem externarum fœminarum quoties percuſſus eſt, & in ſeruitutem datus? Iamque propter vnius Dauid regis adulterium, quanta ſtrages peſte, fame, & gladio facta eſt? Propter fornicarios amores fœminarumque raptus, Thebani, Phocenſes, Circei expugnati atque deleti ſunt, ipſumq;, vt diximus, Peloponneſiacum bellum à Pericle ſuſceptum eſt, ac decennali bel-

lo

lo expugnatum illum, maximo totius Græcię atq; Asiæ detrimẽto. Similes ob causas Tarquinio Claudius, Dionysius, Hannibal, Ptolemæus, M. Antonius, Theodoricus Gothus, Rodoaldus Longobardo, Childericus Francus, Aduincelao Bohemus, atq; Manphrodus Neapolitanus mortem & patriæ ruinam passi sunt. Propter Canã Iuliam Tingitanæ prouinciæ præfecti filiam, per Rhodericum regẽ stupratã, pulsis Gothis, Saraceni omnẽ Hispaniam occuparunt. Henricus secundus Anglorum Rex, ob stupratã nurum suã Philippi Francorum regis sororẽ, à filio suo regno pulsus est. Propter virorũ fornicatiões indignatæ vxores Clitõnestra, Olympia, Laodicea, Beronica, Frigiobunda & Blancha, ambæ Francorum reginæ, & Ioanna Neapolitana, & plereq; alię maritos occiderunt. Eadem causa Medecam, Prognẽ, Ariadnẽ, Altheam, Heristil

lam

lam materno amore in odium verſo, in crudelē filiorum cædem adegit. Et poſteris temporibus multæ adhuc mulieres maritorum ſtupra in natos filios vindicarunt, atq; ex mitiſsimis matribus crudeliſsimæ Medeæ, furibundæ Altheæ, & impiæ Heriſtillæ factæ ſunt.

DE LENONIA.

Ca. LXIIII.

VErùm quia lenonum & lenarum ſuaſu, conſilio & opera committunt meretrices & ſcortatores vt plurimum ſcelera ſua, ipſam lenociniorum artem proſequamur. Nam ſicut meretricatio ars eſt proſtituendę propriæ pudicitiæ, ſic lenocinium ars eſt oppugnandę & proſtituendæ pudicitiæ alienę. Quæ tanto quidē maior eſt meretricia, quanto ſceleratior: tāto potentior, quanto ipſa res plurium artium ſatellitio conſtipata, tanto autem pernicioſior,

fior, quantò ipsa plures cęterarum artium ac scientiarum disciplinas amplectitur, quas aranearum instar irrepens, quidquid in singulis artibus & disciplinis vspiam est veneni, id totum è singulis haurit, inde sua tela contexens: non quidem quales aranearum telæ, quę dimissis auibus non nisi muscas capiũt, nec etiam cuiusmodi illa venatorum ingentia retia, quæ grandiores belluas retinent, pusillas astutioresq́; bestiolas elabi sinunt: sed vincula nectit tam fortia, tamque solida, vt uulla puella, nulla mulier tam sit simplex siue prudens, tam constans siue pertinax, tam verecunda seu timidula, tá potés siue pusilla, vtsi semel aures præbeat lenæ, non illico capiatur & hæreat. Astutia verò ea est quam nulla vincit muliebris prudentia, à quarum tendiculis nulla puella, nulla matrona, nulla vidua, nulla vestalis euadat indemnis.

Cuius

Cuius inermis militia pluriũ mulierum pudicitiam prosternit, quã vllus vnquam quantumcunq; maximus exercitꝰ, illius technæ, fraudes, doli, versutiæ, astus eiusmodi quæ tradere nullus stylus sufficiat, nullum æquare possit ingeniũ. Quumque hæc ars plurimos vtriusque sexus habeat professores, tamen paucos admodum consummatos dedit magistros: nec mirũ. Nam licèt tot sint lenociniorum genera quot artium & disciplinarum, idcirco absque omnium cognitione perfici non potest. Oportet ergo perfectum & consummatum lenonem lenamue omniscium esse, nec ad vnam solam disciplinam, velut ad Arcticam stellam tãtùm respicere, sed omnes amplecti, eam artem professus, cui cæteræ omnes disciplinæ seruiunt & famulantur. Est enim certa quædam omnium scientiarum seruitus lenocinio famulantium. Nam huic

im-

imprimis grammatica scribendi& loquendi disciplina amatorias largitur epistolas,illasq; effectis amatorijs salutatiunculis, precatiunculis lamentatiunculis, allectatiunculis,dictari docet:quarum exempla pleraq; ex recentioribus Aeneas Syluius,& Iacob9 Cauiceus,& pleriq; alij reliquerunt. Verùm est alia quædam grammaticæ ratio,de modo occultè scribendi ceu de Archimede Syracusano legim9 apud Aulum Gellium: de quo artificio ante paucos annos scripsit Trithemius Abbas Spanheimensis duo ingeniosa volumina, quorum vnũ nuncupauit polygraphię,alterum steganographię,in quo posteriore, tam secũros secretosq; ad quãtam cunq; etiam distantiam explicandi animi ritus modosque tradidit,quibus nec Iunonis ominiscia zelotypia,nec Danaë arctissima custodia queat resistere,nec qui omnia perquidens centoculi Argi vigilantia

que-

queat explorare. Ars profectò nō tam necessaria regibus, quàm lenonibus & amantibus omnib9 cómodissima. Succedit huic proximè poësis, quæ suis lasciuis rythmis atque fabulis ac amatorijs bucolicis, epigrammatib9 epistolis & præceptiunculis cōmœdijs, atque ex penitissimis Veneris armarijs depromptis lasciuis carminib9 lenocinio functa, pudicitiam omnem subuertit, ac adolescentiæ bonam indolé moresque corrumpit. Vnde Poëtæ inter lenones principatum ferè obtinuerunt, è quorum numero apud Priscos peritiores extitere illi quos superius in arte meretricia nuncupauim9. Callimach9, Philetes, Anacreōtes, Orphe9, Pindar9, Alceon, Sappho, Tibullus, Catullus, Propertius, Virgilius, Ouidi9, Iuuenalis, Martialis: et hodie sunt adhuc poëtę, qui pestilentissima carmina scribunt. Post ist.s verò nō infimum inter lenones

nes locum sibi vendicant Rhetores, fraudulentarum blanditiarum & persuasionum artifices, illaque lenarum felicissima, cui propitia est dea Suadela. Superiorē tamē istis locum possident historici, illi prę cipuè qui amatorias illas historias contexuerunt, Lanceloti, Tristamij, Eurealis, Pelegrini, Calisti, & ñmiiium, in quib9 fornicationi & adulterijs à teneris annis puellę instituuntur & assuescunt. Neque verò machina quæuis ad oppugnandum, cùm matronarum pudicitiam tùm virginum ac Viduarum castimoniam validior quàm lectio lasciuę historiæ: nulla tam bonę indolis fœmina, quę hac ipsa non corrumpatur, mirumque putarim, si aliqua reperiatur aut mulier, aut tam exactę castitatis siue pudicitiæ, quę eiusmodi lectionibus & historijs peregrina libidine non iæpè ad furorem vsque accendatur. Atque tamen quæ in his

his libris plurimum edocta puella est, quęque horum iacere scit dicteria, & ex horum disciplina cum procis in multas horas facundè confabulari, hæc demum est probè aulica. Permulti autem historici lenones extitere, quorum nomina obscura sunt. multi etiam inter præclaros scriptores istis operam nauarunt: cuiusmodi ex recentioribus Aeneas Syluius, Dantes, Petrarcha. Bocatio. Pontanus, Baptista de Campo fragoso, & alter Baptista de Albertis Florentinus. Item Petrus Hœdus, & Petrus Bembus, Iacobus Caniceus, & Iacobus Calandrus Mantuanus, & multi alij, inter quos tamen Ioannes Bocatius superatis omnibus lenonum palmam sibi lucratꝯ est, in ijs maximè libris, quos centum nouellorũ intitulauit: cuiꝯ exẽpla & traditiones nihil aliud sunt, quã callidissima lenociniorum strata-gemata. Iam verò quando honesta

tis ac religionis verecunda timidu laq; fœmina expugnãda est, quãtũ tunc dialecticæ argutiæ lenocinijs adiumẽti præstant, ipsa apud Ouidium Myrrhæ fabula facit. Proinde nunc ex mathematicis disciplinis arithmetici ludi lenocinijs cõmodi sunt, & musica ipsa non minima lenociniorum clientula est, quæ vocis gratia, & pestilentibus cantionibus instrumentorumque voluptarijs modulis libidinis incentiua, in omnem lasciuiam & corruptionem animum emollit, mores subuertit, luxuriæ concupiscentiam affectusque validissimè incutit. Cui accedit chorearum & saltationum commoditas, vbi cum pathicis liberè loqui licet & palpitare oscula, basia, & suauia fingere, & impudicis manibus quã velis contrectare, & non raro ad latebras confugere. Nec deest à lenocinijs geometricus architectus, qui schansili machinula per im-

impluuium vel feneſtrâ ſub noctu congrediatur amatæ, quiq; adulteratis clauibꝰ ſimilibusque, ceu quale Dædalus fabricauit Paſiphaę, ingenijs adulteris obſequatur. Iamque etiam in picturis legunt quę literas neſciunt mulieres, plusq; ex iſtis intelligunt, quàm aliæ ex literis conſpiciunt, dum intra cubilia nuſquam non videant quod cum ſcelere & flagitio æmulentur, nec minus per oculos atque per aures animus corrũpitur. Tá enim hi ad animũ penetrant, atq; ille, nec minus laſciuis imaginibus quàm rerum præſentia homines ad libidinem inuitátur: cuius rei argumẽta ſunt. Venus Gnidia, Praxitelis opera in templo ſtuprata, eiuſdemque artificis, Cupido abs Alchida Rhodio adoleſcente corrupta, & quæ refertur ab Eliano Fortunæ ſtatua, abs Athenienſi iuuene tam ardenter adamata, vt cum emere prohiberetur, apud eandem

expirarit. Terentius etiam in Eunucho introducit adolescentē ad libidinem incensum, cùm vidisset tabulam in qua depictum fuerat quomodo Iupiter per aureum imbluuium corruperit Danaen: ideo que non immerito Aristoteles pœnam publicam statuit pictoribus, qui talia proponunt oculis multitudini, quibus libido inflammetur. Neq; verò sine causa dicit Sapiens picturæ ac statuariæ artes inuentas esse in tentationem animæ hominū, & in decipulā insipientiū, & corruptionē vitę. Occurrūt nūc astrologi chiromātes, geomātes, sōniatores, ominatores, aruspices, augures reliquusq; diuinatorū populus, qui oēs lenonum officio fungētes, suis fallacijs ac versipellis astutię fraudibꝰ spondēt illicitos amores, conciliantq; nō rarò, sceleſtissimas conglutināt nuptias, nimis rarò benè pactas dirimunt in adulteria. Ab ijs lenonibus nō modò mulie-

lieres, sed quod pudendum est, viri etiá amorum & coniugiorũ suorũ auspicia petunt, & spem potiundæ pathicæ puellę capiunt, & pro illorum nõ tá stulto quàm impio hortatu sese cõnubijs iungunt vel eximunt. Cæterũ etiam ad tam insaná crudelitaté plerique inducti sunt, vt putét astrologicis imaginib9, & horarũ obseruationibus amorem cogi posse, sicut de istis Theocrit9, Virgilius, Catullus, Ouidius, Horatius, Lucanus, & multi alij nugaces poëtæ cecinerunt, atque ipsi astrologi poëtis non minus mendaces auctores, in suis electionum libris statis canonibus tradiderũt: quo vno profectò lenociniorum obsequio astrologi omnes & diuinatores non minimũ faciunt quæstum, quibus in adiutorium proximè sese offert.

Magia, quæ se carminibus promittit soluere mentes

Quas velit; aſt alijs duras immittere curas.

De qua etiam apud Lucanum:

Carmine Theſſalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor,

Et apud Horatium Cadidia, apud Apuleium Pamphilæ maleficæ ſuos amatores aſtringunt, & in Calliſti tragica comœdia Cælestina lena Meliboeam puellam accendit. Accedunt ijs etiam veneficia, & philtra, amatoria pocula, ſed admodum periculoſa, vt pro amore nonnunquam mortem, aut grauem aliquam mortem inducãt. Horum hauſtu mortuus eſt Lucullus, & Lucretius, ſed dilucidis interuallis ſenſum mentemq; amiſit. Legimus etiam mulierem quandã, quæ amatorio poculo hominẽ occiderat, ab Areopagitis abſolutam, quia amoris cauſa hoc cõmiſerat, ſed nulla lenocinij, aceõmodatior ars, quàm medicina, quæ concupi-

tam

tam Venerem à quauis pathica puella facile obtinet, dum pollicetur resarcinato hymenæo amissam virginitatem restituere, papillasne excrescant cohibere, vterum prohibere, sterilitatis venena in longam securamque libidinem ministrans, aut quassata spina conceptum semen eiicere docens, vt canit Lucretius:

Idque sui causa consuerunt scorta moueri,
Ne complerentur crebro grauidæque iacerent,
Et simul ipsa viris Venus vt concinnior esset.

Quo vno medicorum beneficio iã multæ matronę simul & puellę aulicę etiã dominę securè futuunt, faciunt ad hanc rem etiã vetularũ incrustationes, & reliqui meretricantium mulierum fuci, qui apud medicos in libris de decoratione passim traduntur, docenturque, quibus noxias meretricum merces

vendibiliores reddant, quæ idcir-
co ſacræ literæ vocãt vnguẽta me
retricia & cum iſtis alia permulta
pharmaca libidinũ incẽtiua: cuiuſ
modi ope gloriatur Ouidius ad no
uenariũ numerũ ſe inſcendiſſe, &
Theophraſtꝰ ſcriptã reliquit plan
tam quandam ad ſeptuageſimum
coitum vires extendentẽ. Iam ve-
rò nullum lenocinium opportu-
num tempeſtiuumq́; magis, quàm
quod medicinæ prętextu peragi-
tur. nulię ſiquidem domus tã clau-
ſæ, nulla monaſteria tam recluſa,
nulli carcereres tam cuſtoditi, quę
non admittant, qũæue excludant
lenonem medicum: è quibus, teſte
Plinio, etiam in principum domi-
bus adulteria perpetrata ſunt, vt
Eudemi in Liuia Druſi, & Vectij
Valẽtij in Meſſalina Claudij. Et ne
quis philoſophos lenocinio inuti-
les putet, ipſe Cyrenaicorũ magi-
ſter prohibet Ariſtippus, cui quũ
eſſet apud Thaidem nobile ſcortũ

fre-

frequẽs cũ alijs riualib. cõsuetudo, gloriabatur quòd ipse haberet Thaidem, quũ alii à Thaide haberentur, quumque illi sua bona perderent, ipse gratis luxuriaretur. Sic meretrix philosophũ illũ habuit pro lenone, cuius exemplo & auctoritate omnem iuuentutem ad se traheret: nec satis fuit Aristippo, sese meretrici lenonem exhibere sed etiã docere publicè libidines cœpit illasque de lupanari in scholas trãstulit. Reliquum nunc & mechanicæ artes perplures lenocinio-rum vicem obtinent, inter quas Phrygia artificia, nendi, texendi, suendi, cæteraque muliebria exercitia principatum tenent: quorum prætextu lenæ dũ linũ, filũ, vittas, tiaras, corollia, cestes, loculos, chirothecas circũferunt, ex iuuenculis olim meretricib. iã vetulę mercatrices effectæ, pathicas puellas his rebus facilè allectant, & colloquendi opportunitatem capiunt

quibus tum adsunt subsidio lotrices, quibus permissum est domos liberè ingredi, & filias ancillulasq; absentibus matribus ad lintea abducere: absunt etiam mendicæ quæ eleemosynarum pietate obseruant ianuas, deferunt referuntque plena lenociniorum & nuncia & literas,

Et ferunt ad nuptam dona quę mittit adulter.

Proinde etiã & virilia nobiliũ exercitia lenociniis accommoda sunt, vt equitia, quę torneamenta vulgò vocant, ludiq́ue militares, quorum astu Romulus olim rapuit Sabinas. Iamq; etiã venatio ô quoties in syluarum latebris nobilium potentũq́ue adulteria conciliauit. Lusit hoc pulchrè Virgilius in Aenea & Didone, à venandi opportunitate de lapsu comitum occasione capta. Ipse etiam Iupiter vsus est lenonibus pastoribus. Proinde

&

& nautæ quid conferant lenociniis, ipsæ Venetiæ testabũtur, quin etiam lautæ coquinarum epulæ oppiparaque conuiuia lenociniorum vicem tenent, vt eleganter in suis Aeneadibus expressit Virgilius:

Postquam prima quies epulis, mẽsæque remotæ.
Crateras magnos statuunt, & vina coronant,
Hic regina grauem gemmis auroque poposcit,
Impleuitque mero pateram, celebrate fauentes,
Dixit, & immensum laticum libauit humorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore,
Tum Bicię dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro
Post alii proceres Tyrii, Troesque sequuntur,

Nec

Nec non & vano noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem.

Sunt adhuc, quæ prætereo, permulta lenociniorum artificia, sed hæc omnia vincit aurum: quo si alchimistæ nobis, vt pollicentur, satisfacere possent, ipsi profectò lenonum futuri sunt omnium inuictissimi. potentissimũ enim lenocinĩ in auro atque pecunia est.

Scilicet vxorem cum dote, fidemque & amicos.
Et genus & formam regina pecunia donat.

Auro placatur zelotypus maritus, auro mollitur inexorabilis rualis, auro accuratissimi vincũtur custodes, auro quæq; ianua panditur, auro omnis thalamus conscẽditur, auro vectes & saxa & insolubilia matrimonij vincula frangũtur. Quid mirum, quòd auro virgines puellæ, matronæ, viduæ, vesta

les

les veneunt, si auro Christus ipse venditur? Deniq; hac lenociniorum duce plurimi ab infima sorte ad summum propè nobilitatis gradum conscenderunt. Prostituit hic vxorem, factus est senator: prostituit ille filiam, creatꝰ est comes: hic aliam quamuis matronam in adulteri principis sollicitauit amplexum, moxamplo stipendio dignus, fit regius cubicularius: alij ob desponsata Regia scorta spectabiles facti sunt, publicisque muneribus præfecti, eisdem artibus ab Cardinalibus & Pontificibus multi multa perpinguia venantur beneficia, nec est via vlla cõpendiosior. Quantum autem lenocinijs ipsis conducat religio, ipsa Paulinę castissimæ inflexibilisq, matronæ historia ab Aegesippo descripta testatur, quam Iudis sacerdotes cuidam equestris ordinis adolescenti pro Anube Deo prostituerunt. Quid etiam in istis posset auricula

ris

ris noſtra confeſsio, ipſa Tripartita indicat hiſtoria: nec deſunt mihi, ſi referre velim, cognita recentia exempla. Habent enim ſacerdotes, monachi, fraterculi, moniales, & quas vocant ſorores ſpecialem lenociniorum prærogatiuam, quum illis religionis prætextu libe rum ſit quocunque peruolare, & quibuſcunque quantũ & quoties libet, ſub ſpecie viſitationis & con ſolationis, aut confeſsionis ſecretò ſine teſtibus loqui, tam piè perſonata ſunt illorum lenocinia, & ſunt ex illis quibus pecuniam teti giſſe piaculum eſt, & nihil illos mouent verba Pauli dicentis: Bonum eſt mulierem non tangere, quas illi non rarò impudicis contrectant manibus, & clanculum confluunt ad lupanaria, ſtuprant ſacras virgines, vitiãt viduas, & hoſpitũ ſuorũ adulterantes vxores, nonnunquá etiam quod ego ſcio & vidi, Iliaci prædonis inſtar abducunt, & Pla

toni-

tonica lege cõpopularib. ſuis communes proſtituunt, & quarum animas lucrari debẽt Deo, illarum corpora ſacrificant diabolo: aliaq; his multo ſceleratiora, & quæ nefas eſt eloqui, inſana libidine perpetrãt, interim caſtitatis voto abũdè ſatisfaciẽtes, ſi libidinẽ, ſi luxuriã, ſi fornicationem, ſi adulteria, ſi inceſteum verbis acerrimè inceſſent deteſtenturque, & de virtute locuti clunes agitent. Sed & flagitioſiſsimi lenones, ſceleſtiſsimæq; lenę ſępe ſub illis religionũ pellib. deliteſcunt. Tales habẽt aulicę dominæ plerunq; ſacrorum ſuorum myſtas, & aulicarum nuptiarum ſcortationũque conſultores. Extabat olim Romę in templo Veneris duabus tabulis exſculptum ſenatuſconſultũ, & lex futuaria ſcortatoribus & lenonibus admodum fauorabilis, quã apud Petrum crinitũ in hæc verba latã legimus: In prima tabula continebantur Iura

vi-

visundi, consectandi, susurrandi, gestiundi, subtrudendi, salutandi, confabulandi, precandi, perpetuò interdiu futuarijs p e missa ex me sunto, ex ęde, foramine, horto, postico, impluuio cuncta hæc commoda nemini homini prohibento: consilia ferunto, fidem seruanto, auxilium operamue danto. In altera tabula erat: Sub noctu vota tractanto, percussa iuramenta lamento admiscento, solicitanto, verecundiam timoremq; amouento, tristitiam supprimunto, tempore, locoue obsecundanto, occasioni ne vnquam cedũto, internuncias epistolas succidunto: ijs spem, voluntatem, expectationé, necessitatem, misericordiam adfectanto, inferunto: fraude, vi, dolo, ostentatione attemperatè vtuntor, prudentiam, fatuitatẽ habento, tenento, gestanto: ex pathica quicquam sempiternè quasi stipem & pignꝰ capiunto, eius permisso aduehunto,

to, nouâ quęrunto, astu, pompaue grandia animem nobilem insectantor, notas, coniecturas tacitus nouanto. Erat etiá Lycurgo lata lex, si quis ętate proiectior ac nuptijs intempestiuior puellulam primæ pubis duxisset, huic integrum esset ex adolescentibus aliquem deligere, qui Venere potentior præcurrês feracem vterum generoso semine impleret, modò ipsũ quod natũ esset, mariti asserere tur. Erat & Solonis lex quæ similiter permittebat vxoribus, si mariti in rem Veneream ignauiores essent, ex necessarijs vnum aliquem sibi dispicere, quicũ colluctarentur, nec idcirco alienum dici quod nascereturMitto quòd sunt & cognoscũtur mulieres in hunc diem etiá ex nobiliorib. quæ quotannis externo semine grauidæ, notos filios maritis supponunt, rursusq; post partum redeunt ad alternam adulterorum facietatem, nequiores M.

Agrip-

Agrippæ Iulia, quæ nisi plena naui vectorem non recipiebat. Atque surrexit his temporibus ex Theologorum schola inuictus hęretico, qui has Lycurgi & Solonis leges assereret licere etiã in Ecclesia, M. Lutherus, quod vos ideo scire volo, ne putetis non etiam Theologos esse lenones Ipsa siquidẽ sacra bibliorum eloquia (si fas est dicere) lenociniorum stratagemata habent, in socru Ruth, & in Ionadab, quem vocat scriptura virum prudentẽ, atque in Achitophel potenti cõsiliario manifestum est. Quin & Abraham cùm esset illi vxor Sara pulchra & iuuenis, & peregrinarẽtur apud Aegyptios, ait illi: Noui quòd pulchra sis mulier, & cùm viderint te Aegyptij, dicẽt: vxor illi9 est, & interficiẽt me, & te reseruabunt. dic ergo obsecro quòd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuet anima mea ob gratiam tui, & ita tandẽ sublata est Sara in do-

domum Pharaonis, & Abrahá bene vsi sunt propter illã. Eodẽ stratagemate apud regem Palæstinorum Abimelech vsus est vtrisque regibus, sed diuersis temporibus cõiugem suã ad concubitum vsq; permittens. Fecit idem Abrahę filius Isaac, atq; ita etiam sanctorum exemplis ars lenociniorum illustrata est. Proinde à dijs abs herobus, à legislatorib. à philosophis, à sapientissimis viris & theologis, à principibus ipsisque religionis capitibus culta & cohonestata. Lenones fuerunt Pan Deus atque Mercurius, ipseque puer Cupido: leno fuit heros ille Vlysses, leno fuit legislator Lycurgus, & sapiẽs ille Solon, qui prius lupanaria ędificauit, & meretriculas, iuuentuti prostituit. Sed & recentioribus temporibus Sixtus Pontifex Maximus Romę nobile admodum lupanar extruxit. Imo fuit Imperator ille Heliogabal9, qui domi suæ mere-

meretricum cohortes aluit, amicisque & seruis exhibuit. Iam verò etiam reginarum cæterarumq; principum & dominarũ nonnunquam id curę est, atque regum matres nõnunquã filiorum suorum lenæ sunt. Neque præterea optimates magistratusq; id officij abhorrent, quippe lenones olim fuerunt Corinthij, Ephesii, Abydeni, Cyprii, Babylonii, & multi alii magistratus, qui in ciuitatibus suis lupanaria construunt fouẽtque, nõnihil ex meretricio quæstu etiam ęrario suo accumulantes emolumenti: quod quidem in Italia non rarum est, vbi etiam Romana scorta in singulas hebdommodas iuliũ pendent pontifici, qui census annuus nonnunquam viginti milia ducatos excedit, adeoque Ecclesię procerũ id munus est, vt vnà cum Ecclesiarum prouẽtibus etiam lenociniorum numerẽt mercedem. Sic enim ego illos supputãtes ali-

quan-

quando audiui: Habet, inquientes, ille duo beneficia, vnum curatum aureorum viginti, alterum priora tum ducatorũ quadraginta, & tres putanas in Burdello, quę reddunt singulis hebdomadibus iulios viginti. Iam verò nihilominus lenones sunt Episcopi illi & Officiales, qui censum pro concubinatu à sacerdotibus quotannis extorquẽt, idque tam palam, vt apud plebem ipsam in prouerbium abiret illa eorum concubinaria exactio siue lenociniũ, quo dicũt: Habeat vel non habeat, aureũ soluet pro concubina, & habeat si velit. Sed in regno auaritiæ nihil turpitudini adscribitur, quod lucrum pariat. Mitto tolerantiæ commentum, quo certa pecunia Episcopis soluta, absentis mariti vxor præter adulterii, vt dicunt, offensam alteri cohabitare permittitur: quæ omnia tã manifesta sunt atque frequentia, vt nescire cogamur, Episcoporũ

ne

ne impudentia, an plebis patientia hactenus fuerit ineptior: vt tandē opus fuerit Germanię principib9 inter cętera natiōis illius grauamina hęc quoque deferre, ex quibus quę hic silentio premuntur, elicere poteritis. Eiusmodi itaq; patronos habet ars Lenonia, quiąue tueantur artem meretriciam, cui in hūc vsq; diem prohdolor in Christiana Repub. locus est, & in ciuitatibus publica theatra, immunitates & stipendia concessa sunt, vnica illa cōtra diuinas leges atq; ipsum Dei verbum humana ratiuncula, siue potius lenonio cōmento militante, qua inquiunt, vt iuuentus egesto illic libidinis impetu, peiora conari desistat, Tolle, aiunt, è Republica meretrices, cūcta stupris, incestis, adulterijs permiscentur, nulla matrona integra remanebit, nulla vidua pudicitia incolumis persistet, vix virgines ac vestales inuiolatæ seruabuntur: hinc tan-

tandem impossibile esse concludunt, Reipub. tranquillitatem sine meretricibus posse consistere, sine quibus tamen populus Israel olim per tot secula continentissimè dura uit, sicut præcepit illis Deus: Nó erit meretrix neque scortator in filijs Israel. Atq; præterea hęc spurcitia olim etiam sub religionis specie Ecclesiam insilijt, ac Nicolaitarum hęresim propagauit, qui obvitádam zelotypiam vxores prostituebát, ac veluti platonica lege communes habendas docebant. Quicunque autem principes Iudices & magistratq lupanaria fouẽt, siue quouis modo permittũt, etiá licèt ipsi non scortentur, dicetur eis à Domino, quod ait psalmista: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionẽ tuá ponebas, hæc fecisti & tacui, existimasti iniquè quod ero tui similis, sed arguam te & statuam contra faciem tuam

DE

DE MENDICITATE
Cap. LXV.

PErtinet ad Rempublicá atque religionem etiam pauperum & ægrotantium rationem habere, ne quis delinquat propter paupertatem. & furetur, aut mendicando circumiens, contagioſæ peſtis calamitate ciues inficiat, aut fame pereat in opprobrium humanitatis. Quapropter pauperũ xenodochia publico ære inſigni pietate pluribus in locis inſtituta ſunt, & priuatis diuitum eleemoſynis indies locupletatata Publicè enim mendicare, & circumire ciuitates, ab initio ſemper vbique gentium omnium legibus prohibitum fuit. Nam in vetere lege Iudæis à Moyſe præceptum eſt: omnino egenus & mendicus non ſit inter vos. In lege etiam Romana de validis mendicantibus arctè ſtatuit Iuſtinianus Imperator, vt ſi quis

quis laborare potens, eleemosy nis se immisceat, captiuandus sit, & in seruitutem redigendus. In le ge autē euangelica præcepit Chri stus, quod supereſt dandum pau peribus, vt nullus mendicus neq; egenus in plebe remaneat, sed fiat æqualitas, sicut scribit Paulus Co rinthijs. inquiēs: Vestra abundan tia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestrę inopię sit supplemētum, & fiat æqualitas, sicut scriptum est. Qui multum ha buit non abundauit, & qui modi cum non minorauit. Et ad Ephe sios scribēs ait: Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus, quod bonum est, vt habeat vnde tribuat neces sitatem patienti. Idem & Thessa lonicenses iubet laborare manib. & operam dare vt abundet, tan quam decretum illis statuens, vt qui nolit operari non manducet: secus autem agentibus commu-

nionem fidelium præcipiens subtrahendam, atque in Epistola ad Timotheum condemnat eos, qui mendicitatis quęstum arbitrantur pietatem. Ipsa enim canonica pontificum decreta solis illis pauperibus erogandas eleemosynas decernũt, qui laborare non possunt: quoscunq; alios illas accipiẽtes, inter prædones, fures, latrones & sacrilegos connumerant. Ijs itaq; auctoribus docemur non tam paupertati condolendum, quàm mendicitatem ipsam detestandam. Artes verò quas pro explendo mendicitatis quæstu excogitauerunt, ab omnibus execrandæ sunt, dum malunt ante templorum fores in humanæ naturæ iniuriam, & contra diuinam legem lethale frigus, dentium stridores, vrentes æstus, ingentesque cruciatus, vt vix mortem ipsam excludant, spontanee perpeti, quàm in xenodochijs pauperum

stipe

stipe contenti degere, & malis suis mederi. Quodque magis execrandum est, inter hæc malorum tormenta insuper blasphemi, maledici, contumelioſi, temulenti, deierantes, nonnunquã autem simulatè orantes sacra omnia aut negligentes, aut contemnentes, ne christum quidem vlla veneratione colentes, vt spectãtibus non CHRISTI martyrum præ se ferant imaginem, sed infernalium manium damnatorumque repræsentent cruciatus. Et aliud mendicantium sceleſtiſsimum genus minimè miserandum, eorum videlicet, qui viſco, farina, cruore, tabe, super incruſtatis vulneribus, & super inductis stigmatibus sese totos vlceroſos cancerosque pingũt. Alii aliis cõfictis morbis, variis prestigiis, spectantibus se miserabiles mẽtiuntur. Sũt alii qui votorũ & peregrinationũ prætextu prouincias obambulant, labore ex in-

duſtria fugientes, ocioſa pauper-
tate oſtiatim mendicantes, atque
ij interim ne cum regibus qui-
dem vitam ſuam commutare ve-
lint, modò illis liberum eſt, quo
libet & velint, vagari, quodcun-
que collibitum eſt facere bello &
pace. Vbique tuti ab exactioni-
bus, à publicis oneribus, à ſerui-
tutibus, à cenſuris ciuilibus vndi-
que & vbique liberi, nec pro frau-
dibus, dolis, impoſturis, furtis, in-
iurijs in ius vocati, & velut dijs
ſacri ob omnibus inoffenſi: atque
tamen ex illorum ordine non mi-
nima naſcitur pernicies, ingen-
tiaque prodeunt facinora, dum
prætextu mendicitatis ciuitatum
& prouinciarum explorant ſe-
creta, fraudibus & dolis exercita-
ti hoſtiles deferunt referuntque
tabellas, ad omnium proditionũ
genera inſtructi. Ab ijs nonnun-
quam incenſę vrbes, quod proxi-
mis annis ipſa Gallia atque vrbs

Tri-

Trirensis experta est, nonnunquã ab ijs corruptæ aquæ, infectæ fruges, venenata pabula, & seminata peste ingens hominum strages facta est. His adnumerandę sunt gentes illæ, quas Cynganos vocant. Quas aliena iuuant, proprijs habitare molestum.

Fastidit patrium non nisi nosse solum.

Hi enim ex regione inter Aegyptam Aethiopiam oriundi, de genere Chus filij Cham, filij Noë, adhuc vsque progenitoris maledictionem luunt, per vniuersum orbem vagantes, in triuijs tentoria erigentes, latrocinijs & furtis, deceptionibus & permutationibus, atque ex chiromantica diuinatione oblectantes homines, ijs fraudibus victum mendicant. Volaterranus hos vxios esse putat perfidis populos secutus Scilatem, qui Cõstantinopolitanam scripsit

hiſtoriam. Hic enim dicit Michaëlem Traulum Imperatorem ex vaticinio Vxiorum adeptũ fuiſſe imperium, quę ſecta per Meſiam atq; Europam ſparſa, paſſim omnibꝰ futura prædicebat. Polydorus Aſſyrios atq; cilices affirmat. Iam verò hæc validæ mendicitatis lues non inter prophanos modò & extremę fecis viliſsimos nebulones hoſpitatur: ſed etiam in religioné, in monachorum & ſacerdotum vſq; ordinem conſcendit. Hinc ille fratrũ monachorum, cęterorũq; quæſtuariorum ſectæ natæ ſunt: é quorum numero ſunt, qui maleſicia religionis ſpecie diuorum, vt aiunt, reliquias circunferẽtes, aut inſidioſa ſanctitate pietatemprę ſe ferentes, cum multis confictorum miraculorum appendicib. diuorũ iras cõminantes, indulgẽtias & diſpenſationes pollicentes, eleemoſynarũ prętextu venãtur diuitias: atq; prouincias peragrantes, ab incautis

cautis rusticis ac credulis mulierculis superstitiosè attonitis, ouẽ, agnum, hœdũ, vitulum, porcum, pernas, vinum, oleum, butyrũ, triticum, legumina, lac, caseos, oua, gallinas, lanam, linum, etiam pecunias corradẽtes, vniuersam regionem deprædantur, ac onusti opimis spoliis domum redeunt: vbi à suis magno omnium applausu accipiuntur, collaudãturque, quòd simplici plebi pijsque mulierculis tam religiosè imposuerunt, putantque per huiusmodi mendicitatis artes, insignesque fraudũ versutias sese Deo atq; Sanctis gratissima offerre sacrificia, quoties ad istum modũ onusti prẽda, magno populi dispẽdio ac Reip. detrimento, sui famulitij satellites saginent ociosos, ipsa misericordiæ opera, quorum prætextu tanta donaria illis conferuntur, penitus posthabentes, negligentes, & cõtemnentes. Lusit olim istorum fabulam

Appuleius in suo Asino de sacerdo tibus deæ Syriæ. Accedunt istis multę admodum ex fratrum men dicátium atque beguardorum, vt vocant, numero, qui post tergata professionum suarum sanctimonia, quęstum cum pietate commu tarunt, ac si non in aliud religionẽ professi sint, quàm vt sub paupertati titulo liceat illis impuden ti mendicitate quocunque peruolare, & perfricata fronte importuna hypocrisi vndiq, pecunias corradere, nullius quæstus pudere, ac insigni sycophantia in choro, in foro, in templis, in scholis, in aulis, in palłatiis, in publicis & priuatis colloquiis, in cõfessionibus, in disputationibus, in concionibus, è subselliis, è cathedris, è pulpitis, è suggestis impudẽtiæ suę arcibus spargere in vulgus, indulgentiarum merces vendere, sua benefacta emetiri cæremoniis, & à mercatoribus, vsuariis, & à nobilibus prę-

do-

donibus malè partorum prædam extorquere, & à crassis ciuibus & indocta plebecula superstitiosisque aniculis emungere nummos, ac serpentis exemplo stultas mujerculas primum allicere, & per illas sibi aditum parare ad fallendos viros. Qui cũ affectata vestiũ vilitate ostentant paupertatem, & vociferando prædicant spernendam pecuniam, fugiendã ambitionem, ipsi nihil magis curant, quàm vt plurimum pecuniæ possideant: atque ob id causæ mare & aridam circumeunt, omnium domos & tabernas penetrant, nec sacra nisi pro mercede ministrant, eleemosynas quàm tyrannicè tanquam tributum postulant, omniũ negociis se miscent, compingunt matrimonia malè cohærentia, interuertunt testamenta, componunt lites, reformant sacras virgines, sed omnia hæc nisi suo compendio. Hæ sunt artes fratricæ,

quibus plerique illorum in tantam excreuerunt auctoritatem, vt timori sint ipsis pontificibus & monarchis, diuitiasque plus quàm mercatorum opes, ac principum thesauros congesserint, & multis aureorum millibus mitras & capella mercati sint, summumque pontificatum ingentibus pecuniis ambierunt. Tanta potest religiosa illa mendicitas. Cumque ingentes possideat pecunias, plerique interim seueram paupertatem plus quàm euangelicam perfectionem præstare ostentant, si hanc nudis digitis non contrectant, sed habeant suum Iudam, qui illorum gerat loculos, & rationes reddat, interea dicere ausi sicut Petrus & Ioannes: Argẽtum & aurum non est mecum. Quod si hic non mentirentur, & fidelis sit sermo illorũ, haberent etiam ius dicendi, Surge & ambula, et cũ Beato patre Francisco à pecunijs pariter & vitiis nuda-

nudato, imperarent creaturis, & obedirent, aquâ in vinum conuerterent, flumina siccis pedibus transirent, rabidos lupos mansuetos redderent, hirundinum garritum solo iussu compescerent, falconem veluti gallum excitatorem reddderent, igni præciperent, & multa eius generis, quæ sanctus ille vir miracula fecit, peragerêt: sed non faciunt hæc omnes qui dicunt, Domine, Domine, & velut Stoicæ similiæ exterius duntaxat Christi & Francisci insignia & vestes gerunt, voluntatem autem & testamentũ illorum non obseruant. Scripserunt contra istos quondã Richardus Episcopus Armachanus, & Malleolus præpositus Tigurinus, & Ioannes Episcopus Camotensis, & plerique alij commeminerunt, quorũ scripta tolerabiliora forent, si nõ adeò religiosam hanc mendicitatem, sed illius abusum duntaxat damnassent. Ve-

rùm de his modò satis, vt ad vlteriora progrediamur.

DE OECONOMIA IN genere. Cap. LXVI.

SVB Reipublicæ administratione continetur etiam Oeconomia, quę est domestica quędã Respublica, & non nisi monarchia quædam priuata: sed eius species plures sunt. Nam quædã regia siue aulica, alia satrapica siue castrẽsis, rursus alia publica seu communitatis, siue conuentualis, siue sodalitia: alia denique priuata, seu monastica. Hæc itaque docet, quo modo vxor, filii, affines, familia, serui regẽdi sunt, quomodo tuenda ampliandaque domus ac possessio, vnde sumptus corradendi. Præterea quidquid est astutiæ de prouentibus, moneta, portoriis, vectigalibus, decimis, vsuris, fœnoribus, monopoliis, & quidquid est com-

comparandi lucri & vectigalis nouarum artium & inuentionum. Insuper quoque de sodalitijs, foederibus, litibus & bello, quæ omnia cùm nec modum habeant nec regulam, idcirco anomala dicuntur. Quocirca œconomia nec verè ars neque scientia dici potest, sed quædam ex hominum opinione, vsu, consuetudine prudentia, seu etiam astutia constans domestica disciplina, ad quam sellularia opificia & artes mechanicę omnes referuntur, quæ in lino, lana, ligno, ferro, ære, metallisque varijs consistunt: seruiles quoque obsecundationes, tonsorum, balneatorum, cauponum, & multiplices victus acquirendi, & rem priuatam amplificandi formæ, quæ nec ad præsidendi pertinent auctoritatem, nec reipublicæ regimini vsquequaque conducunt, nihil diuinum, nihil liberale, nihil heroicum speculantes: quorum tantæ sunt, vt nu-

mera-

merari nequeât, & hæ omnes quidem seruiles sunt. Plerę̨q; etiã sunt cognatis quibusdã vitijs infames, sicut aurigæ, nautę, caupones, loquacitatis vitio infames habẽtur, quia fabulis gaudent, & rumores spargunt similiter & tonsores & balneatores & pastores. nã hos Midę fabula, & Syllæ Athenas obsidẽtis historia: illos verò Batti fabella infames fecerunt. Sic etiã cantores, & tibicines & citharœdi homines mercenarij, qui in conuiuijs in aliorum oblectamentum musica instrumenta sonãt, infames sunt: sed nautarum vita omnium cũ infelicissima, tũm pessima, quorum habitatio instar carceris est, victꝰ asperrimus, idem & immundissimus, indumenta spurca, & rerum omnium incommoditas, perpetuum exilium, semper vagi, profugi, nescij quietis. semper ventorum rabie, incertis vndis iactati, æstus, frigoris, imbrium, fulgurum, famis, sitis,

fitis, squaloris semper obnoxii. Accedunt ad hæc Scyllæ, Charybdes, Syrtes, Symplegades, tot infesta maris pericula: præterea tempestates quibus nihil est tristius & horribilius, & cum his omnibus pulribusque alijs malis continuum vitæ discrimen. Cumque nautæ hominum omnium sint infeliciſsimi, sunt simul omnium mortalium sceleſtiſsimi. Sed inter tam multas mechanicas artes, mercatura, agricultura, militia, medicina, cauſidica potiores partes tenent, de quibus inferius per ordinem dicemus. Sed prius generalia œconomiæ fundamenta discutiamus.

DE OECONOMIA PRIVATA.

Ca. LXVII.

PRiuatæ œconomiæ vis tota in coniugio est: vnde merell9

Numi-

Numidicus censor, cùm populum Romanum ad matrimonia capessenda adhortatur: Si sine vxore possemus Quirites esse, inquit, omnes ea molestia careremus, sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cũ illis satis cõmode, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius, quàm breui voluptati consulendum est: hæc ita narrat Aulus Gellius. Neque enim sine vxore vlla domus aut res domestica stare & durare potest: nam sine vxore nec extendi progenies, nec vocari hæres, nec appellari hæreditas, nec esse propinqui, nec familia, nec paterfamilias dici potest. Qui vxorem non habet, domum non habet, quia domum non figit: & si habet, moratur in ea vt peregrinus in diuersorio. Qui vxorem non habet, etiam si locupletissimus sit, nihil ferè habet quod suum sit, quia non habet cui possit relinquere, nec cui confi-

confidere, omnia sua patent in-
dijs, furantur illum serui, defraudant socii, contemnunt vicini, negligunt amici, insidiantur propinqui filij, si quos habet extra coniugium, sunt sibi ignominiæ, neque nomen familiæ neque auorum imagines, neque opes suas vetantibus legibus illis relinquere potest: ipsisque simul ab omnibus publicis muneribus, & honoribus legislatorum omnium consensu propulsus est. Neque enim dignus est regere ciuitatem, qui domum regere non didicit: nec gubernare rempublicam, qui rem priuatam & familiarem nunquam cognouit, quæ est illius verissimum exemplar & imago. Nouerant hoc Græci, qui, cùm Philippus Macedo dissidentes eos pacare studeret, & Leontinus Gorgias de Græcorum concordia librum recitasset in olympia, vtrunque respuentes irriserunt,
quod

quòd alios concordare ſtuderent, qui domi ſuæ nullam concordiam ſtabilire poſſent. Erant enim Philippo domi diſſidentes filius & vxor, Gorgiæ autem vxor & ancilla: quorum ergo præſumpta prudentia & auctoritas domeſticas rixas ſedare non poterat, nec illos exteriores diſcordias ſapienter poſſe componere putabant. Qui igitur ciuitati & reipublicæ præficitur, niſi ſeipſum & domum ſuam remque priuatam regere ſciat, is planè inauſpicatò præficitur. Denique hic vnicus vitæ ſtatus eſt, in quo homo in diligenda vxore, educandis liberis & regenda familia, tuendis rebus, gubernando domicilio, propaganda progenie, vitam omnium ducere poteſt feliciſsimam: in qua ſi quid cadat oneris & laboris (cadunt autem permulta, neque verò vita vlla ſua cruce caret) certè hoc vnicum illud onus

leue,

leue,& ſuaue iugum eſt, & quod in coniugio eſt, ſi modo tales ſint coniuges,quos non auaritia, non faſtus,non dolus, non fraus, non inſana libido, ſed Deus ipſe coniunxerit, vt relinquat homo patrem & matrem & filios & fratres & affines, & adhæreat vxori ſuæ,cuius amor omnium aliorum dilectionem ſuperare debet. Sic Hector videns excidendum Ilium,non parentum, non fratrum, non ſui ipſius ſolicitudine angitur,quantum charæ coniugis. Sic enim apud Homerum.

Haud equidem dubito quin concidet Ilium ingens,
Et Priamus Priamique ruet plebs armipotentis.
Sed mihi nec populi, nec charę cura parentis,
Nec Priami regis tantum præcordia rodit,

Nec

Nec Germanorum, quamuis multique probique
Enſe ſub hoſtili vitas in puluere ponent,
Quàm me cura tui coniunx clariſſima vexat.

Fateor peruerſas nuptias multas comitari anguſtias & mala multa, cuiuſmodi quondam recenſuit Socrates perpetuã ſolicitudinem, excruciantem zelotypiam, contextũ querularum, exprobrationem dotis, graue affinium ſupercilium, alieni matrimonij ſubcenſuras, varios ſumptus, incertos liberorum euentus, nonnunquam orbitates, interitum generis, hæres alienus, & dolores innumeri: adde nullam vxoris electionem, ſed qualiſcunque euenerit habenda, ſi iucunda, ſi ſtulta, ſi peruerſis moribus, ſi ſuperba, ſi ſordida, ſi deformis, ſi impudica, quodcunque vitij eſt, poſt nuptias diſcitur, vix aut nunquã emendatur.

datur. Sunt peruersarum nuptiarum non modica exempla. Marcus Cato Censorius, ętate sua Romanę Reipublicæ facilè princeps, & qui bello & pace parem vix habebat, cùm iam senex Salomoni cuiusdam viri inopis & obscuri filiam adolescentulá duxisset vxorem, illa sese contumaciter gerente, domi suę omni auctoritate carebat. Tiberius cum Iuliâ Augusti filiâ manifestis adulteriis infamẽ haberet vxorẽ, eamq; nec castigare, nec deferre, nec repudiare, nec retinere auderet, Rhodũ secedere nõ sine famæ ignominia vitæq; periculo coactus est. M. Antonius philosophus, Antonii Pii filia Faustina in vxorem accepta, adulterâ illâ, ne de dote & imperio in certamen veniret, retinere coactus est. Verùm omnia hęc incommoda non tam vxorum, quàm maritorum culpa proueniunt: nullis enim nisi malis maritis vxor contingе

ingere solet improba. De ijs ita philosophatus est Varro apud Gellium, inquiens: Vxoris vitium aut tollendum, aut ferendum est. qui enim tollit, hanc sibi commodiorem præstat: qui fert, ipse sese meliorem reddit. De iis in declamatione nostra de sacramento matrimonii latius locuti sumus. Iam verò & filiorum educatio non omnibus rectè cedit, quorum plurimi maleaudientes vel rebelles parentibus, alij eisdem etiam infesti, alij insani & vecordes contingunt, & alij hebetes & crassi, alij per vitiorum omnium præcipitia vitam agunt, patrimonia luxu, libidine, & alea euertunt, alij parricidę, quales Alcmeon & Orestes & P. Malleoles, qui matrem occiderunt. Ipse etiam Artaxerxes Minemon susceptis centum & quindecim liberis, magnam eorum partem illi insidias parantem de medio sustulit. Quocirca non nesci-

re

re Euripides ait,& noster Bernardus assumpsit, bonum esse incognitũ carere liberis. Ipse etiam Augustus felicissimo Imperator, propter filiam & neptem sępè Homericum versiculum exclamare coactus est.

Coniuge non ducta, natis vtinam caruissem.

De seruis etiã ait Euripides: domi nullus maior inimicus, neq. peior, neque inutilior seruo. Et Democritus inquit: Seruo necessaria possessio, non autẽ dulcis. Et Petrarcha alicubi scripsit: Sciebã me cũ camb. viuere, verum venatorem esse nisi admonitus nesciebam. Serui vocãtur canes, sunt mordaces, sunt gulosi, sunt latratores. Plauto in Pseudolo naturas eorum ijs verbis exprimit: Plagigera hominum genera, quorum haud quicquã in mẽtem venit vt recte faciant: at cũ est occasio data, tene, clepe, rape, hoc est eorum opus, vt malis lupos

apud

apud oues relinquere, quàm hos domi custodes. Et Lucianus in Palinuro ait: Seruorum in dominos semper prompta maledicta, furta, impositiones, fuga, arrogãtia, negligentia, temulẽtia, edacitas, somnolentia, tarditas, ignauia. Hinc iactatum illud prouerbium, Toti dem domi hostes habemus, quot seruos. Sed nos illos sæpe non tam habemus hostes quàm facimus, cũ in illos superbi, auari, contumelioſi, & crudeles sumus, & domi induimus animos tyrannorum, & non quantum decet, sed quantum lubet, exercere volumus in seruos. De iis ita loquitur Strophilo seruus apud Plautũ in Aulularia:

Iniquè Domini seruis vtuntur suis:
Et serui iniquè dominis nunc parent suis.
Sic fit neutrobi, quod fieri iustum foret.

Penum

Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clauibus parci ſenes,
Quæ vix legitimis concedi natis volunt
Serui furaces, verſipelles, callidi,
Occluſa ſibi mille clauibus reſerant,
Furtimque raptant, conſumunt, liguriunt,
Centena nunquam furta dicturi cruce.
Sic ſeruitutem vlciſcuntur ſerui mali,
Riſu, iociſque, ſic ergo concludo quod
Seruos fideles liberalitas facit.

Multæ reſpublicæ olim à ſeruis ingentia mala perpeſſę ſunt: teſtantur id ſeruilia bella à multis hiſtoricis deſcripta, ſed Volſinenſium vrbis opulenta diuitijs, ornata moribus & legibus, olim ſeruorum inſolentię miſerabile ſpectaculũ prę-

buit: quæ vbi cũ seruis laxis frenis familiarius egissent, nonnunquá etiá consilijs admissent, tandẽ senatorũ admodũ pauci ordinẽ intrare ausi, mox vniuersam rempublicam occupauerunt, testamenta ad arbitrium suũ scribi iusserũt, conuiuia cætusq; ingenuorũ fieri vetabant, ducebant filias dominorum, postremo lege sanxerunt, vt stupra sua in viduis pariter atq; innuptis impunita essent, ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatẽ nõ antè aliquis de numero ipsorũ delibasset. Sic opulentissima vrbs, & quæ caput Carię habebatur, ob niniam in seruos indulgentiam clementiamq; in profundum iniuriarum & turpitudinis decidit. Sublata enim seruorum disciplina, (vt inquit Aristoteles in politicis orationib.) domini in insidias veniũt, sicut Hilotæ in Lacedæmonios, & prænestæ in Thessalos fecerunt.

DE

DE OECONOMIA REgia siue aulica. Ca. LXVIII.

SVper est vt regiam œconomiam, hoc est, aulicam, breuiter explicemus. Est igitur reuerà aula nil aliud, quàm collegium gigantum, hoc est, nobilium famosorũ, que nebulonum conuentus, theatrumque pessimorum satellitum, morum corruptissimorum schola, & execrabilium scelerum asylum, vbi superbia, fastus, tumor, rapacitas, libido, luxo, liuor, ira, crapula, violẽtia, impietas, malitia, perfidia, dolus, malignitas, credulitas, & quæcunque vlpiam sunt vitia, mores que corruptissimi habitant, imperant atque regnant. Vbi stupra, raptus, adulteria, fornicationes principum & nobilium ludi sunt, vbi etiã principum regumq; matres nõnunquam filiorum lenæ

sunt, ibi scelerum omnium procellæ, virtutumque omnium inenarrabile naufragium: probus quisque illic opprimitur, pessimus quisque prouehitur, simplices irridentur, iusti persequuntur, audaces & impudentes eriguntur. Soli illic prosperantur adulatores, susurrones, detractores, renunciatores, calumniatores, sycophantæ, pseudoli, famicidę, supplantatores, inuentores malorum, cæterique tempestatũ populi, quibus peruersissima quæque facinora in professo sunt: quorum vita omnis turpissima, quicquid vspiá est teterrimarũ belluarũ peruersitatis, tota hæc & omnis in aulicum gregem quasi in vnũ corpus confluxisse videtur. Illic ferocitas leonis, sęuitia tigridis, truculentia vrsi, temeritas apri, superbia equi, rapacitas lupi, obstinatio vituli, fraudulentia vulpis, versutia chamæleontis, varietas pardi, morda citas canis, desperatio elephantis,

vindi

vindicta cameli, timiditas leporis, petulãtia hirci, immunditia suis, fatuitas pecudis, stoliditas asini, sercurrilitas simiæ: ibi furentes Cẽtauri, ibi pernicioſæ Chimeræ, ibi insanientes Satyri, ibi fœdæ Harpiæ, ibi improbæ Syrenes, Scyllæque biformes: ibi horrsdi ſtruthiones, ibi voraces griphi, auidique dracones, & quicquid fataliũ monſtrorũ, infelicisque portenti vſpiam ſtupet coacta natura, illic habitat atque viſitur: ibi omne virtutum genus ſuos patitur carnifices atque tyrannos, in ſumma aut neqitiæ, malitiæ, impietati inſiſtendum, aut aula cedendum. Non impune licèt, niſi cum fatis: exeat aula, qui vult eſſe pius. Nullum ciuitatibꝰ exitialius malum contingere poteſt, quàm potentis aula. Hæc vbi mouetur, tanquam Cometes malorum omnium prænuncia, ac veluti contagioſiſsima peſtis, quocunque applicat, pernicioſiſsimam

cladem secũ fert vndecunque migrat, insanabilia, veluti eorum quos rabiuds canis momorderit, relinquit veneni sui vestigia. Comitatur illam perpetua rerum caritas, dum quisque ex ea lucrum captare nititur ex aucto rerum precio, quod nonnunquam postea remitti potest magno detrimento: comitatur & luxus cibariorũ, quo introductis peregrinis epulis populus ipse patrios cibos fastidire incipit, passimq; popinæ & gulę indulgẽs, res suas turpiter absumit: comitatur & fastus, quẽ dum ciues mulieresq; imitari conãtur, & singulæ domus dispositionis suæ formulam habitumq; inde mutuãtur, omnia sua in vestes & pompã profundunt. Sequitur corruptio morũ, introductis pessimis vitijs pernitiosissimum malum. Iam verò recedens è ciuitate, aula, heu quàm fœdam caudam post se relinquit? hi adulteras comperiunt vxo

res,

res, illi stupratas & vel abductas in scorta filias: alij supplãtatos filios, alij corruptos seruos & ancillas. Quid multa? fit luctus ingens, tota que ciuitatis facies immutata facta est, sicut facies meretricis. Scio ego famosam Galliarum vrbem ea causa sic peruersam, vt vix aliqua ibi matrona pudica sit, vix filię nubant virgines: quin & palatinum scortum fuisse summi honoris est, & seniores matronæ iuniorum lenæ sunt, eaque turpitudo sic inualuit, vt nullus verecundiæ locus sit, vix maritis ipsis vxorum meretricatus curę est, modò (vt ait Abraham ad Saram) bene sit illis propter illas, viuantque ob gratiam illarum.

DE NOBILIB. AVLI.

Cap. LXIX.

AVlicus populus duplex est: Priores partes tenent satrapæ, nobiles, inquâ, illi Thrasones, qui fastu, luxu, & pompa insaniũt, induti purpura & byssо & opere plumario, vestibus deauratis, & circũdatis varietate; quibus

Scorta placent, fracti curuiq́ue è corpore gressus,
Et laxi crines, & tot noua nomina vestis.

Hi vires omnes in Venerem frangunt, tum illorum ingeniosa gula est & gustus, per omnia cultũ quæ runt, epulantur splẽdidè, dant & accipiunt conuiuia. Inter hos laudi plerumq́ue ducitur si illustri cõuiuio sic sua prodigant semel, vt trimestri toto impudenter mensas circũeant alienas. Ad istos vndiq; cõfluũt citharœdi, tibicines, & omne genꝰ musicorũ mimi, histriones para

parasitæ, meretrices, lenones, saltatores, venatores & huiusmodi prodigia hominum, aluntúrque canes, equi, lupi cernarij, accipitres, cęteræque armatæ aues, simię, psittaci & si qua monstra sunt ac naturę probra, vrsi, leones, leopardi, tigrides. Colloquia eorum meræ nugæ & ociosę fabulæ: obtrectãt, deferunt, effutiunt, mentiuntur, ac vera falsis commiscent. Hi de canibus, de venationib. de syluę ambitu, de ambage lustrorum, de venationum euentibus multa fabulantur: illi de equis, de militia, & fortiter ab se factis multa mentiuntur. Si adest qui inuideat æmulus, aliorum sermones obstrependo discutiat, alias inserendo nugas, & quæ sibi putet laudem gignere, sua insolenter narrabit faci nora: hunc alius sępè de mendacio conuincit, & variis scommatibus explodit. vnde totum tunc conuiuii colloquiũ frequenter in iram

contumeliâ desinit, & veluti in cẽ taurorũ conuiuijs Bacchi munera nõ cessant, donec eliciât sanguinẽ. Ita & in istorũ aulicorum cõuiuijs sæpè hospites redeunt cum cicatricibus, ac si hoc edicto inuitati videantur.

Quod superest, lęti benè gestis corpora rebus
Procurate viri & pugnam sperate parati.

Proinde verò summa istorũ disciplina est obseruare tempora principum, ne quid intempestiuè illis ingerant, eaq; nõ ab astris, à cœlis, ab ephimeridibus captant, sed à vino, à prandio, à conuiuio, à venatione, ab accubitu, dũ exhilaratus est princeps, & voluptatis alicuius compos, & quos alios molles adit9 & tempora norunt: tunc nouitatũ re musculos primũ aspergũt, quibus principis aures titillãt, deinde paulatim ad ea quæ cupiunt procedunt, inscriptum à natura sua habẽ-

bentes Aristotelis ad Calisthinem discipulum consilium, hortantis vt cum rege aut nunquam aut iucundissimè loqueretur, quo scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermõe esset acceptior. Quod si tunc cuiuis illorum princeps aut rex arriserit & ad id quod loquitur annuat, si gratum quid quod dixerit aut fecerit, si illi quid crediderit, si illum confabulatorẽ secum secretò abduxerit, atq; alijs non ita: profectò magnus tũc erit ille in oculis hominum, iamq; omnia audebit, mordebit omnes, ridebit omnes, flocci pẽdet omnes, detrahet clanculum, reprehendet palam, loquetur grandia, nihil nõ audebit quo metuant eum omnes. cõculcabit inferiores, contemnet pares, superiores dedignabitur, honorem & adorationem exiget etiam per contumeliam, totus tumet & effertur & potentiam adfectat.

Libertas ſcelerum eſt virtus, & ſumma poteſtas.

Quiſquis illi non arridet, non applaudit, etiam cùm malefecerit, illi co reus eſt: nã aut fortunæ eius inuidere, aut officio eius nõ deferre iudicabitur, neq; ij tunc ſolũ paribus inferioribusq́ue infeſti ſunt, ſed & principibus ipſis ſuis ſæpè pernicioſiſsimi, quibus ſe veritatis, prudentię, correptionis, & cõſiliorum imagine perditiſsimè adulantur, & in nefanda ſcelera ſæpiſsime impellunt: quẽadmodũ apud Lucanũ curio inſtigat cęſarẽ.

Quid tam lenta tuas tenuit potentia vires
Conquerimur, deeratne tibi fiducia noſtri?
Dum manet hic calidus ſpirantia corpora ſanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togã, regnũq; ſenatus?

Simi

Similes Alexander Magnus habuit instigatores, qui illum suapte natura insanientem, magis magisque in bella & cędes incenderent. Tales habuit & Roboam Salomonis filius consultores, tales habent & nostri seculi principes, qui morem gerentes illorum cupiditatibus, illis ad omne scelus parent, hortanturque, aut sic dissuadent, vt fortius impellat, dum rationes suas tam futiles & infirmas opponunt: vt sic se conuictos passi, credulorum principum confirment errorem, vtrobique sic decipientes vt non possint argui, sed de proditionis perfidia insuper gratiam mereantur. Tales hodie habet Gallorum rex Franciscus, ad mala consilia nimium promptus, qui illum contra Cæsarem in omnem perfidiam ac tyrannidem libenter impellerent, atque ij interim optimi habentur atque fideles. Hæc de nobilibus aulicis hactenus,

ctenus, quorum qui vnum offende rit, omnium cæterorum reus est.

DE PLEBEIS AVLICIS. Ca. LXX.

SVnt adhuc quidã plebei aulici, homines improbi animi, qui nulli in vita præesse sciunt, sed ipsi subiectione continua gaudent: ij circumeunt nobilium domos, illisque parasitantur, mensis viuentes alienis.

Et bona summa putant aliena viuere quadra.

Omnibus ideirco obsequũtur, omnibus adulantur, omnibus parasitãtur, & omnibus omnia fieri studẽt, plures quàm Protheus species mẽtientes atque in plures formas sese vertentes, quo potentiorum fauorem sibi concilient, conuiuarum sermones explorare studẽt vt habeãt quod renuncient: diffidentiũ autẽ secretos remusculos vulpina astu-

astutia inquirunt, eosdemq; nunc ad amicos, nũc ad inimicos perferunt, vtrisque se gratos præbentes dum sunt vtriq; perfidi, eoq; magis proditionib. idonei, quo ob imaginem simplicitatis minus habeantur suspecti. Quumque nullum facinus sceleratius habeatur quàm proditio, nullum tamẽ ad diuitias & dignitates in aula comparandas vtilius ac compendiosius, ipsisque aulicis, etiá regibus acceptum gratumq; magis: adhærent itaq; nobilium liminibus &c. Scire volũt secreta domus, atq; inde timeri.

Quòd si semel fuerint turpitudinis aut proditionis alicuius conscij, iam euaserunt, iam caput extulerunt. Nam charus erit Verri, qui Verrem tempore quouis, Accusare potest.

Iam familiaritas, imò necessitudo quædá nobiliorum contracta est, qua freti, ad ea quæ desiderant facilè accedunt. Primum itaque quæ-

quærunt vt in matricula aulicorũ inscribantur, idque illis vel sine stipendio satis est: siquidem sola inscriptio etiam absque solatio quæstuosa est, & suam prædam habet. deinde potentes quoscunque captare non diffidunt, quos tunc sollicitant blanditijs, instant obsequijs, & se muneribus ingerunt ratione consortij, aut alia quauis arte, & quæcunque ab alijs aut periculorum metu, aut laborum intollorantia, aut lucri penuria relinquuntur, isti auidissimè quærunt, vigilant dies & noctes, peregrinãtur, & susceptas ferunt, referuntque legationes & literas, labores immensos aggrediuntur & perferunt, & audent quid breuibus Gyaris & carcere dignum, donec ijs meritis aut scrinijs præficiantur, aut consignandi susciplantur officium, aut ęrarii custodiam obtineant, aut census varia ratiocinatione illis committantur. Iamque egres-

egressi laborum angustias, nullū obsequium eorum amplius gratui tum est, sed omnia deinceps ad precia venalia habent: & cum nouo honore mutatis moribus omnium quæ retro sunt obliti, in anteriora tendentes, priora sua contemnunt, vlteriora concupiscunt, auaritiaque contracti ad prædam strepitumque lucri omnia vertūt. fide parci, verborum prodigi, blandi pariter & insidiosi, sermone obscuri, & oraculorum instar ambigui, quidquid vident, quidquid audiunt, quidquid agitur: coniectant omnia in peiorem partem, sibi soli fidunt, se solos amant, sibi soli sapiunt, nullius fidei aut amicitiæ credunt, soliditatem nullam nisi lucri causa colunt, commodum proprium omnibus præferunt, amicos, hospites, propinquos, socios, quicunque lucrum non adferunt, tanquam steriles arbores despiciunt, pristinos sodales, si quis eorū occur-

occurrat, præterеunt, quasi ne norint quidē. Si quis illorum implorat opem, hunc verbis & promissis abundè pascunt, plusq; promittūt quàm præstant: si nihil attulerit, auxilio destituunt, & vel causa spoliant, grammaticam omnem venalem habent, virtutem omnem contemnunt, aliorum q̃ laudes diuersis sententijs frangunt, & post terga artificiosè cuilibet detrahūt, ipsi neminem sine exceptione laudāt, quemadmodum orator ille, Iuliū fortunatum, aiebat, fateor virum fortem, & quem constat strenuè egisse quamplurima: quo tamē pacto iudicium repetundarum apud iudices iustos euaserit, mirarer quidē si vis eloquij eius mihi esset incognita. Et alius:

Felix & nato, felix & coniuge Protheus
Et cui, si demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant.

præ-

Prætereaaulicis muneribꝰ vulturum instar semper inhiant, vndecunque venantur prædá, eamque quibus possunt, veluti Phineo obsoniũ, vel ipsis è faucibus, Harpyarum instar, præripiunt. Aemulorũ calamitatibus gaudent, nullius malo compatiuntur, nulli promissa se debere putant nisi pro sua libidine, nulli gratiam referunt, sed omnes pariter aut beneficio indignos iudicant, aut negligentia prætereunt, nonnullos odio compensant. Sed in odio gratiam fingunt & dissimulant iram, præter principem aut regem nullum alium obseruant aut verentur: sed ne hos quidem, nisi aut metu aut pro compendio. Cumque iam ad canos vsque in proditionibus, in fraudibus, in ęrumnis & laboribus versati, anxijs his sordibus ingentes opes sublimesque honores corripuerunt, tunc fasque nefasque confundunt, vt filios non tam honoris

quàm

quàm rapinæ simul & iniquitatis relinquant hæredes.

Sic serpente ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta,
Illi eadem sumptis quærunt animalia pennis,
Sic leporem aut capream famulæ Iouis, & generosæ
In saltu venantur aues, tunc præda cubili
Ponitur inde autem cùm se matura leuabit
Progenies, stimulante fame festinat ad illam,
Quam primum rupto prædam gustauerit ouo.

Atque hæ sunt plebeiorum aulicorum artes, quibus multi ex infima hominum fece ad amplissima munera, quęsturas, dignitatesque conscendunt, proximamque apud principes & reges suos auctoritatem adepti, diuitias principibus pares conflant, regiaque extruunt

truunt palatia: dum interim nobiliores illi aulici sua omnai in scorta, in aleas, in venationes, in equitia, in conuiuia, in pompas, in vestes, in fastum profundunt, terras, castra, possessiones, patrimonia decoquentes: quæ tunc plebei isti emunt, in nobilium locum his suis sceleſtissimis artibus succedentes.

DE MVLIERIBVS AVlicis Cap. LXXI.

HAbent & aulicæ mulieres sua vitia. Omnino enim non paucas videmus corporis dotibus, & formæ elegantia spectandas scitulas & nitidas & venustas, insuper vestimentis purpureis & aureis, & gemmeis monilibus exornatas, sed non omnibus est cernere quàm turpissima monstra sub formosis illis pellibus sæpe latitent. Hinc aptissimè Lucianus illas Aegyptiis templis comparat.

Illic

Illic enim ipsum delubrum forinse cus pulcherrimũ est, simulatque maximum, sumptuosis lapidibus extructum atque compositum: cæ terùm si intus Deum requisiueris, aut simiá inuenies, aut cinonimũ, aut hircum, aut felem. Ita est deil. lis aulicis puellis atque dominab9, quæ à prima ętate, à teneris annis in molli ocio, saltationibus, & omni luxu enutritæ, pessimisque di/ sciplinis ex aulicis illis amorum li. bris, prauissimisque luxus, libidi/ num, adulteriorum, fornicationũ, lenociniorum historijs, comœdijs nouellis, facetijs, cantilenis imbu. tæ, veluti ex nutrice pernitiosis. simos mores suxerunt, leuitatem, insolentiam, arrogantiam, morosi. tatem, impudentiam, obscœnita. tem, contentionẽ, contradictionẽ, pertinaciá, vltionẽ, astũ, vafriciẽ, petulantiam, loquacitatem, proca. citatem, & turpem concupiscen. tiam: habent linguas quibus silen.

tium

tium pœna est, habent labia ad omnem loquacitatem armata, quibus sermones producunt ociosissimos ineptissimosque, & non raro ijs qui audire coguntur molestos. Quid enim illas in tam multas horas inter se loqui putabimus, nisi stulta & ociosa? putà quomodo componenda coma, quomodo pectenda, quomodo tingendi capilli, quomodo fricanda facies, qualiter complicanda vestis, qua pompa incedẽdum, assurgendum, decumbendum: quibus quo vestitus fas sit incedere, quæ quibus loco cedere debeant, quot inclinationibus salutare, quæ ad quorum oscula venire fas aut nefas sit, quæ asino, quæ equo, quæ sella, quę curru, quæ lectica vehi debeant: quæ aurum, quę gẽmas, quæ corallia, quę torques, quæ inaures, quæ armillas, quę annulos, que monilia ferre possint, cæteraque Semiramidarũ legum nugamenta. Nec desunt

senio-

seniores matronæ, quæ narrent à quot procis olim adamatę, quibus muneribus dignatæ, quibus blanditiis ambitæ: hæc de eo loquitur quem amat, altera egrę silet de illo quem odit, & quæuis putat se cum aliarum admiratione dicere, non nunquam intempestiuis dicteriis, aut impudentissimis mendacijs sermonem infulciunt. Nec desunt inter illas intentissima odia, & acerrima iurgia calumniæ, detractiones, sycophantiæ, & quæcunque sunt malæ linguæ vitia: habẽt ocellos, habent vultus, habent visus plena illecebris, habent nutus, habent gestus plenos lasciuia, habent astus, habent verba quibus decipiendos procos sollicitant & munuscula extorquent: si illis annulus est, si gemma, si monile, si catenula, quidquid est, subtrahunt blanditijs, aut extorquent precibus redduntque pro illis basia, suauia oscula, amplexus, contactus, con-

confabulationes, quæ illis publica merx & aulici amoris alimenta sunt. Pudet referre quæ secreta intra cubile probra sæpè gerantur, consecrato Hymenæo naturæ cõtumelia, quæ cùm vestem induerunt, omnia contexisse & occuluisse existimãt. Tales itaq; qua fide & integritate postea erga maritos putabimus futuras vxores? O quanto dolore afficiunt bonos cõiuges, dum genus, dum dotem, dum formam, dum aliena matrimonia illis continuo obijciunt, & iurgiis ac contumeliis obtundunt viros, cõqueruntur semper dum domesticam & frugalem mensam spernunt, & aulicum luxum viris exprobrant, ac delicijs & pompa assuetæ, ornamentorum ambitione exhauriunt illorum opes, labefactant domos, nonnunquam ad turpes & malos quæstus miseros maritos impellunt, quibus dies noctesq; insidiantur mille fraudibus,

dibus, simulatione proditione, hypocrisi. Taceo externos amores, occulta adulteria, supposititios partus & aheno semine cõceptas proles: quod si semel ad odiũ vertantur, zelotypiam parabunt, aut venena: Familiares enim (vt ait Hieronymus cõtra Iouinianum) malarum fœminarum artes sunt, doli, fraudes, veneficia, mala medicamenta, & magicæ vanitates. Sic Liuia virum suum interfecit, quẽ nimis odit Lucilia suum peremit. zelotypia illa sponte miscuit aconitum, hæc improba furorem pro amoris poculo propinauit. Adeo tutius est (quod ait Ecclesiastes) commorari leoni & draconi, quã cum muliere nequam. Quisquis morigeram cupit habere vxorẽ, ne ducat talem aulicam: Quæcunque mulier velit probũ habere maritum, ne nubat aulico. Sed iam nimium progressus est cum lingua sermo, dixi tamen, & iam non dixisse

xisse non possum. Cęterùm autem ponam manũ meam super os meum, & ijs alia non addam: quin de aula modo egredientes, reliquas œconomię partes, & quas diximꝰ, mechanicarum potiores disciplinas, mercaturam, agriculturam, militiam, & reliquas examinemus.

DE MERCATVRA.

CAP. LXXII.

MErcatura ipsa quidem latentium lucrorum astutissima indagatrix, manifestę prædæ auidissima vorago, nũquã habendi fructu felix, semper autem quęrendi cupiditate miserrima: hanc tamen non modico reipub. auxilio esse, & ad externorũ regum, populorumq; amicitias cõtrahendas accommodam, atque etiam priuatæ hominum vitę perutilem ac quodammodo necessariam plerique arbitrati sunt: quin & Plinius illam victus causa inuentã putat. Quocirca etiã multi

Illustres simul ac sapientes viri hãc exercere non sunt aspernati, cuius modi, teste Plutarcho, fuêre Thales, Solon, Hippocrates. Verùm si cuti quascunque scientias & artes alias propter voluptatem admittimus, alias propter laborem ęstimamus, alias propter virtutem honestatemque sectamur, alias propter veritatem iustitiamque veneramur; non tamen omnes illæ quãuis necessariæ, lucrosæ, iucundæ, laboriosæ, idcirco statim honestæ laudabilesque ac iustæ sunt. Sic & mercatorum institorum, feneratorum, trapezitarum, colybistarum exercitia necessaria, vtilia, & laboriosa sunt, tamen illiberales, sordidi & improbi quæstus vocantur: quia illorum operosę fraudes, non artes venduntur emunturq; quod quidem, vt ait Cicero, non apti, non simplicis, non ingenui, nõ iusti, non boni viri, sed versuti, obscuri, astuti, fallacis, & callidi officium

um est. Mercatores enim oēs & in-
stitores hic emunt, vt alibi carius
& supra sortem vendant. atque il-
le melior qui lucratur magis, qui-
bus passim peculiare est mentiri,
peierare, fraudare & imponere,
nec vlla illis lucrandi ratio turpis:
quin & legibus id sibi licere dicūt,
decipere secum contrahentes ad
dimidium iusti precij. Nec dubiū
esse potest, cùm omnis eorum vita
ad quæstum, ad lucrum, ad diuitias
adornata sit, illos earundem occa-
sione turpia plurima & dignas sup
plicio fraudes committere. Nulli
enim sine fraude ditescunt, &, vt
ait Augustinus, lucrum habere nō
poterit, nisi fraudem fecerit. Et
plenius æquo laudat venales, quas
vult extrudere merces. Et alius
poëta canit:

Periurata suo postponit numine
lucro
Mercator, Stygijs non nisi dignus
aquis.

Hinc emit ille, vẽdit alter, hic portat, ille asportat, hic creditor, ille debitor, hic soluit, ille recipit, alter rationes scribit, omnes autem pejerant fraudant, fallũt, nec animæ nec corporis nec fortunæ vllum periculum excludunt, modò lucrum sperãt, nec cognationes nec affinitates nec amicitias vlla fide, nisi sola vtilitate colunt, sicque omnes per omnem ætatem post lucrum, post diuitias currunt, ac si alibi laborum requies vitæq; solatium nequeat inueniri.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

At verò cuiusmodi fraudes committant mercatores in lana, in lino, in serico, in panno, in purpura, in gemmis, in aromatibus, in cera, in oleo, in vino, in frumento, in equis, in animalibus, denique in omnium mercium genere, nemo

est

est qui nesciat, qui non videat, qui non palpitet, nisi qui forte illorum damna non senserit. Atque hæc minora mala sunt, longè his maiora supersunt. Ipsi sunt qui inuectis damnosis mercibus, & quæ ob raritatem vel delicias à mulieribus & pueris appetuntur, quæ ad nullam vitę faciunt necessitatem, sed duntaxat ad luxum, ad pompam, ad fucum, ad ludum, ad molliti-em, ad voluptatem ab ipsis vsque terræ finibus, veluti laqueos importantes. Prouincias ac regna quotannis immensa spoliant pecunia, corrumpunt bonos mores introductis peregrinis vitijs: ac sublato patrio ritu, semper nouis & externis rebus studentes, eâ perditissimis implicant consuetudinibus. Ipsi sunt qui initis sodalitijs contra ius, fas, & leges monopolia exercent, omnia tentantes, excogitantes, explorantes quibus multitudinis o-

opes ad se contrahant, dum collectis pecunijs alios vincunt, alios præueniunt, alios exaucto rerum precio deterrent ac soli emunt omnia, quæ deinceps pro suo libito soli vendunt, quammaximi. Ipsi non rarò ingenti ære alieno consarcinato, constituto alibi domicilio, inde verò prostituta fide, verso solo, profugi & serò aut nunquam redeuntes, creditores fraudant, & ad desperationem ac laqueum adigunt. Ipsi sunt qui chirographis & obiurgationibus implicant & explicant ciues, debitorumq; radices adeò profundas, laboriosas, funebres & ineuitabiles plantantes vt euelli nequeant: sed in gyrum pullulantes & ex debitis debita germinantes, ciuitates suffocant & euertunt, ipsi interim fœnori & vsuris incessanter dediti, totius plebis substantiam deuorant, ipsi nonnunquam numismata præcidunt, semper autem mone-

ta

netæ valorem vtcũque suo lucrõ conducere visum est, nunc intendunt, nunc demittunt, nõ absque totius reipub. detrimento. Ipsi explorata principum secreta, ciuitatumque consilia, & patrios rumores hostibus renunciant: nonnunquam etiam pacta mercede principum vitę insidiantur, ac nihil nõ pecuniæ studio attentantes, facientes, patientes, & venale habentes. Omne eorum institutum non nisi mendacia, fuci, sermonum nebulæ, explorationes, insidiæ, fraudes, deceptionesq; manifestæ. Hinc Carthaginienses mercatoribus distincta statuerunt diuersoria, nec ea illis cum ciuibus volebant esse communia: cæterùm patebat illis in forum via, ad naualia autem & secretiora vrbis loca ne aspectus quidem concedebatur. Græci autem nequaquam intra vrbes recipiebant, sed quo ciues à periculi suspicione essent immunes, à pome-

rijs non longè forum venalium ſtatuebant. Pleræque aliæ gentes mercatores ad ſe accedere prohibuerunt, quòd mores deprauarét Epidaurij (teſte Plutarcho) cùm ciues ſuos Illyricorum cõmercijs improbos fieri animaduerterent, veriti à peregrinorum contagione, corruptis ciuium ſuorum moribus res nouas ciuitati ſuæ excitari, vnum imprimis grauem & circumſpectum ex omni ciuium multitudine virum in ſingulos annos eligebant, qui ad Illyrios accederet, & quæ quiſque ſuorum mitteret, mercaretur atque contraheret. Vituperat mercatores Plato, quòd optimos inquinent mores, & apud bene conſtitutã rempub lege cauendum cenſet, ne externarum gentium deliciæ in vrbẽ comportentur, ac ne quis à ciuib. minor quadraginta annis peregrè proficiscatur, exteri autem ad ſuos remittantur, eò quod iſtiuſmodi pe-

di peregrinorum contagijs, ciues veterem patrum parsimoniam, priscosq; mores dediscant, & odisse incipiant: ex quo vno vrbes plerunq; redduntur deterrimæ, omniq; fornicationum, adulteriorũ, luxus & libidinum genere inquinatissimę: cuiusmodi Lugdunum & Antuerpia famatissima hodie mercatorum emporia de se exempla præbent. Ipse etiam Aristoteles iubet omninò curam habendã ne quid ciuitates aduentitiorum admixtione vitientur, mercatores autem etsi sunt necessarij, non tamen in ciuium numero recipiendos: quos ideo etiam detestatur maximè, quòd gaudeant mendacijs, & in ciuitatibus fora vexant, tumultus excitãt, seruntq; discordias. Quin apud plerasq; respub. antiqua lex erat, ne quis mercator magistratũ gereret, nec in senatũ, nec in cõsiliu admitteretur. Porrò mercatura à theologicis sententijs

planè damnata est, & à canonicis decretis (auctorib. Gregorio, Chrysostomo, Augustino, Cassiodoro, Leone) omnibus verè Christianis interdicta: nam, vt ait Chrysostomus, mercator Deo placere non potest. Nullus ergo Christianus sit mercator, aut si esse velit, proijciatur ab ecclesia. Augustin. quoque mercatores pariter ac milites ait veram pœnitentiam agere non posse.

DE QVAESTVRA.

CAP. LXXIII.

MErcatoribus nō multò meliores sunt quæstores, furax quoddam hominum genus & vt plurimum seruile ac mercenarium, aut quod sub stipe operā locarit, rude ac ignauum, sed audax, ac impudens, nec nisi tenuia quædam artificia, qualia par est tales homines nosse, didicit, scribendi videlicet & supputandi: maximè au-

mè autem furadi formulas, haud
inscitas ingeniosioresque, quæ in
vulgares competant latrones. I-
deoq; omnium qui viuunt homi-
num furacissimi sunt: & à solis di-
gitis, quibus talenta & millione
supputant, opulenti, quos adeo vi
scosos habent ac infimitis vncis ha-
mis sic imbutos, vt pecunia omni
quantumcunque leuis, fugax, lab
lis, anguillarum & serpentum in-
star lubrica, ab his contacta illico
hæreat, neque facilè queat auelli.
Hoc ipso tamen minus mali sunt,
cùm quod non nisi regum princi-
pumq;, ac potentum ærarijs insidi
antur, tum quæ indè suffurantur,
in scorta, in aleas, conuiuia, ædifi-
cia, atque alendis parasitis, equis,
canibus, histrionibus non illiben-
ter expendunt. Aut seniores, pru
dentioresque facti, non raro nihil
nobis tales relinquunt, qui, quæ i-
sti multis ex periurijs, rapinis, fur-
tis, flagitijs paulatim & minuta-

tim corraſerunt, conuiuando, ſcortando, venando, aucupando, veſtiendo: & ne quicquam ad explendas voluptates omittendo, rurſus in multa fragmenta diſſecantes, ſimul omnia, infeliciter profundãt. Cæterùm verò & quæſtores ipſi fœnus accipiunt & dona extorquent procraſtinando, debita cõpilant, cum capitaneis colludunt, falſum ſupputant, chirographa adulterant, & literas affictis ſigillis reſignant, nũmiſmati nonnihil detrahunt, nonnunquam fucato metallo vitiant: ideoq; alchimiſtis plurimum amici ſunt artiſq; illius vt plurimũ ſectatores, aut ſi deſit ingenium, ſaltẽ fautores ſunt. Verùm cum dicat Cicero mercaturã ipſam, ſi magna ſit & copioſa, multa vndique apportans & ſine vanitate importans, non eſſe admodum vituperandam, mercatores autem & quæſtores tunc poſſe optimo iure laudari, ſi aliquando ſa

tiati

tiati quæstu, tandem ad colendos agros possessionesque se contulerint: ideoq; de agricultura quid sentiendum sit, hic subiungemus.

DE AGRICVLTVRA. Cap. LXXIIII.

AGricultura itaque, cui & pastio annexa est & piscatio atque venatio, tanto apud priscos in honore fuit, vt nec Romanos Imperatores, potentissimosq; reges & duces puduerit agros colere, semina tractare arbores inserere. Ad hãc se cõtulit deposito imperio Diocletianus, & dimissa regni administratione Attalus. Cyrus quoque magnus ille Persarum rex gloriari plurimum solebat, cum venientibus ad se amicis hortum ostenderet suis manibus consertum, & arbores sua manu in ordinem positas. Sed & Seneca plantauit platanos, sua manu piscinas effodit, aquas diduxit, nec a-

nec alibi lubentius erat quàm in agris: hinc illa nobilissimarum familiarum cognomenta Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, Pisonum, à multitudine videlicet horum leguminum.

DE PASTVRA.

CAP. LXXV.

Simili ratione à pecorum pastionibus Iunij, Bubulci, Statilij, Tauri, Pomponij, Vituli, & Vitellij, Porcii, Catones, Annii & Capræ orta sunt. Pastores fuerũt Romulus & Remus Romanæ vrbis conditores: è pastoribus ad imperium assumptus fuit Diocletianus. Pastor fuit ipse Romæ potentiæ tremendus Spartacus, Pastores erant Paris & pater Aeneę Anchises, & à Venere dilectus formosus Endymion. Polyphemus etiam, & centum oculorum Argus. Exipsis denique dus Apollo

Admeti

Admeti Thessaliæ regis armenta pauit, & Mercurius fistulæ inuentor, pastorum princeps fuit, atque eius filius Daphnis. Pan quoque pastorũ Deus, & Protheus pastor atque Deus. Atque (vt Hebræorum patriarchas, iudices ac reges aliquos recenseam) maximi inter eos viri & Deo gratissimi pastores fuerũt: sicut Abel iustus, Abraham pater multarum gentium, & Iacob pater populi electi, itẽ Moyses legislator & propheta Deo familiaris, ac Dauid Rex secundum cor domini electus. Quinetiam apud veteres Græcos, illustrissimo quisque pastor erat: hinc alios polyarnas, alios Polymelas, alios Polybutas appellarunt, videlicet à multitudine agnorum, ouium & boum nomina illis imponentes. Sic etiam Italiam à vitulis nuncupatam (quos antiqui Græci Italos vocabant) nemo ignorat. Atqui vterque Bosphorus Cimmerius &

Thra-

Thracius atque Aegæum mare & Argos, Hippion, nónne à bouis transitu, à capris, ab equis dicta sunt? Et Numidia Aphricæ prouincia à pascuis hoc nomẽ habet. Prima post Adæ lapsum hominũ in terris vita fuit pastorica, hęc nobis præter pecudum carnes varias etiam lac, caseum, butyrum, in cibũ ac pro vestitu lanam, pelles, & coria, omnia profectò humanæ vitæ cùm necessaria, tùm vtilissima largitur, quæ omnia, sed post casum homini concessa sunt, cùm antea ijs solis, quæ à terra sponte prodibant, fructibus, Deus illum in paradiso vesci iusserat.

DE PISCATIONE.

Cap. LXXVI.

ACcedunt ad hæc piscatio atque venatio. Piscationis studiũ apud Romanos tanto in precio & celebritate habitũ est, vt peregrinos & Italis littoribus

bus ignotos pisces è longinquis prouincijs aduectos nauib. in mari Italico tanquam in tetra fruges seminarent, arbitrantes non modicam in his reipublicæ vtilitatem versari. Præterea piscinas & vinaria præciosissimis piscibus referta, magnis sumptib. instruxerunt, è quibus demum plerique Romani principes familiæq; agnomina traxere, vt Licinij, Murenę, Sergij, Oratæ. Hinc & Cicero Lucium, Philippum atque Hortēsium piscinarios appellauit, videlicet à Piscinis. Legimus diuū Octauianū Augustū, hamo piscari solitum, & Neronē (scribit Suetonius) piscatum reti aurato, è purpura & cocco nexis funibus. Modi autem piscationum non admodum multi, nā retibus, hamo, nassa, iaculis, rastro, veneno, quotquot sunt pisces capiuntur. Verum piscatio co minus laudes habet, quo pisces duri alimenti, ne stomacho

quidem

quidem vtiles nec deorum oblationibus accepti sunt. Nemo enim vnquam piscem in sacrificiis immolatum esse audiuit.

DE VENATICA ET aucupio.

CAP. LXXVII.

SImilibus quoque quibus piscatio ingeniis, constant venatio & aucupium, additis insuper viribus corporis, & indagine, variisque laqueorum, perdicarum, decipularumq; ingeniis, adhibitis etiam visco, aquilis, accipitre, canibus, ac Lupo ceruario, & plerisq; aliis mansuetis ferisrapinæ venationiq; aptis, Ars profecto detestabilis, studium vanum, certamen infœlix, tantis laboribus & vigiliis de nocte ad noctem pugnare & sæuire in bestias. Ars crudelis & tota tragica, cuius voluptas est in morte & in sanguine, quam ipsa refugere deberet humanitas.

manitas. Hæc ab initio seculi semper pessimorum hominum peccatorumque præcipuum exercitium fuit: nam Cain, Lamech, Nimbrotum, Ismaelem, Esaum, robustos venatores sacræ literæ prodiderunt, nec vllos in veteri lege venaticam exercuisse legimus, nisi Ismaelitas, Idumæos, & gentes quæ non cognouerunt Deum. A venatione tyrannidi initium fuit, quia cõmodiorem non repperit auctorem, quàm eum qui in cede & carnificio ferarum, & volutabro sanguinis Deum naturamque contemnere didicisset. Hanc tamen Persarum reges tanquam verissimam rerum bellicarum meditationem coluerunt: quia habet in se venatica bellicum quiddam & truculentum, dum rapacibus canibus obiecta fera effuso sanguine, laniatis visceribus voluptatem præstat, acerbissimamque morte tanquam iocum summa cum voluptate

luptate ſpectat: interimque ridet crudelis venator, proſtratamq; canum exercitu aut laqueorũ fraude infelicem prędam triumphantis inſtar magna comitatus caterua domum reducit. vbi tunc feralis inſtruitur carnificina, ſolenniq; chironomia, præſcriptisq; vocabulis (neq; enim aliter fas eſt) bellua laniatur. Inſignis profectò venatorum ſtultitia, inſigne bellum, cui dum nimium inſiſtunt, ipſi abiecta humanitate feræ effici untur, morumq; prodigioſa peruerſitate tanquam Acteon mutantur in naturas belluarum. In tantam quoque plurimi illorum prorupere inſaniam vt hoſtes naturæ fierent, quemadmodum de Dardano narrant fabulæ. Inuentores tã infelicis artificij extitiſſe narrantur Thebani, gens fraude, furtis, periurijs inſignis, parricidijs & inceſtibus detcſtanda: à quibus eius exercitij præcepta ad phrygios

tranſ-

transmissa sunt, gentemque æquè impudicam, sed stultam atque leuem, quos idcirco contempserũt Athenienses & Lacedæmonij populi grauiores. postea verò quam Athenienses interdictæ venationis legem soluissent, artemq; cum exercitio publicè admittentes, in rempublicã suam introduxissent, tunc primum Athenæ captę sunt. Hinc miror venationem à platone ipso Academiarum principe cõmendatam, nisi fortè quòd euentus aut propositi honestas necessitasue hanc commendat, non voluptas: quemadmodum aprum Calydoniæ vastatorẽ confuxerit Meleager non voluptati suæ, sed vtilitati reipublicæ, patriam abs vastatrice bestia liberans. Et Romulus venabatur ceruos non voluptatis causa, sed necessitate alendi se & socios. Est & aliud venandi exercitium, quod aucupium dicunt, mino-

minoris quidem crudelitatis, sed non minoris vanitatis: hinc aucupes dicti, qui videlicet aut aues venãtur, aut per aues ludẽtes (quẽadmodum ait Baruch propheta) in auibus cœli. Auctorem illius ferunt Vlyssem, quem primũ post captũ Ilium armatas edoctasque in venationem aues Græciam intulisse narrant, vt videlicet essent nouæ voluptatis solatia his, qui amissis parentib. Troiani belli dãna sentirent: tamen filium Thelemachum ab hac viuere iussit expertem. Tandem hæc exercitia in se reuera seruilia & mechanica eovsque euecta sunt, vt positis quibusque liberalibus studijs, hodie prima nobilitatis elementa sint atque progressus, illis ducibus ad summum nobilitatis gradum perueniatur: hodieque ipsa regũ & principũ vita, ipsa etiam (prodolor) Abbatum, Episcoporum, cæterorumque ecclesiæ prælectorum,

rum religio, tota inquam venatio
est: in qua se potissimum experiũ-
tur, virtutemq; suam ostendunt.
Spumantemque dari pecora inter
inertia votis.
Optat aprum, aut fuluũ descen-
dere monte leonem.

Et quos decet esse exempla pa-
tientiæ, quotidie quærunt habere
quod vincant & venentur: & quę
natura libera sunt animãtia, & de-
cernente iure occupantium fiũt,
nobilium tyrannides sibi temera-
rijs interdictis vsurparũt: à noua-
libus suis arcentur agricolæ, sub-
trahuntur prædia rusticis, agri co-
lonis, præcluduntur syluæ & pra-
ta pastoribus, vt augeãtur pascua
feris in fagimen & delicias nobi-
lium, quos solos has edere licet: de
quibus si colonus quispiam gusta-
uit aut agricola, is maiestatis reus
factus, simul cũ belluis illis fit præ-
da venatori. Scrutemur scriptu-
tas, certè in sacris literis, etiam in

gentium hiſtorijs, nullum ſanctũ, nullum ſapientem, nullum philoſophum legimus venatorẽ: paſtores verò plurimos, & aliquos piſcatores. Et Auguſtinus artẽ hanc dicit omnium nequiſſimam, ſacraſque Elibitanum & Aurelianenſe Concilia hanc in clero prohibuerunt damnaruntque, in ſacrisque canonibus non modo prohibetur venatoribus aſcenſus ad ſacros ordines, ſed etiam ſummi ſacerdotij gradus admittitur iam adeptus. In eiſdem legitur, Eſau venator erat, quoniã peccator erat. Neq; verò vſpiam venationis vocabulũ ſcriptura ſacra in bonũ aſſumit. Quare venationẽ ipſam reprobam eſſe, iã nemini in ambiguo ſit, quę omniũ ſapientum atq; ſanctorũ turba exploſa eſt atqua damnata. Antiquitus etiam cum in innocentia viuerent homines, nulla illum animantia fugiebant, nulla infeſta erant, nulla noxia, omnia illi ſubdita obedien

obedientiam præstabant: cuius exempla etiam posterioribus temporibus, in his qui optimam vitá agerent, manifesta sunt: quomodo ferarum insidijs superiores extiterunt, sicut Daniel Leonibus, & Paulus Apostolus viperæ. Heliam prophetam, Paulum & Antoninm eremitas nutriuit coruus, & Aegidium, cerua. Helenus abbas præcepit onagro, & paruit belua, & sancti viri onera portauit: præcepit enim Crocodilo, & ab eo flumen transuectus est. Anachoritæ multi habitabant in desertis, & stabant in speluncis & cauernis ferarum, non timentes nec leones, nec vrsos nec serpentes. Cum peccato enim animalium noxa simul & persecutio & fuga subintrauit & artes venationum excogitatæ sunt. Non enim (vt Augustinus ait tertio super Genes.) animalia fuere à principio producta venenosa, inimicas

& molesta humano generi, sed post peccatum infesta inimicaque constituta sunt: quòd ex diuina sententia in pœnam iniustæ rebellionis primorum parentum factũ est, cuiusmodi sentẽtia lata est ad serpentẽ, dum diceret Deus: Ponam inimicitias inter te & mulierem, & inter semen tuum & semẽ illius. Ex hac sententia venationũ orta est pugna, hominum scilicet cum cæteris animalibus.

DE AGRICVLTVRA residium.

Cap. LXXVIII.

SEd modò reuertamur. Scripserunt de his iam dictis agriculturæ, pastiõis, piscationis, venationis, aucupij artibus Hiero, Philometer, Attalus & Archelaus reges. Xenophon & Mago duces, & Oppianus poëta: præterea Cato, Varro, Plinius, Columella, Virgi-

Virgilius, Crescentius, Palladius, & plerique his recentiores. Cicero his nihil melius, nil vberius, nil dulcio, nil libero homine dignius arbitratur. Non pauci summū bonum summamq; beatitudinem istic collocarunt. Hinc agricolas fortunatos Virgilius, Horatius beatos vocant. Hinc Delphicum oraculum Aglaum quendam felicissimum pronunciauit, qui in Arcadia paruum prædium colens, nunquā id egressus est, sicque minima cupidine minimum in vita mali expertus fuerit: sed miseri homines tam altum de agricultura sapientes, ignorant hanc esse effectum peccati, ac summi Dei maledictionem. Eijciens enim hominem de paradiso voluptatis, in agros misit ad præuaricatorem Adam, sic dicens: Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi,

& comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es. Sed nulli hoc magis sentiunt quàm agricolæ, & villici, qui dum arant, seminant, occant, putant, pastinãt, messant, metunt, vindemiant, pascunt, tondunt, venantur, piscantur: post multos labores, hic agris à grandine, tempestateque vastatis amittit panẽ, huic oues moriuntur, aut boues, aut à militibus abiguntur, ille perdit feram, alter piscem, & domi plorat vxor, illachrymantur filij, & tota esurit familia, rursusque spe incerta, dubium redeũt in laborẽ. Ante hanc maledictionem nulla fuisset opus artificiosa telluris cultura, non pastione, non piscatione, non venatione, nõ aucupio: nam spõte omnia producturа erat terra hybernis, æstiuisque frugibus, odoris suauitate, pratorũque vestitu semper floresces. Denique nihil noxiũ

terra

terra progerminasset, nõ herbam vllá veneno pestilentẽ, nullá arborem sterilitatis vitio inutilẽ, sequestrataque ètiam natricum & viperarum, cæterarumque reptilium virulentia (autor nobis Beda) ipse que homo animantium omnium adeptus principatum, ipsis etiá feris, vt iumẽtis pecudibusque onera impositurus imperasset piscib. maris, aues ad nutum aduolassent: moxque natus homo omniũ mẽbrorum, vsum exercitiumque cõsecutus fuisset, ac sine corporis tegumentis, sine tectis, sine conditis obsonijs, sine medicamentis felicissimam vitam egisset, cum spõte sua illi suppeditura essent, vt ait Poëta ille: Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile. Sed peccati noxa mortisque necessitas, omnia nobis infesta fecit. iam non terra quicquam citra labores sudoresque nostros producit: quin & lœtifera, & venenosa (ceu palá

nobis quod viuimus exprobrás) generat, nec reliqua elementa nobiscum mitius agunt, multos mare sæuientibus procellis obruit, monstrosæque belluæ absorbent, tonitruis, fulgure, tempestatibus contra nos pugnat aër: & pestilentiarum lue cœlum quoque in nostrum interitum conspirat. Iamq; etiam animantia ex professo nobis infesta sunt, & ipse etiam homo (vt est prouerbio) homini lupus est, circunsistunt nos innumeris scelerum illecebris tentantes immundi spiritus, quo nos in supplitiorum tenebrosa conceptacula protrahant, æternis ignibus ac diris cruciatibus perpetuè cruciandos. Atque hinc patet nõ nisi optimarum rerum iacturam, malorũ inuentionem, ac vitæ incommoda esse agriculturam, cum cæteris illi adhærentibus, pascendi, piscandi, venandique exercitijs, quo telluris infœcunditatem & victus egestatem,

ſtatem, ac ex pellium amictu algorem, quibus mortis fata admonita humanitas, ſaltem pro tempore effugeremus, vel potiùs mitigaremus. Haberet autem agricultura hanc neceſsitatis ſeu calamitatis noſtræ laudem non modicam, ſi inter hos manſiſſet terminos, nec prętergreſſa doceret tot prodigioſas plantarum fabricas, tot portentoſas arborum inſitiones ac metamorphoſes. Quin & equos aſinis iungere & canibus lupos, ſicque mulas & lyciſcas, aliàque præter naturæ legem monſtroſa animalia procreare. Sed & quibus natura, cœlũ, maria, terras libera aſsignauit, auiarijs, piſcinis, viuarijs & carceribus coercere, etiam exemptis luminibus, mutilatisue membris in ergaſtulo ſaginare: tum in lino, lana, pellibus, bombyce, & quæ natura ad hominum veſtitum largitur, tot texturarum, infectionũ, & ſimilia non niſi ad luxum & faſtum.

ſtum artificia, ſępiſsimè etiá ad ho
minũ perniciè excogitata. Quod
de vno lino conqueritur Plinius
tam paruo ſemine nato, quod nũc
planta, mox velum, leuiſsimo ven
torũ ſtatu orbẽ terrarũ vltro citro
q́ue portat, hominesq́; ipſos (ac ſi
parũ ſit in terra etiá perire) cogat
in aquis, ac à marinis beſtiis vora
ri. Prætereo mille agricolarum, pa
ſtorum, piſcatorũ, venatorũ, aucu
pum obſeruantiarum decreta, nõ
tam ſtulta & ridicula, quá ſuperſti
tioſa, & diuinæ legi aduerſa: quibꝰ
tempeſtates auertere, ſementa fe
cundare, noxia quæque propelle
re, lupos & feras abigere, fugacia
animalia ſiſtere, piſces auesque ma
nibus prẽhẽdere, morbos pecudũ
incarminare ſe poſſe autumãt, de
quibus cum magna credulitate, &
ſerioſe ſcripſerunt ſapientes illi
viri, quos ſupra nominauimus.

DE

DE ARTE MILITARI

CAP. LXXIX.

SEd iam ab agricolis ad milites trâseamus, quos ex agris delectos, aptiores pugnę ait Vegetius, ex quibus etiâ Cato viros fortissimos, & milites strenuissimos gigni adserũt. Quin & testibus sacris literis, primus ille pugnator Cain, agricola fuit atq; venator. Et Ianus atq; Saturnus pugnacissimi dij & antiquissimi, hâc simul cũ agricultura vitâ in terris egerunt. Ars itaque militaris minimè cõtemnenda videtur, quæ (vt ait Valerius) principatũ Italiæ Romano imperio peperit, multarũ vrbiũ magnorumq; regũ, validissimarũ gentiũ regnũ largita est, frauces Ponti, marisque sinus patefecit. Alpium Taurique mõtis conuulsa claustra tradidit. Ipse Aphricanus Scipio apud Enniũ gloriatur, quòd per sanguinẽ

hostium atque cædes viam sibi ad cœlum aperuit. Cui & Cicero adsentit, inquiens & Herculem eadē via cœlos conscendisse. Hanc Lacedæmonij primum tradidisse dicuntur: hinc Hannibal Italiam petiturus, Lacedæmonem quæsiuit armorum ducem. Hac duce constituta sunt regna & imperia, illaque neglecta potentissima quæque rursus demolita. In manibus enim temerariorum ducum ceciderūt bellicosa Numantia, ornatissima Corinthus, superba Thebæ, docta Athenæ, sancta Hierusalem, ipsaque Romani imperij æmula Carthago, tandem etiam potentissima Roma. Hæc ars plurimo & plusquam Draconis leges humani generis sanguine scripta docet, pugnæ ordinem eleganter cōstituere, aciem accommodè instituere, adoriri hostem, instare, premere, circumuenire, læua dextraque ferire, ad ducū signa dimicare, proferre.

ferre gradum, sustinere impetum, resistere vrgentibus, premere cedentes, ictus incutere, incussos euitare, aut clypeo excipere ac contemnere, acriusque in hostem cõsurgere, inuehi equo, vrgere stimulis, moderari frenis, & omnem in partem circumflectere, ingerere tela, vibrare lanceas, torquere hastes hostium vultus, latera, terga, pro loco & tempore adoriri, nec priusquam desperata victoria de fuga cogitare: fugientes autem insequi, mactare, capere, exarmare, deripere, profligere, suos reducere, recolligere, exercitũ instaurare, & desperata victoria ad spẽ vindictæ animum succendere, & quę reliqua sunt militum ducumque officia. Instruit quoque de apparandis classibus, extruendis arcibus, muniendis castris, locandis præsidiis, extruendis vallibus, cõpingendis aggeribus, euacuandis fossis, suffodiẽdis cuniculis, fabri-

candis machinis, deligendis armis, oppugnandis mœnibus, comportandis commeatibus, confingendis dolis, locandis insidijs varijsq; scire vti stratagematibus Præterea obsidere ciuitates, iacere tela, fremere tormentis, admouere machinas, perfodere muros, concutere turres, occupare mœnia, parare incendia, diruere arces, spoliare templa, diripere vrbes, subuertere oppida, vastare agros, conculcare leges, adulterari matronas, stuprare viduas, rapere virgines, ciues alios vulnerare, alios incarcerare, alios deportare, alios trucidere. Tota denique disciplina hæc non nisi in hominum pernicię occupata, hunc finem quærit, vt famosos orbis euersores, strenuosq; homicidas faciat, transformetque homines in ritus ferarum moresq; belluarum. Hinc bellũ nihil aliud est, quàm cõmune multorum homicidium, ac latrocinium, nec aliud milites,

Bellum quid sit

milites, quàm ſtipẽdiarij, & in rei-publicæ exitium armati latrones. Præterea cùm bellorum euẽtus ſemper ſint incerti, & fortuna, nõ ars largitur victoriam, quid proſunt ſtratagemata, & inſidiæ, & reliqua artis militaris præcepta? nunquid omnis ars inanis eſt, vbi fortuna dominatur? atque nihilominùs laudauit hanc diuinus ille Plato, & pueros hãc diſcere, adultosque ſtatim armatæ militiæ tradi iubet. Et Cyrus inclytus ille Rex, illam nõ ſecus atque agriculturam ſumme neceſſariam aiebat. Ipſeque Auguſt. atque Bernard. Catholici in Eccleſia doctores, hanc alicubi probauerunt, & pontificia decreta illam non improbant. licet Chriſtus & Apoſtoli longè aliter ſentiant. Tandem vel repugnante Chriſto non infimum in Eccleſia gradũ obtinuit, obortis tot ſacrorum militũ ſectis & ordinibus, quorum omnis religio in ſanguine, in-

cæ-

cædibus, in rapinis. & piratica sita est, prætextu defendendę & ampliandę fidei: ac si Christus Euangelium suũ non prędicatione verbi, sed armis, non confessione cordis & martyrio, sed ostentatione & comminatione armorum, vi bellorum, & hominum cædibus ac strage voluerit innotescere. Nec satis istis militibus in Turcas, in Saracenos, in Paganos arma ferre, nisi etiam contra Christianos pro CHRISTIANIS classes ducant. Denique bellum & militia multos gignunt Episcopos, & non rarò pro summo pontificatu pugnatum est, & (vt ait sanctus ille Camotensis episcopus) non sine fratrũ sanguine sancta sanctorum ingressus est pontifex: atque hoc tunc vocatur constantia martyrij, si pro cathedra magna Christianorum cæde fortiter fuerit dimicatum. Scripserũt de arte militari Xenophon, Xenocrates, Onozander,

zander, Cato Censorius, Cornelius Celsus, Iginius, Vegetius, Frontinus, Helianus, Modestus, & antiquiores multi : ex recentioribus Volturius, Nicolaus Florentinꝰ, Iacobus comes Purliliarum, & alij pauci. Hi artis doctores, sed speculatiui, non tam periculosi vt sunt practici. Tituli verò ac dignitates discipulorumque gradus nõ sunt baccalaureatus, magistratus, doctoratus : nec modò etiam sunt, quibus dicuntur Imperatores, duces, comites, marchiones, equites capitanei, centuriones, decani, signiferi, & consimilia nobilitatis nomina ex ambitione, aut iniuria nata, sed latrones, perfossores, raptores, sicarij, fures, sacrilegi, gladiatores, stupratores, lenones, scortatores, adulteri, proditores, peculatores, abigei, aleatores, blasphemi, venefici, parricidæ, incendiarij, prædones, piratæ, tyranni, & eiusmodi. Quos omnes qui vno nomi-

nomine velit exprimere, dicat milites, hoc est reuera barbaricas sceleratorum hominum feces quos mala mens, malus animus ad omne facinus extimulat: quos penes dignitatis & libertatis nomen habet licentia delinquendi & latrocinandi, vndique quærentes vt noceant, ipsamque innocentiam veluti mortis quandam imaginem odientes, omnesque quasi vnum corpus sunt ex patre diabolo, cuius illi sunt membra, de quo ait Iob. Corpus illius quasi scuta fusilia, & cõpactum squamis se prementibus: vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas, vna alteri cohæret, tenentes se nequaquam separabuntur: assistunt sibi, quia conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Insignia autem militiæ sunt non purpura, torques, annuli, tiaræ: sed aduerso pectore vulnera, & deformata cicatri-

catricibus corpora. Exercitium non nisi cum plurimorum exitio doloreque coniunctum, morum legum, ac pietatis pernicies, cum Christo, cum beatitudine, cum pace, cum charitate, cum innocentia, cum patientia, ex diametro pugnans. Præmia eius sunt gloria nobilitatis, humani sanguinis effusione parta, imperij propagatio libidine dominandi & possidendi, cum multarum animarum perpetua damnatione. Nâ cùm omnis belli finis sit victoria, nemo potest esse victor, nisi homicida: nemo cõtra victus nisi malè perierit. Mors igitur militum pessima, malum epitaphium sibi inducente peccato. Qui autem occidunt, iniqui sunt, etiamsi iustum sit bellum. Non enim propter hoc, sed quia lucri & prædæ gratia militarunt, impij homicidæ, in eos quos malè occidũt. Si qui autem iustè ab illis perimuntur, ipsi qui occiderunt, in

carni-

carnificum ordinem seipsos statuentes, nobilitatẽ hanc commeruerũt: quumq; leges alioqui in prædones, incendiarios, raptores, homicidas, sicarios, pœnis sæuiant, tales nomine militiæ habentur nobiles & honesti.

DE NOBILITATE.
CAP. LXXX.

EX militia itaque ortum habet nobilitas gentilitia, videlicet claritas, ex cruore hostium & cædibus strenua carnificina acquisita, & publicis honorum insignijs cohonestata. Hinc apud Romanos tot coronarum genera ciuilium, muralium, obsidionalium, naualium, tot militaria dona, armillæ, hastæ, phaleræ, torques, annuli, statuæ, imagines natæ sunt, quibus prima nobilitatis initia auspicabantur. Apud carthaginienses tot donabãtur annu

lis,

lis, quot interfuissent prælijs. Iberi tot circa defuncti sepulcrum erigebát obeliscos, quot ille interemisset ex hostibus. Apud Scythas in celebri conuiuio ijs tátum circũlatam pateram accipere licitum erat, qui hostem occidissent. Apud Macedonas lex erat, qui nullum hostem interemissent, capistro cingi in opprobrium ignobilitatis. Apud Germaniæ populum nemi nem vxorem ducere licebat, qui non prius caput hosti occisi ad regem detulisset, ipsaque indignatio non dati debiti honoris ijs qui strenuè militarunt, contra patriá multos induxit, vt subuerterent eius libertatem. Exemplo sunt Coriolanus, Gracchi, Sylla, Marius, Sertorius, Catilina & Cæsar. Si itaq; nunc nobilitatis primordia requiramus, compe.iemus hanc nefaria perfidia & crudelitate partam: si ingressum spectemus, reperiemus hanc mercenaria militia & latroci-

trocinijs auctam: quod si etiam regnorum & imperij originē quæramus, occurrent impia fratrum parentúmve parricidia, funesta cōiugia, & pulsi regno patres à liberis, aut trucidati principes, in cuius verba iuratum erat. Sed ipsam nobilitatem nunc à primis vngui-bus exploremus. ipsa reuera nihil aliud est quàm robusta improbitas, atque dignitas non nisi scelere quæsita benedictio, & hæreditas pessimorum quorumcunque filiorum. Quod ita esse primum nobis sacræ literæ, deinde etiam antiquæ gentium & recentiores historiæ notum faciunt. Nam cùm ab initio creationis mundi genuisset transgressor Adam primogenitum suū Cain agricolam, & alterum Abel pastorem ouium, in quibus humana familia biuium fecit, videlicet in Abel plebis, in Cain nobilium, qui cum secundum carnem crudelis & superbus esset, de more

perse-

perſequens eum, qui ſecundum ſpiritum humilis erat, interfecit Abel: ſed reparata fuit plebeia familia Zeth tertio filio Adæ, ipſe itaque Cain, parricidio fratris primus militiæ & nobilitati initium dedit, ac contemptis Dei & naturæ legibus, confidens autem in proprijs viribus, vſurpans ſibi dominationem, primus condidit vrbes, conſtituit imperium, ac creatos à DEO liberos homines & filios generationis ſanctæ, vi, rapina, ſeruitute, & iniquitatis legibus opprimere cœpit, donec illi etiam contempto Dei iudicio, & corrupta omni carne, promiſcua libidine inquinati, genuerunt gigantes, quos interpretatur ſcriptura potétes à ſeculo, viros famoſos. Atque hæc eſt vera & cómodiſſima nobilium definitio. Opprimebát enim inopes, extollentes ſe latrocinijs, & ſuperbientes opibus, celebrátes nomina ſua, imponentes ea regionibus

nibus & vrbibus, & montibus, & fluminibus & aquis, & mari, quorum primus parens Cain natura malignus, inteſtino odio inuidus, à diuina correptione incorrigibilis, diſsimulata ira proditor, in proprium ſanguinem parricida, maledictione vagus & profugus, etiam maledictioni ſuperaddès blaſphemiam. Atque hæc ſunt illa antiquiſſima & primæua nobilitatis munia, hæ virtutes, hæc ingenia, quibus vſque in hunc diem ipſa ornatur nobilitas, cuius architectus pater ille gigantũ, quos deleuit Dominus in diluuio aquarum, vno ſolo reſeruato Noha, viro iuſto in generationibus Zeth, cum ſua familia: cui cùm tres eſſent filij, Samus, Iapetus & Chamus, atque illi inſtaurato poſt diluuiũ ſeculo, priſcorum gigantum exemplo etiam vrbes conderent, & regna conſtituerent: idcirco ſcriptura à Noha vſque ad Abrahamum nullam facit

eit mentionem iustorum, omnes siquidem ad Abrahamum vsque nobilitatis artifices extiterunt, robustæ videlicet improbitatis, impietatis, confusionis potentiæ, militiæ, violentiæ, oppressionis, venationis, luxus, pompæ, & vanitatis & similium nobilitatis stigmatum, quæ Nohæ filij huic impresserunt: è quorum numero Chamus, eò quod cæterorum esset nequissimus, atque in parentem impius primam & super omnia regna dominatricem monarchiam promeruit. Ipse genuit Nimbrotum, quem scriptura describit potentem in terra & robustum venatorem aduersus dominum, hic ædificauit Babylonem illam magnam, & linguarum confusioni initium fuit, tradiditque regnandi disciplinam, nobilitatumq; gradus, honores, dignitates, officia, imagines que discreuit. Exinde in plebē leges sancitę, introducta seruitus,

& exactiones à populo, conscripti exercitus, gestaque crudelia bella. Abs eodem Chamo processerunt Chus, à quo Aethiopes & Mizraim, à quo Aegyptij, & Chananaan, à quo Chananæi, nobilissimæ quidem gentes, sed deterrimæ, reprobatæ, & à DEO maledictæ. Exacto tandem multo tempore, rursus elegit Deus hominē iustū, patriarcham illum Abrahamū, ex quo susciteret sibi semen ac populum sanctum, quem circumcisionis signaculo ab aliarum gentium multitudine distinxit. Hic duos ab initio genuit filios, vnum ex ancilla, spurium, Ismaelēm, alterum ex vxore legitimum, cui nomē Isaac. Factus est autem Ismaël homo ferus & sagittarius, vir nobilis & potens princeps Ismaëlitarum genti nomen suum perpetuum relinquens, benedixitque illi Deus, & cōfirmauit nobilitatem eius in rapina & militia, inquiens. Manus

eius

eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione fratrum suorum figet tabernacula.

Isaac autem perseverans in iustitia patris sui illius gregem pascebat, atque hic ex Rebecca sua duos genuit filios Esau & Iacob. Esau itaque odiosus Deo, homo rufus & hispidus, venator & sagittarius, helluo & ventri deditus, adeò vt pro vno pulmento vendiderit primogenita, factus est vir potens atque princeps Idumęorũ, benedictionẽ accipiens nobilitatis in pinguedine terræ & rore cæli, in gladio & excussione iugi. Iacob autem iustus profugus apud auunculum suum Laban, oues illius pascebat, cuius vtraſque filias quatuordecim annorũ seruitute cum promeruisset vxores, duodecim ex illis filios suscepit, vocatumque est nomẽ illius Israël, quod posteris suis deinceps reliquit, vt vocaretur populus Israel. Erat Iacob (quod

diximus, duodecim filij, videlicet Ruben, Symeon, Leui, Iudas, Issachar, Zabulon, Ioseph, Beniamin, Dan, Nephtalim, Gad & Asar, ad quorum numerum duodecim tribus Israël numerati sunt. Verum Ioseph à fratribus suis venditus in Aegyptum, omni Aegyptiorum disciplina inbutus est, & factus est somniorũ interpres peritissimus, & augurabat in calice: œconomicæ disciplinæ adeo peritus erat, vt ingenij caliditate nouas artes parandarum diuitiarum, & vectigalis augendi inueniret, quam ob causam pharaoni regi gratissimus, constitutus est ab eo princeps super omnem Aegyptum, atque ex seruili mancipio, solenni Aegyptiorum ritu nobilis creatus est. Posuit enim rex annulum in manu eius, & torquem in collo eius auream, & induit eum purpura, fecitque ascendere currum, clamãte præcone, vt omnes deinceps tan-

tanquam nobilem & principē re-
uerentur illum. Similis per omnia
nobilitandi mos erat apud Persas,
sicuti de Mardocheo Hebræo no-
bilitate ab Artaxerxe rege, legi-
mus in libro Hester. Inde in hunc
vsque diē hæc nobilium creando-
rum consuetudo permansit, pe-
nes reges & Cæsares, à quibus alij
pro pecunia emunt nobilitatem,
alij illam lenocinio, alij veneficijs,
alij parricidijs hāc cōmeruerunt.
Multis proditio nobilitatem con-
ciliauit, simulatque diuitias per pe-
rit, quemadmodum de Euthicra-
te, philocrate, Euphorba, & phila-
gro historijs proditum est. Pleri-
que adulatione, detractione, calū-
nijs, sycophantia plures ob prosti
tutas regibus vxores & filias, nobi
les facti sunt, multos venationes,
rapinę, cędes, prestigia, & alię ma-
læ artes ad nobilitatē promoue-
runt. Sed ad Ioseph reuertamur.
Hic cum potens esset in domo re-

gis,& suscepisset filiũ primogenitum Manassen,elatus euẽtitia hac nobilitate,in iniuriam & contemptum paternæ domns,non sine culpa locutus est dicens:obliuisci me fecit Deus laborum meorũ & domus patris mei, quapropter in benedictionibus,postpositus fuit Manasse,& prælatus illi iunior Ephraim. Ipse denique Ioseph, licet esset filius Iacob, tamen propter hanc nobilitatis Deo odibilem conditionem,non meruit ferre nomen tribus in Israel,sed datum est filijs suis Ephraim & Manasse. Neque illi in tribus suis habuerunt prophetam,& omnium minima benedictione benedicũtur,videlicet in fortitudine & multitudine familiæ suæ Habitauit autem populus Israël in Aegypto annis multis, erantque pastores pecorum in terra Gessen,cùm verò crescerent in gentem magnam & potentem,suspecti & odibiles facti sunt nobilibus

bus & regibus Aegyptijs: quare affligebãt eos operibus duris luti & laterũ, & omni seruitute operũ terræ, & pueros eorũ masculos occiderunt, mergentes in flumine, vt non supereſſet illis ſemen in terra. Horum itaque vnus, eo quod eſſet puer elegans, ſaluatus eſt à filia regis, quæ adoptauit illum in filium, & vocauit illum Moyſen, quia de aquis eripuiſſet eum. Creuit itaque Moyſes in domo regis, omnique Aegyptia doctrina imbutus, tanquam regis filius habitus, potens factus eſt & dux militiæ Pharaonis contra Aethiopes. Deſponſauit autem ſibi filiã regis Aethiopum in coniugem, vnde contracta Aegyptiorum inuidia & odio, exulare coactus profugit in Madian, vbi apud puteum quendam contra regionis illius paſtores, pro puellis quibuſdam certamen ſuſcipiens, eo beneficio vnam ex illis meruit habere vxorem filiam

sacerdotis, tandē prouectus ætate & sapientia, agnoscens genus suum de gente Hebræorum, reuersus est in Aegyptum & renunciata Aegyptia nobilitate, confortatus à Deo, ducem se præbuit populo Israël, & multis miraculis eduxit illum de Aegypto, cumque peccasset populus aduersus Deū in vitulo aureo, iratus Moyses iunxit sibi viros fortes filios Leui, & præcepit illis, inquiens. Ponite gladios super femur vestrum, & euntes & redeuntes occidat vnusquisque fratrem & amicum & proximum suum, factaque hac memorabili cæde quasi viginti trium millium hominum benedixit illis, inquiens: consecrastis manus vestras hodie in sanguine, vnusquisque in filio & fratre suo completaque est benedictio Iacob & Simeō & Leui vocantis eos vasa iniquitatis bellātia, quorum furor maledictus & pertinax, & indignatio dura.

In.

nho citaq; insigni parricidio initiũ cœpit nobilitas in Israël: nunc enim constituit illis Moyses principes, & duces, & capita exercitus tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos viros belli cosos, & pugnatores egregios per tribus & cognitiones suas: è quib. qui bello & fortitudine alios præcellere videbatur, huic tribuerũt principatũ iudicandiq; potestatẽ. Regẽ non enim habent, sed iudicibus regebãtur, à quibus Iosue vir nobilis, robustus & bellicosus victor regum, & nõ timens quenquã post Moysen tenuit principatum, post cuius obitum sine principe sub democratia vixerunt, sed seditiosi facti pugnarunt in se inuicem & prope deleuerũt tribum Beniamin, vt non supercssent nisi sexcẽti viri. Cumque abiurassent illas filias suas, datæ sunt illis quadringentæ virgines captiuorum Iabis Galaad, reliquis ducentis

permissum est rapere virgines à Si lo. Atque hoc modo impleta est benedictio nobilitatis Beniamin, in imagine lupi manè rapientis præ dam, & vesperè diuidentis spolia. Post hæc rursus ad aristocratiam & principũ regimen cõuersi sunt, è quibus tandem Abimelech spurius Hieroboal de tribu Manasse, interfectis solenni parricidio su per vno lapide septuaginta fratribus suis legitimis primus regnum obtinuit in Sichem. Porrò vniuer so populo Israël petente sibi regẽ, in furore domini dati sunt illis re ges pauciſsimi quidẽ boni, plures autem mali. Iratus enim est dominus, & dixit illis ius regis, quia tol leret filios & filias eorum, faciens sibi aurigas, panificas, & agros, & greges, & prædia, & seruos & an cillas, & optima quæque illorum pro libito addecimaret sibi, & di stribueret seruis suis, populumque totum seruitutis premeret iugo,

&

& quoties rex peccauerit, & iniquè egerit populꝰ plecteretur pro eo. Constituit autem illis regẽ adolescentem de tribu Beniamin, nomine Saul, virum fortem robore, statura procerum, adeo vt ab humero sursum, altior esset omni populo, incussitque Deus timorem omnibus vt eum quasi ministrum domini venerarentur. Hic antequam regnare cœpisset, tanquam filius vnius anni innocens erat, & optimæ indolis: adeptus autem regni nobilitatem, effectus est vir nequam, & filius Belial. Sustulit ergo Deus regnum de domo Saul, & dedit illud Dauid filio Isai de tribu Iuda. Atq; hic è pastore ouium constitutus rex, eadem nobilitatis pestifera contagione infectus, factus est homo peccati, sacrilegus, adulter & homicida, tamen nõ declinauit misericordia Dei ab illo. Regnauit autem ab initio in Hebron, quum Hisboseth filius

Saul regnaret post Iordanem, tandem confirmatum est illi regnum vniuersi populi in Hierosolymis. Veruntamen pacificam Israëlitarum monarchiam nō obtinuit. nā eo viuente, filius eius Absolon, regnum inuasit in Hebron, quo occiso, rursus inuasit regnum Siba filius Bochra. Porrō ambiuit regnū filius Dauid, Adonias ipse autem Dauid moriturus hæredē instituit minorem natu Salomonē filium Bethsabeæ adulteræ, atq; hic primus Hebræorū monarchiam obtinuit, quam Adoniæ fratris natu maioris parricidio cōfirmauit, adeptusq; rerum summā etiam ipse â via recta declinauit post mulieres in fornicationes & idololatriā, derelinquens legem Dei: successitq; illi filius malus Roboam, etiā ille nequam & peccator aduersus Deum: ideoque scissa est ab eo monarchia populi, & defecerunt ab eo decem tribus, & constituerunt sibi

sibi regem Hieroboam virum nequissimum de tribu Dan, qui venenauit totũ Israël, abducens decem tribus ad idololatriã, erectis vitulis in Samaria, vt impleretur benedictio inquiens: Dan coluber super viam, cerastes super semitã, mordens calcaneum equi, vt cadat sessor eius retrorsum. Tribus autẽ Iuda quieuit sub semine Dauid, quemadmodum benedixit illi Iacob, non auferendum sceptrum à Iuda, donec veniret Messias. Erat autem illi Iudas filiorũ Iacob pessimus, & in nurũ suam incestuosus. erantque illi filij nequissimi & scelestissimi: quocirca benedictionẽ nobilitatis accepit in sceptro regni & fortitudine leonis, tandẽ quoq; recesserunt à regibus Israël populus Edom & Lobne, & constituerunt sibi reges pro arbitrio suo, quemadmodum benedixit Deus Esau de excutiendo iugo. Inter omnes autem reges Iuda & Israel

vix quatuor inuenti sunt boni. Exactis itaque regibus, cum tota nobilitate, Iudæi in captiuitatẽ & seruitutem in Babyloniam traducti sunt: iterumque post multa tẽpora miserante Deo reducti in Hierosolymam, aliquandiu sub sacerdotibus & optimatibus, & populari magistratu rempublicam suam feliciter administrarunt, donec Aristobolus Hyrcani filius diadema sibi imposuit, regumque Iudęorum & matris & fratrum parricidio refecit, quod deinceps per plures reges, postremo sub Archilao insolenti & obscœno rege finiuit, Iudæa tota in Romanorum prouinciam redacta, ac tandem sub Tito & Vespasiano deleta, vniuerso populo per vniuersum orbem ad hũc vsque diem in perpetuam seruitutem relegato. Hæc itaque ex sacris literis prosequi libuit, vt ostenderem ab initio mundi nullam fuisse nobilitatem quæ non scele-

scelerati habuerit initium, etiam in populo Dei, nec aliud esse nobilitatem, quam gloriam & præmium publicæ iniquitatis: in qua quò pollutior vita, eò præclarior: quo plus scelerum, eò plus præmij & gloriæ, sicut non insciè comprehensus Diomedes pirata ille ait ad Alexandrum, inquiens: Ego quia vno nauigio latrocinor, accusor pirata: tu quia ingenti classe id agis, vocaris imperator: si solus & captiuus esses, latro eris, si mihi ad nutum populi famulentur vocarer imperator. Nam quo ad causam non differimus, nisi quia deterior est, qui capit improbius, qui iustitiam abiectius deserit, qui manifestius impugnat leges. Quos enim ego fugio tu persequeris: quos ego vtcunque veneror, tu cõtemnis, meæ fortunæ iniquitas & rei familiaris angustia, te fastus intolerabilis & inexplebilis auaritia furem facit. Si fortuna

tuna mea mansuescere t, fierè fortè melior: at tu quo fortunacior, nequior eris. Miratus Alexander hominis constantiam, iussit adscribi militiæ, vt posset deinde saluis legibus militare, hoc est latrocinari. Iam verò progredientes ad ethnicorum historias, similiter ostendamus ipsam nobilitatē non aliud esse quàm improbitatē, furorem, latrocinium, rapinam, homicidiū, luxum, venationem, violentiam à pessimis vbique principijs ortam, peioribus prosequutam, turpissimum semper habuisse exitū: quod in illis quatuor famatis monarchijs, deinde in cæteris quoq; nobilium regnis constabit. Prima itaque post diluuium monarchia fuit Assyriorum, cui initium dedit Ninus primus, qui prior omnium nō cōtentus suis limitibus, propagandi imperij libidine arma foras extulit, & cruenta bella vicinis inferens, totius Orientis populos subegit,

egit, magnitudinemque quæ sui imperij, sequẽtibus semper nouis victorijs, continua prouinciarum accessione, adauxit, subacta Asia perdomito Ponto. Porrò Zoroasten Bactrianorum regem parricidiali pugna oppressum interfecit. Vxor erat Nino nomine Semiramis, hæc (vt refert Dinon historicus) petit à viro, vt quinque dies impetraret: quo cõcesso impetratoque, stolam ac coronam sibi aptauit, ac in sellam regiam conscendit, imperauitq; satellitibus vt Ninum virum suum regijs ornamentis exutum interficerent: quo sic extincto, ipsa succesſit in imperio: nec contenta regni terminis, Aethiopiam imperio suo adiecit, in Indiam bella extulit, Babyloniam muro augustissimo cinxit, postremò à filio Nino secundo, quem flagitiose cõceperat, impiè exposuerat, incestuose cognouerat, occiditur. His itaque paricidijs Assyriorum

rum monarchia obtinuit principatum, donec sub Sardanapalo rege viro omni mulierecorruptiore deficeret, quem Arbactus Mediæ præfectus inter scortorum greges comprehensum interfecit, ipseq; se constituens regem, imperium omne ab Assyrijs transtulit ad Medos, idque Cyrus tandem detulit ad Persas, penes quos filius eius Cambyses nouæ Babylonis conditor, adiectis multis regnis, secundam monarchiam obtinuit, quam & fratris & filij parricidio consecrauit; hæc tandem in Narso Ochi filio inclinauit, cui, interfecto eo abs Bageo Eunucho surrogatus est Darius Persa Arsoi filius Gademanus antea vocatus, qui abs Alexandro Magno deuictus, Persarum monarchiam simul cum vita finiuit, quam idem Alexander paternæ cædis vnà cum adultera matræ conscius & consultor hoc ipso famoso parricidio transtulit in

in Macedonas atq; hæc tertia fuit monarchia, quæ extincto Alexandro mox & ipsa corruit. Successit quarta Monarchia Romanorum, qua nulla in rebus humanis potentior, sed si temporũ series abs vrbe condita repetatur, illam inuenimus à pessimis initijs ortam, & à pessimis frequentius gestam, ideoque hæc nobis paulo altius, & à primis vrbis conditoribus repetenda est. Vrbs Roma à geminis fratribus Remo, & Romulo ex incestuosa Vestali genitis, à meretrice educatis, in Italia primum condita est: cuius regnum Romulus parricidio fratris instar Cain vitiauit. Cumque se deorum filium dici pateretur, collecta sceleratorum satellitũ manu, promissa illis impunitate, rapuit filias Sabinorum & constituens illis vxores ex omnibus quas elegerant, genuerũt gignantes, illos inquam, Romanæ nobilitatis reges atque

pro-

proceres toto orbi formidabiles. Iamq; Sabinorum fœminis & filiabus fraudulento fœdere proditorioque ludo pellectis, nefariè raptis, crudelibus nuptijs sibi suisq; sociatis parentum ac maritorum nece obtentis, nonis insuper parricidijs defendit: Nam soceri sui sanguinis incontinens, etiam Titum Tacium, pium senem Sabinorum honestissimum ducem, in societatem regni assumptum miserabiliter occidit. Hæc fuere Romani regni primordia, quod per ducentos quadraginta tres annos sub crudelibus regibus rectum, sub Tarquinio Superbo flagitio stupratæ Lucretiæ desiit. Et quemadmodũ successio Cain in septenaria generatione perijt sub diluuio aquarũ: sic & isti Romuli successores in septenario regum numero à populari tumultu obruti sunt, & licet Romana vrbs regum exuisset imperium, non tamen cuasit tyranni

dem.

dem. Exactis namq; regibus, cum post tumultuantis populi inundationes, regnum ad optimates trâslatum esset, Brutus quidam vir nobilis, primus Romanorum consul dignatus est. Hic quo tantum stabiliret imperium, primum illius conditorem regemq; Romulum, non solum exæquare parricidio, sed & vincere studuit, quippe duos filios suos adolescẽtes, totidẽq; vxoris suæ fratres Vitellios, medio foro virgis cæsos securi percussit. Cumque imperium hoc sub optimatibus & plebe per diuersos magistratus, priuatasque tyrannides, permulta secula stetisset, sub Iulio Cæsare, viro difficile dictu an bello fortiore aut libidine corruptiore, atq; deinceps sub Antonio identidem libidinis mancipio terminauit, totaque Romani imperii summa vni Octauiano Augusto Imperatori collata est, in hoc quarta illa orbis monarchia initiũ cœ-

Pit,

pit. Neque verò absq; parricidio, quamuis Augustus hic principiũ omnium mitissimus haberetur, tamen auunculi Cæsaris, à quo adoptatus fuerat in imperium & hæres institutus, filium atque puellã ex Cleopatra susceptas proles interemit, neque nomini, neq; beneficio, neque affinitati, neque pueritiæ parcens. Iamque Romanorum principes orbis monarchiam tenuerunt, atque Neronem, Domitianum, Caligulam, Heliogabalũ, Galienum, aliaque crudelitatis & turpitudinis monstra produxerunt, sub quibus totus orbis concussus est, quousque Magnus ille Constantinus interfecto Maxentio, qui ob libidinem & crudelitatẽ Romano populo infensus erat, à Senatu Augustus declararetur. Hic cùm Byzantium instauraret, vrbemque Romæ æmulam faceret, atque exinde nouam Romam & ex nomine suo Cõstantinopolim

lim vocari iuberet, hanc Imperatorum sedem esse voluit, Romanũq; imperium transtulit ad Græcos, ipsumque Cõstantinopoli, quemadmodum Romę Romulus, duorum Liciniorum, sororis suæ viri & filij propriæque prolis & vxoris, parricidiis sacrauit: perstititq; imperium apud Græcos vsque ad tempora Caroli Magni, in quem nomen duntaxat imperij translatum est ad Germanos. Sed hæc de monarchijs hactenus. Cæterorum aliquot regnorũ initia finesq; perscrutemur, & comperiemus auspicijs non melioribus incepta nec inferioribus flagitijs parta, nec minori luxu rursus dissoluta. Præteream Dardani parricidia, & quo facinore ille persuasus in scelus Achiuis, Græcorum regni initia dedit. Taceo etiam mulierum imperia virorum parricidijs parta, quemadmodum de Amazonibus narrant historiæ. Ad recen-

recentiora tempora nostraque cõ
finia vadamus. In Hispania tẽpore
Theodosii imperatoris primus re-
gnauit Atanaricus Gothus, sed eo
tempore etiam Alani & Vuandali
Hispaniam possidebant. Primus
autem ex Gothorum regibus Hi-
spaniæ monarchiam adsecutus est
Suytilla, quam postremò Roderi
cus Rex, quòd filiam Iuliam Tingi
tanæ prouinciæ præfecti stupras-
set, amisit, finem adferens Gotho
rum imperio, Saracenis Hispaniã
occupantibus deinde sub Pelagio
rege, recuperatis aliquot locis, tũc
primum Hispaniæ reges, at non
vltra Gothorum dici cœperunt,
titulo regni apud Legionem oppi
dum manente, vsque ad tempora
Ferdinandi Sanctij filii, qui primũ
se Castellæ regem pronunciauit,
ac interfecto fratre Garsia, eo par
ricidio etiam Nauarræ regnum
adiecit. Illorum autem frater Ro
manus, quem pater illorum ex

concu

concubina genuerat, vir bellicosus & ferus, primus Aragonensium rex euasit. Lusitanorum autem rex primus fuit Alphonsus, Henrico Lotharingo, & Tyresia Alphonsi castellæ regis nothafilia genitus, vir in armis strenuus, & qui quinque Saracenorum reguloſ vno prælio superauit, hinc quinque scutorum insigne Lusitanorum reges ferunt in clypeis: fuit tamen Alphonsus hic in matrem parricidialis animi, quàm propterea quòd secundario nupsisset, in perpetua vincula coniecit, vt nec dimitteret vllis precibus flecti, nec ecclesiasticis censuris impelli potuit. Denique omnia hæc Hispaniarum regna, aut ingentibus sceleribus parta sunt, aut illis artibus confirmata. Iam verò & Anglorum regni pia initia ferè fabulosa sunt. Deinde hæc insula varijs sub regibus, & à multis gentibus Pictis, Scotis, Danis.

Saxonibus passim habitata, & sub acta. Postremò sub Guilhelmo Normanno monarchiam obtinuit quietam, quam ille Atolli regis Vuestosaxonum cōsanguinei sui parricidio, sibi posterisque suis confirmauit, cuius successio manet in huuc vsque diem, semper famosis parricidis admodum insignis. Transeo Burgundiorum & Lombardorum regna, experitissimis Germaniæ populis in Gallia & Italia, hinc rege Gondaicho, inde verò Alboyno primum incepta crudelissimisque parricidijs propagata, Francorum in Gallia potentissimum regnum spectemus. Huius prima initia à Pharamundo Merouei ducis filio ortum habent, qui primus è Germania in Galliam migrans, primus rex constitutus est Francorum, omni crudelitate & truculentia superior. Huius series duravit vsque ad Childericum tertiū, qui

qui ob segnitiem in administranda republica, & propter libidinem in matronas dejectus regno, in cœnobium monachorum detrusus est, Pippino maiore domus in regnum surrogato, quod ille sibi posterisque suis proditione partum, insuper Gritonis fratris parricidio stabiliuit, vsque ad Lodouicũ sextum Lotharij filiũ, qui ob adulterij crimen à Blancha coniuge veneno sublatus est, inuadente Francorum regnum Hugone Capeto, viro gladiatore & sanguinolento, strenuoque pugnatore, & qui his artibus apud Parisiensem populum magnus habitus est, alias verò ignobilis atque è lanione progenitus. Hic contra Carolum Lodouici patruum ac verum regni hæredem rebellis, collecta sceleratissimorũ nebulonum manu acieque pessimorum satellitum, dictum Carolum apud Aurelianum sibi in manus

proditum in carcerem coniecit ibiq́ue mori compulit, quo nefandissimo, in regem & principem suum perpetrato parricidio, & ipse sibi diadema imposuit, & carnificina pro regno commutata, Gallis deinceps cum posteris suis imperauit : Cuius successio in hunc vsque diem durat, donec illa rursus in aliquo meretricum libinis mancipio ruitura sit. Nimis longum foret hoc loci regnorum omnium initia recensere, & per omnes antiquitatum historias discurrere. Ego hanc rem quam hic summario cōceptu tetigi ampliore volumine descripsi alibi, ipsam nobilitatem suis coloribus & lineamentis exactè expressi, ostendiq́ue non fuisse nec esse aliquod in orbe regnum insignémve principatum, quæ non inceperint parricidio, proditione, perfidia, crudelitate, strage, cædibus, alijsq́ue horrendis sceleribus, artibus in-

quam

quam nobilitatis, cuius cùm talia sint capita, facile cognoscere poterimus, cuiusmodi sint reliqua belluæ illius membra, eaque omnia ad violentiam, ad rapinam, ad cædem, ad venationem, ad libidinem & omnis generis luxum prona & exercitata. Velit quis nobilis fieri primum venator fiat: hoc primum elementum est nobilitatis, deinde miles mercenarius, & precio locet homicidia, hæc vera nobilitatis virtus, in qua si se fortem latronem exhibuerit, nulla maior nobilitatis gloria. Qui ad hæc ineptus est, hic nobilitatem emat pecunia: siquidem, & ipsa etiam venalis est: aut si id non poterit, parasitetur regibus aut alia quauis aulica fraude se intrudat & palatinarum meretricum lenonem agat, aut principi prostituat vxorem vel filias, aut ipse dominarum expleat libidinem, aut regio scorto nubat, aut eorundem spurias

filias ducat vxores, hic summus est nobilitatis gradus: vnum siquidé corpus efficitur cũ illis. Hæc sunt itinera, hæ scalæ, hi gradus, quibus ad nobilitatis apicem compendioso tramite conscenditur. Qui verò cæteris generosiores, & ingenere sui nobilissimi omnium videri volunt, progenitores iactant eiusmodi, cuiusmodi nemo non contemneret, videlicet homines alienos, Troianos & Macedones, incertis sedibus vagabundos ac transfugos, & mille scelestissimis facinoribus coopertos, atque adhuc (si dijs placet) laudare oportet & extollere hanc eorum nobilitatem, quæ tam scelestissimos habuit ortus. Alij cum à meretriculis & scortis ortũ habuerũt, turpitudinẽ hanc fabulas regũt, qualé de Melusina legimus. Sũt qui alios sceleratos habuere ortus, incestus, stupra, rapi9, adulteria & eiusmodi. Sic Balduuinus ob raptam Iu-

Iudith filiam, à Carolo Caluo primus Flandriæ comes creatus est. Sic Marchiones illi Pedemontium, videlicet montis Ferrati, Salutiarum, Senæ, & cæteri multi ab Othone imperatore ob raptam filiam instituti sunt. Solent enim nonnunquam reges & imperatores, quas sine summa verecundia iniurias vlcisci nequeunt, dignitatis aliquo titulo perducere ad gloriam. Porrò quatuor principalia sunt nobilium istorum munera, in quibus omnis eorum sita est felicitas: Primũ illorum rapacitas, qua præter fas & æquũ habẽt capiunt & possident: alterũ voluptas, qua omni luxus & libidinis genere insolescunt: tertium libertas, qua contemptis legibus, violentię viribus stipati, omnia pro libito agũt: quartũ ambitio, qua intumefacti, supra sortẽ & statum suũ nullo nõ scelere altiora petunt. Omnium denique nobilium sufficientia

in eo probatur, si venaticam nouerint, si in alea fuerint damnabilius instituti, si corporis vires ingentibus poculis commonstrent, si naturæ robur numerosiore Venere comprobent, si audacter strenueque profundant, si fastu, si luxu, omnique intemperantiæ dediti, virtutumque hostes obliuiscantur, quod nati, quodque morituri sint. Nobiliores autem, si hæc pernicies à patribus emanarit in filios, magnisque subintrarit auctoribus: vt,

Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo.

Hæ sunt nobilium insignes virtutes. Sed habent præterea alias quasdam nobilitatis artes, quibus cum maximè omnium nocentissimi sunt, id agunt, vt viri probi atque boni esse videantur, & prudentia libertate, pietate, iustitia, insi-

insignes appareant, adeò se præbent faciles, beniloquos, affabiles, & omnium virtutum hypocrisi claros, molliunt sermones suos supra oleum, & ipsi sunt iacula, conquisitis quotidie conuiuis epulantur splendidè, in sermone & colloquijs liberiores disputant de republica, aliorumque sententias captantes, ex illis sapientiæ prudentiæque famam in principum concilijs sibi aucupantur, liberalitatis etiam famam sibi ex auaritia vsurpant, dum quod auferunt vni, dono dant alteri munifici prædones, & quod veteres de Sylla scribunt alios per aliorum iniuriam locupletare studentes, ipsi inter quotidianas rapinas semper inopes. Proinde iustitiæ & pietatis nomen sibi venantur, dum pauperum quæstiones libenter suscipiunt, fouentque eorundē causas contra ditiores, sed eousque duntaxat afflictis illis succurrunt,

dõnec interim exhauriunt locu-
los pleniorum. Neq; enim animus
est prodesse pauperibus, sed noce
re diuitibus, quod cuiuis illorum
facilius est quàm prodesse, atq; hac
iustitiæ pietatisque vmbra tantam
sæpè licentiam sibi arrogant, vt ci-
uitatibus & potentioribus vim in-
ferãt, & publica hostilitate vexẽt,
& vndè legum authoritate nullis
sperare licet, veniã isti nobilitatis
prætextu assequuntur gloriam, &
tanquam antiqui gigantes glorian
tur in peccatis suis, & cum veluti
mali dæmones vndiq; quærunt, vt
noceant, tũc maximè prodesse pu
tantur, quando solum nocere de-
sistunt, agẽtes vt omnibus sint ter
rori, amentur à nullo, cum scelera
tis & flagitiosis omnibus ponẽtes
portionem, & qui se custodiæ eo-
rum tradunt, depopulantur & op
primũt. nec vllum hominũ genus
ciuitatibus pestilentius, quam nobi
les isti, qui sibi ipsis placentes, quasi

cæte-

cæteris generosiores, semper superbo spiritu turgent. De quibus idcirco non malè consulit Aristophanes, inquiens. non oportere in vrbe nutrire leones, sin autem alti sunt, obsequi illis oportere. Horũ tyrannide oppressi olim Heluetij, nobiles ómnes occiderunt & totá eorum progeniem patria extirpauerunt, hæc insigni nobilium strage, nomen sua virtute celebre cũ libertate adepti sunt, qua plus quadringentis annis in hunc diem feliciter imperant atque regnãt, semperque hoc nobilium hominũ genus oderunt. Olim nulli erant populis gratiores, nec maioribus prę mijs digni censebantur, quàm qui tyrannos eorumque stipatores & satellites etiam vel innoxios liberos interimerunt. quin & iurisconsulti docent nonnunquã innoxios rectè occidi posse, si id magnopere prosit Reipublicę, vt extincto tyranno, & liberos trucidare, ne

repullulet noua tyrannis: quemadmodum & Græci post euersum Ilium, occiderunt Hæctoris filium Astyanactem, ne noui belli staurandi occasio supereſſet. Legamus liceat veterum temporum historicos, Titum Liuium, Iosephum, Egesippum, Quintum Curtium, Suetonium, Tacitum, Serenum, Tranquillum, & reliquos, semper licuit tyrannis insidiari, licuit decipere, honestissimum autem occidere, etiam vel veneno tollere, cuiusmodi Tiberius à Iulio tertius imperator peremptus est: sed cum veneficium detestabile semper fuerit, venenum quo ille extinctus est, orbis censuit esse vitale. Attestantur istis etiam sacræ literæ in Eglon, in Sisara, in Holoferne, quos interemerunt Aioth, Iahel, Iudith: quod etiam coram Deo licuit, occisis quoque facinore tyrannis iugum excutere omnesque illi quorum facinore affli-

ctus.

ctus populus liberatus est, sacris bibliorum annalibus pro ministris Dei honorati sunt. Iam verò nobilitatem non tam vsu & consuetudine, quàm etiam natura malâ esse non ambigimus: siquidem inter aues & quadrupedia nulla alia nobilitatis prærogatiuam habent, præter illa quæ cæteris animantibus etiam hominibus non tam infesta, quàm exitio sunt, cuiusmodi aquilæ, vultures, falcones, accipetres, corui, milui, struthiones, & fabulosæ harpyæ, gryphi, syrenes, & huiusmodi monstra. Simili ratione tigrides, leones, lupi, pardi, vrsi, apri, dracones, serpêtes, bufones. Ex arboribus verò nullę aut paucæ dijs sacræ & nobiles habentur, nisi quæ aut steriles sunt, aut nullũ hominibus edibilem fructum ferunt, vt quercus, esculus, fagus, laurus, myrtus. Inter lapides non marmora, non ædiles, non molares, sed gemmæ, quæ nullum ho-

minibus vtilitatis vsum præbent, habentur nobilissimę. Sic & in metallis, argentum admodum pernicioſum, & ferro nocętius aurum, nobiliora ſunt, & digna habita, pro quibus tot cædibus & humani ſanguinis diſpendio populi dimicent.

DE ARTE HERALDICA.

CAP. LXXXI.

ATque hinc proceſcit heroica illa heraldorũ ars & Philoſophia in cenſendis diſtribuendiſque iſtis nobilium clypeis admodum occupata: quos aut iumentum, aut vitulum, aut ouem, aut agnum, aut caponem, aut gallinam, aut anſerem, aut aliquot horũ animantium, quę hominibus ſeruitute vel vſui neceſſaria ſunt, in armis geſtare nefas eſt, & infame, ſed omnes à crudelibus beluis & rapacibus feris nobilitatis ſuæ inſignia auſpicari oportebit. Sic Romani aqui-

aquilam, auium omnium rapaciſſimam ſibi delegerunt. Phrigij ſuem pernicioſum animal. Thraces martem, antiqui Gothi vrſam. Alani Hiſpaniam inuadentes, catum rapax ſimul & fraudulẽtum animal. Franci veteres leonem, eundem etiam Saxones: ſed deinde ſumpſerunt Franci in Gallia commorantes bufones. Saxones verò equũ bellicoſum animal. Cimbritaurũ ferebant, fortitudinis & roboris ſignaculum. Antiocho regi aquila draconem vnguibus deferens in ſignaculum erat, Pompeio autem enſifer Leo. Attilæ coronatus aſtur. Quin & Romanii ipſi, quibus anſeres pro capitolio vigilantes ſalutem cõtra Gallos præſtiterunt, ne tanto quidem beneficio induci potuere, vt anſerem inter inſignia referrent. Fortè Gallum & hircum, ſunt qui admittunt clypeis, ſiquidem hæc animalia conſtat ſuperba & luxurioſa eſſe, quæ

etiam

etiam præcipuè nobilium dotes sunt. Eadem ratione & pauonem recipiunt propter fastum: & vpupam, quæ ipsa etiam quid regium habere videtur, & coronam gerit: nec obest nobilitati, quod nidificat in excrementis. nam ipse quondam Vespasianus imperator etiam ex lotio vectigal accepit, inquiens: Lucri non esse malum odorem. Iamque etiam pleraque minuta animalia in istis nobiliũ imaginibus prærogatiuam habent, si modo exitij alicuius documenta sunt, alias non admittenda. Ex horum numero sunt cuniculi, talpæ, ranæ, locustę, mures, serpentes, salpegæ, scolopendræ, à quibus (Plinio autore) aliquãdo abactos populos, & deletas ciuitates creditum est: atq; eisdem rationibus nos illis etiam culices, cimices, muscas, quin & si velint vesicas, tabes, hulcera, pestes, libentissimè concedemus: quippe istis olim Aegyptus.

ptus sub Pharaone & Moyse flagellata est, & hodie etiam nobiliores habentur, qui præ cæteris ornantur scabella gallica. Sunt etiam qui enses, pugiones, macheras, bipennes, scorpiones, turres, arces, machinas, ignes & quæuis alia homicidiorum & perniciei instrumenta clypeis suis ingerunt. Quin & Scytharum fulmen, Persarum, arcus & pharetrę, Corallorum rotę insignia fuerunt. Similiter inter diuos, Iuppiter fulmé, Neptunus, tridentem, Mars frameam, Baccus thyrsum, Hercules clauam, Saturnus falcem sibi delegerunt. Atque hæc armorum insignia quæq; pro suæ crudelitatis, rapinæ, violentię, fortitudinis, temeritatis, cæterarumque nobilitatis virtutum expressione (heraldis decernẽtibus) alia alijs censentur nobiliora. Quæ verò clypea ijs carent, & mitiora quædam, vt arbores, flores, stellas & eiusmodi, exprimunt, vt Apollinis.

linis cythara, & Mecurij caduceus, aut sola colorum varietate dinstincta sunt, hæc prioribus illis multo recentiora minusque nobilia sunt, quia non censentur hæc vlla militæ fortitudine alióve sanguinis aut exitij artificio fuisse conquisita, mirum tamen quàm stulta sapientia in istis astrologicantur, philosophantur etiam & theologizãt paludati isti heraldi, dum fuscum & nigrum Saturno assignant: idcirco perseuerantiam, taciturnitatem & patientiam illi adscribentes, saphyreum autem & azurinum fidem, ac iuxta Gallorum opinionem zelum significare volunt, Iouem illi præponentes. In rubro irã vindictamque exponunt, ob furibundi Martis dominium, Auri flauus color Soli dicatus, hunc ob sui metalli precium, atq; solis lucidissimum splendorem, desiderium ac lætitiam significare dicunt. Venerem præficiunt purpureo ac viri-

di-

di purpureum roseo nitore arridentem amorem significare dicũt, sed Galli proditionis austutiam illi adscribunt. Viridis autem omnium consensu spem denotat: virescẽtibus enim agris, fructus speratur. Albus color, lunæ adscribitur, qui cum sine mixtiõe simplex sit, omnis tamen mixtionis facilè susceptiuus: puritatem, simplicitatem, aptitudinem signare volũt. Cæteros omnes mixtos colores adiudicant Mercurio, qui vt ipse vagus est & varius, ita omnes illos varietatem animi exprimere. nam cineritius nigro vicinior, angustiam: carneus quasi remissi sanguinis, occultum animi dolorem, vel secretum absconditumque cogitatum: paleatis verò & clarus & obscurus velut decidentium foliorum, & arescentium herbarum, desperationem & suspicionem pro significatis habent. Longũ esset referre, eiusmodi nænias, ex-

ex humoribus, & cõplexionibus & temporibus anni, mensibus & diebus, mundi angulis ac ventis, signis, planetis, plantis, lapidibus, ipsisque Ecclesię Sacramentis & mysterijs huc affingunt, & ferè totam Apocalypsim ad has fabulas suas demigrare coguntur. Atque hęc est illa heroicorum heraldorũ heroica Philosophia. Hic finem facturus eram huius negocij, nisi occurrisset mihi præteriisse me heraldorum originem: hunc itaque sermoni huic appendere libet: Heraldos ab heroibus deducit Aeneas Syluius. Erant autem Heroes veterani milites, quos solos heraldos esse decent, atque sic herald, Teutonicum vocabulum significat, videlicet, senem in armis, siue veteranum militem. Sed hodie seruiles quidam homines, caduceatores & nuncij feciales, etiá qui nunquam militauerunt, id officij assequuntur. Priuilegia autẽ officiaq;

heroaldorum ex antiquissimis seculis in hunc vsque diem durati. Primus eorum author fuit Liber pater, qui subacta India illos in hęc verba initiauit: Ego vos hodie militiæ laboribusque absoluo, veteranos milites esse volo, heroasque vocari: munus vestrum erit reipublicę consulere, fontes arguere, laudare probos: cæteris muneribus vacabitis, quocunque gentium terrarumque veneritis, victum vobis reges vestitumq; dabunt, honoratiores apud omnes eritis, xenia vobis principes offerent, suasque vestes condemnabunt, itabit fides dictis vestris, mẽdacia horrebitis, proditores iudicabitis: qui fœminas male habent, infames hos asseuerabitis: in omni terra libertas vobis esto, securusq; vobis trãsitus & incolatus. Si quis vos, vestrumque verbo factóve angariauerit quempiam gladio ferietur. Adiecit post multa tẽpora

illis

ſtis heroum priuilegijs Alexãder Magnus, vt auro, purpura, coccineiſque veſtibus & paludamentis vti poſſent: quin & arma regia & inſignia deferre, quouis gentium terrarumque loco fuerint. Si quis hos manu pulſaſſet, aut verbo læſiſſet, eum proſcriptis bonis etiam capitis reum eſſe. Sic Thucididé, Herodotũ, Didymum, Megaſthonem, & Xenophontem tradere idem Aeneas refert. Tertiò deinde Octauianus Auguſtus, conſtituta Romana monarchia, illos hac lege decorauit: Quiſquis es qui per decennium nobiſcum militaueris, ſi modò quadragenarius fueris, ſiue eques, ſiue pedes ſtipendia meruerit, militia poſt hac vacato, heroes eſto veteranuſque miles: nemo te ciuitate, foro, templo, hoſpitio, domo prohibeat: nemo tibi crimen adſcribat, onus imponat, pecuniam ex te quærat: ſi quid peccaueris, ſolam Cæſaris vindictam exſe-

expectato, quicquid turpitudinis admiserint homines, te iudicem propalatoremque timeat, seu priuati, seu principes fuerint: quod dixeris affirmaueriſque, nemo falſum arguet, libera & aperta tibi omnia itinera locaque ſunto, in ædibus principum menſa tibi cibi potuſque eſto, ſtipendia quibus te tuamque domum ſerues, ex publico quotannis habeto: quá legitima facie duxeris vxorem, cęteris fœminis pręferatur: quem exprobaueris infamemq; dixeris, hic reprobatus homo & infamis eſto, arma inſignia, nomina & ornamenta heros terto, quę reges decent, quæ dicere aut facere velis, vbiuis gentium, locorũ nationumq; facito. Si quis iniurius fuerit, ceruice careto. Poſtremò Carolus magnus trállato ad germanos imperij nomine, poſt deuictos Saxones & Lógobardos Cęſar & Auguſtus appellatus, illos hoc honore donauit,

in-

inquiens: Milites mei vos heroes vocabimini, socij regum & iudices criminum, viuite post hac laboris expertes, consulite regibus publico nomine, turpia corripite, fauete fœminis, iuuate pupillos, concilio circundate principes, ab his victum, vestitum, stipẽdiumq; petite: si quis negauerit, inglorius, infamisque esto: si quis iniuriam vobis intulerit, reum se læsę maiestatis agnoscat: Vos autem caueritis, ne tantum decus, tantumque priuilegium iusto bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut scurilitatis, aut alio quouis vitio maculetis, ne quod vobis largimur ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forsitan excesseritis, nobis & successoribus nostris Romanorum regibus, perpetuò reseruamus. Atq; hæc est Heraldorum magnificentia, quibus antiqua consuetudine temporum magnos sese estimant,

quia

quia impune maximis obtrectatore illis permissum est.

DE MEDICINA IN GENERE.

Cap. LXXXII.

SEd iam à militia & nobilitate ad medicinam properemus, quæ ipsa etiam quædam homicidiorum ars est, prorsus mechanica, licet philosophiæ titulo se traduci posse præsumat, ac supra iuris prudentiam proximas theologiæ sedes ambiat, vnde maxima inter medicos & iuristas contentio est, Argumentantur enim medici: Cum triplicia sunt bona ex ordinæ, animæ, corporis, fortunæ: priora curat theologus, secunda medicus, tertia iuriscõsultus, hinc medicis medias quoque sedes deberi supra iurisconsultos, quantũ corpori robur & sanitas, fortunæ diuitijs præstat. Sed hanc litem ne-

scio quis prætor lapid interrogatione diremit, quæsiuit enim ex litigantibus illis, quis mos & ordo seruaretur in educendis ad supplicia reis, vter præcederet & sequeretur, latrone an carnifex? Cũ responderent, præcedere latronem, sequi autem carnificem, dedit ille sententiam: præcedãt ergo iuristę, sequantur medici: horum insigne latrocinum, istorum temeria homicidia notans. Sed ad medicinam redeamus, eius plures hæreses sunt: Nam est vna quam rationalem, siue sophisticam, siue dogmaticam vocant, eamque Hippocrates, Diocles, Chrysippus, Caristinus, Paraxagoras, & Herosistratus secuti sunt, quam etiam Galenus his longo tempore posterior adprobauit, qui præ cæteris insequutus Hippocratem, totam medendi artem ad causarum agnitionem, signorum notitiam, rerum qualitates, & corporum diuersas habitudines

nes gradus que reuocauit. Sed hęc hæresis cum circa voces potiùs quàm circa res ipsas versetur, naturalis philosophiæ fateor non infima pars est, medendis tamen ægrotantibus non admodum necessaria, ne dicam vel perniciosa, vt quæ hominum salutem sanitatemque ad contorta quædam sophismata relegat potius quàm ad syncera, quibus morbis mederi possit medicamina & scholasticis syllogismis occupata, solitudinum & saltuum hortorumque nescia, ignorat herbas & medicinam: quocirca Serapion hanc rationalem medicinam nihil ad medendi artem pertinere profectus est. Est itaque alia medicęs factio prorsus quæstuaria & mechanica, à qua vsque in hunc diem medici suum nomen habent. Hanc idcirco operatricem vocant, in empiricam & methodicam dispartitam, de hac nobis hic

sermo est. Empiricam itaque ab experimentis appellát, cuius principes Serapion, Heraclides, & amb Apollonij fuere, quos postremò ex Latinis M. Cato, C. Valgius, Pomponius, Leneus, Casius, Felix, Aruntius, Cornelius Celsus, ac Plinius, & plerique alij secuti sunt. Ex hac deinde methodicam construxit Hierophilus Chalcedonius, & ex longa rerum omniũ magistra experientia ad certas regulas adegit, quam postea validissimis argumentis probarunt Asclepiades, Themision, ac Archigenes: compleuit autem Thessillus Italus, qui (vt author est Varro) cuncta superiorum placita sustulit, ac velut rabie quadam in cunctos prioris æui medicos perorauit. Post istos verò complures externarũ gentium barbari philosophi de ea scripsere, inter quos adeò creuit Arabũ gloria, vt huius artis inuentores plurimis visi sint, facileque id

id se posse contendere videantur, nisi ipsa originalia Græca & Latina nomina ab illis vsurpata, aliam artis originem indicarent. Hinc Auicennæ, Rasis, & Auerrois volumina pari cum Hipocratis & Galeni libris autoritate recepta sunt, tantamque fidem adepta, vt si quis sine eorum placitis cuiquam mederi præsumat, is publicam salutē palàm decoquere videatur. Hæ autem medicorum factiones licet paucę sint, non tamen minor inter eos cōtentio est & opinionum pugna, quam inter philosophos. Nā de spermate quod genitale semen est, audite quis anilibus ratiunculis certant: Pythagoras illud vtilissimi sanguinis spumam, siue cibi vtilissimum excrementum dixit, Plato autem spinalis medullę defluxū, quia nimium coëuntes dorsum & renes dolent. Alcmeon aūt cerebri partem adseuerauit, ex eo quod coëuntibus oculi dolent, qui

sunt partes cerebri. Democritus autem ipsum ab omnibus corporis partibus deriuatum ait, & Epicurus à corpore & anima conuulsum, Aristoteles alimenti sangui/nei excrementum, quod vltimum in membra digeritus. Cæteri putant sanguinem esse testium calore decoctum & dealbatum, ea dũtaxat moti ratione, quod vltra vires coëuntes, sanguinis guttas eijciunt. Porrò Aristoteles & Democrituss nil dicunt mulieres semen ad generationem conferre, neque germen illas, sed particularem quendam sudorem emittere. Galenus illas & sperma licet imperfectum germen emittere ait, & vtrorumque, viri & mulieris semẽ fœtum constituere. Cæterùm, Aristoteles corpora animaliũ, ex sanguine proximè vult generari, & immeditatè nutriri, sperma quoq; ex sanguine generationẽ habere. Hippocrates contra corpora animaliũ ex quatuor humoribus pri-

mo coagulari. Sed & multi ex Arabibus putarunt animalia perfecta posse absque maris & fœminæ permixtione generari, ac sine semine produci: & propterea dicebant matrices non esse necessarias nisi per accidens. De causis autem morborum originalibus agentes Hippocrates illas in statu sine spiritu collocat. Hierophilus in humoribus. Erasistratus in arteriarum sanguine, Asclepiades ex atomis per corporis inuisibiles poros illapsis illas rimatur, Alcmeō ex corporalium potentiarū exuberātia vel inopia, Diocles ex inęqualitate elementorū corporaliū aërisq; habitu. Strato ab alimenti exuberātia cruditateq; & eius corruptione omnes morbos fieri solummodo putat. De ciborū autē conuersione nō minūs discrepant. Nā Hippocrates, Galenus, Auicēna in stomacho cibos per caloré concoqui affirmāt, Erasistratus hęc in

venire fieri contendit, Pliſtonicus & Paraxagoras non concoqui modò, ſed putreſcere aiunt: quin etiam Auicenna, & eius expoſitores, Gentiles & Iacobus de Forlinio, non ſine inſigni errore, ſtercus in ſtomacho generari tradunt:

Aſclepiades autẽ & eius æmuli nõ concoqui cibos, ſed crudos in corpus omne diuidi putãt, qui inſuper omniũ ſuperiorũ dogmata vana & ſuperuacua eſſe dicũt. Tráſeo vrinarum iudicia ab illis necdum perfectè cognita, pulſumque dieſes incomprehenſas. Iam verò & Hippocrates, quẽ ipſi pro Deo colunt, ab alijs in pleriſque non tam diuerſum ſentit, quá turpiter errauit. Nã in libro de natura infantis ait: Generatur ex luteo oui auis, nutrimentum, autem & augmentũ habet album quod in ouo eſt: quod falſum probat Ariſtoteles in libro de animalibus, & in libro

bro de generatione animalium disputans contra Alcmeonem, qui cum Hippocrate sentiebat, concludit: origo pulli in albumine est, cibus per vmblicum ex luteo petitur, cui sententiæ adhæret etiam Plinius inquiens, ipsum animal ex albo liquore oui corporatur, cibus eius in luteo est. Nónne etiam ille Hippocrates aphorismus mendax est? Mulier non podagrizat, nisi menstrua illi defecerint: cum multæ fœminæ, quibus etiam mẽstrua fluunt podagras patiantur.

DE MEDICINA OPERATRICE.

Cap. LXXXIII.

TOta prętereà medẽdi operatrix ars nullo alio fundamento quã fallacib9 experimẽtis super extructa est, ac tenui ęgrotantium credulitate roborata, non minùs venefica quàm benefica, vt sępissi-

mê & ferè ſemper plus periculi fit à medico ac medicina, quá ab ipſo morbo: quod quidem & ipſi huius artis principes ingenuè fatentur, videlicet Hippocrates, dicens artê hanc eſſe difficilẽ, & experimento fallacem. Et Auicenna, inquiens, fidem ac ſpem ægri erga medicũ & medicinâ ſæpè plus efficere, quàm ipſam cum medico medicinam: & Galenus, difficile poſſe reperiri medicamen, quod plurimum profit, ac nõ ſimul in aliquo obſit: atq; alius quidam ex illis ait, medicinarum notitia delectabilis eſt, vt reliquorum omnium quæ arte & regulis conſtant, operatio autem ſecundũ medicinam à caſu eſt. Eant igitur nunc fortunati ægri, ac periculoſis experimentis & caſui fidẽ habeant, ſed tam blanda eſt cuique proſe ſperandi dulcedo, vt ait Plinius, vt cuicunque ſe medicũ profitenti ſtatim credatur, cùm ſit periculum, in nullo mẽdacio maius,

Hinc

Hinc est quod sæpissimè illic quæritur vbi mors est, quippe medicorum hic optimus creditur, quē particeps lucri commendat pharmacopola, qui cum illo colludit, cuius seruulos etiam medicus sibi sub stipe deuincit, qui lenocinio fungentes, illum apud miseros ægros collaudando præferunt: magnæ quoque præstantiæ medicus est, quem vsurpata pomposa vestis, & intermicantes crebris hyacinthis digiti commendant, & cui remota patria, vel longa peregrinatio, aut diuersa religio (ceu Iudæus vel Maranus) ad fallendum efficacissima frontis impudentia, magnorumque remediorum constans in concussis mendacijs iactātia, authoritatem, famam, fidemq; conciliarunt. Et cui pertinax contentio, ac multæ semper in ore cum semigræculæ, tum barbaræ voces: & multa authorum suorum nomina doctri-

næ fecerunt opinionem, atque sic instructus, plus quá plumbea grauitate, sed audacia pene militari, medendi practicam tunc hac hypocrisi adgreditur. Primùm inuisit ægrum, respicit vrinam, tangit arteriam, inspicit linguam, palpitat latera, explorat excrementa scire vult victus consuetudinem, & si qua etiam secretiora sunt inquirit, ac si per hæc libret elementa, & veluti in statera expendat humores ægrotantis, fabulaturque egregiè: deinde magna iactantia præscribit medicamina, recipe catapotia, mitte sanguinem, fiant clysteria, fiant pessi, fiant vnctiones, fiant cataplasmata, dentur elinctotia, dètur masticatoria, garparismata, fiát sacculi, fiant fumi, dètur condita, dentur syropi, dètur aquæ, exhibeátur teriacalia: quod si leuiusculus sit morbus, & æger delicatulis, excogitabit blandimèta, & quę cũq; mulierculis effœminatisq; viris grata atq; iucunda

cũda putat, magna autoritate præcipit, iam ſuſpẽſo molli grabatulo aut fontalis aquæ in peluium ſtillantibus guttis, ſomnos allicit, iam fricationibus, ſtufis, cucurbitulis morbum extenuat, iam balneis, thermis, cibiſque delicatioribus, ac cæli mutatione extenuatum ægrum reficit: vt autem magnæ authoritatis habeatur, & ſimul admirationi ſit, horas obſeruando, phyſicas allegationes ſuſpenſionesque adnecti facit, nec niſi ex ephemeride mathematica pharmaca potioneſque miniſtrat, quin & in pharmacopolam ſibi imperium arrogat, & ſe coram omnia diſpenſari iubet, ſeſeque meliora armata deligere ſimulat, cùm ſæpè neſciat ſophiſticata à veris diſcernere, reſq; ipſas nomine tenus penitùs ignoret. Si verò diues ſit æger, aut magnæ authoritatis, tũc quo plus ſibi compendij atque famæ acceſſurũ ſit, morbum quantum poteſt protrahit,

trahit, ac non nisi paulatim restituit, etiamsi posset semel vno pharmaco morbum depellere, nónunquam verò medicamentis suis exagitato morbo, priusquam illum tollat, hominem ad extremum vitæ discrimen adducit, quo illum tunc abs grauissima & periculosissima ægritudine liberasse prædicetur. Quod si quandoque in manus suas æger incidat grauiori morbo conflictans, cognoueritq; pernicioſum esse malum, & cuius dubius sit euentus, tunc istis ingreditur stratogematibus austero vultu viuendi leges præscribit, iubet insolita, prohibet consueta, arguit oblata, execratur exhibita, commi natur exitium, & vitam pollicetur, magnaque poscit præmia. Si dubitat de euentu, suadet conuocari collegium, & postulat sociũ, quo securius medeatur, aut non rarò cautius perimat, ne superueniens alius, qui ægrum solus restituat,

tuat, famam sibi atq; laudem cum lucro præripiat. Si ægro quid male cesserit, siue illum præter spem per insignem imperitiam occiderit, hic se aut per catarri præfocatiuum defluxum, aut aliquod aliud simile subitaneum accidens immedicabilemque casum apparenter excusat, & ægri inobedientiam, aut custodum negligentiam acriter accusat, aut incusat collegas, aut in pharmacopolam culpã protrudit: sic enim efficit, vt nemo ægrotus nisi propria culpa perisse, nemo nisi medici beneficio restitutus videatur. Iam verò medicos plerunque nequam esse suorummet testimonijs comprobabimus. Ait enim eorum conciliator Petrus Apponus, artem medicinæ Marti esse adscriptam, qui planetarum omnium odiosissimus est, & qui ingratitudinis, iurgiorum, omnisque iniquitatis & malitiæ author existat.

Ideoque

Ideoque etiam medicos vt plurimum malorum esse morũm, cùm ob Martis Scorpionisque influxũ, tum quod ait, quia ex vili stipite & sterili originem contraxerunt, intumescentes demum & contumelioſi facti, cum fuerint incrassati. hæc ille edoctus fortè Aesculapij exemplo, quem primum medicinæ repertorem ex mente Iouis genitum, & per solis viam in terris destinatum fabulatur antiquitas. Celsus verò hominem fatetur, sed in deorum numerum receptum. Complures alij asserũt illum meretricio incestu ex Coronide venusta mulierecula genitum, quam sacerdotes in Apollinis tẽplo adulterinis amplexibus sæpè subegerunt, qui finxerunt illum Dei filiũ. Omnes autem in hoc cõueniunt, tam scelestum fuisse hunc Deum, vt Iouis fulmine in eo coercendo opus fuerit, de quo Lactantius ad Constantinum imperatorem sic scri-

scripsit: Aesculapius, & ipse non sine flagitio Apollonis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, nisi quod sanauit Hippolytum? Mortem sanè habuit clariorem, quòd à Deo meruit fulminari: hæc illæ. At sunt reuera medici homines omnium sceleſtissimi, discordantissimi, inuidentissimi, mendacissimi. Sic enim omnes à se inuicem dissentiunt, vt nullus reperiatur medicus, qui citra exceptionem, additionem vel permutationem, præscriptum ab alio pharmacum comprobet: quinimò qui lacer et, mordeat, ne videlicet ipse nō melior medicus videatur, si alterius vel optimo consilio nihil detraxerit, vel his quæ etiam sępè nimis multa sunt, non aliquid addiderit: vnde tandem in prouerbium abijt medicorum inuidia & discordia. Nam quicquid probat vnus, ridet alter: nec quicquam apud eos certi, sed omnia promissa

eorum

eorum nugæ volatiles, & mera mendacia: hinc vulgus cum vult aliquem insigniter mendacem ostendere, ait illi, mentiris vt medicus. Summumque ingeniorum suorum opus in his versatur, vt in cogitandis nouis, veterum rectè facta negligantur, contemnanturque: tum quæ pauca sciunt reconditunt, aut monstrare volunt, quasi neminem docere in authoritate scientiæ sit, inuidentesque alijs, etiam vitam nostram fraudant alienis bonis. Sunt insuper plurimum superstitiosi, arrogantes, malæ conscientiæ, superbi & auari, quibus aliud semper in ore obuersatur, dum dolet accipe, facientes etiam, si suum ad cõpendium expedire crediderint, vt doleat quod sanum est, sicut legimus Petrum illum Apponium (quem cõciliatorem vocant) cum Bononię artem medicá profiteretur, tantæ auaritię & arrogantię extitisse, vt

extra

extra vrbem alicubi ad ægrotos vocatus, non minoris quinquaginta aureis in singulos dies se conduci pateretur, vocatusque aliquando ad Honorium tunc pōtificem, quadringentos aureos in dies singulos sibi statui pactus est. Quin & Aesculapium medicinæ parentem ait Pindarus à Ioue fulmine adactum auaritię merito, eo quod medicinam nocentur, & in damnum reipublicæ exercuisset. Iam verò si casu quouis fortunatus æger in manibus eorum euaserit, fit plausus intolerabilis, nemo sufficiet gloriam tanti miraculi decantare, Lazarum è mortuis resuscitatum narrabunt, illius vitam suū munus esse, sibi deberi: sese illum ab orco reuocasse (vsurpantes sibi quæ solius Dei sunt) continuò iactant, nec vllo præmio se compensari posse, aiunt. Nonnulli illorum in id tumoris euecti sunt, vt se pro dijs coli paterentur, atqui

âtqui Ioues ſeſe nuncuparent, ſicut Menecrates Syracuſanus medicus, qui quandoque ad Ageſilaũ Spartæ regem in hæc verba ſcripſiſſe legitur: Menecrates Iupiter, Ageſilao regi ſalutem: ſed illius ſtultitiam ſubridens Ageſilaus, reſpondit: Ageſilaus Menecrati ſanitatem. Quod ſi verò ægrotorum quiſpiam, infelicior (quod plurimum fit) inter medicorum manus expirauerit, tunc naturæ inopiam, morbi malitiam, aut ægri inobedientiam inculpant, ac artis ſuæ remedia ad hoc naturæ ſæuientis arcanum non extendi, ſeſe medicos eſſe, non deos, curare poſſe ſanabiles, non ſuſcitare moribundos, nec quicquam ſe debere ægris præter experientiam, & huiuſmodi verbis etiam in ſiniſtris euentibus ſuperbiunt, & vltro qui periere, arguunt intemperantiæ, & ſimul precium poſcunt, cùm occiderint ſuis pharmacijs, qui ſine-

sine illis viuere potuissent, ægros pariter & fama, & pecunia, & sanitate, & vita spoliantes, secura interim conscientia: cum, quia error eorum (quod ait Socrates) terra tegitur: tum, quia irremeabilis est mortuorum regio quo minùs redire possunt, quos illi illusos manibus, verbis, & medicamentis noxijs infectos, ante diem in tartara præmittunt, ne contra illos spoliatæ vitæ & pecuniæ repetundarum agant. Sunt præterea medici plerunque contagiosi, & ab obiectis vrinis & stercoribus fœtulenti, lotio lenti, sterculenti, & ipsis obstetricibus sordidiores ac sensibus omnibus infecti, dum oculis obscœna quæque & fœditissima conspiciunt, auribus pariter & naribus ægrotorum ructus, ventrisque crepitus, & infecti aëris halitus, flatus pedoresq; excipiũt, labris ac lingua atras letheasq; potiones pręgustant, manibus

ſtercora & purgamenta explicãt, ægrotorumque horridę imagines & vmbræ nocte dieque phantaſię eorum obuerſantur, innumeraq; homicidia cõſcientiam eorum perturbant, totum denique illorum ſtudium, ſermo, ratio, oratio, ſpiritus, & ingenium non niſi circa triſtia, fœda, tabida, horrida, mortis & morborum genera verſatur: totumque eorum exercitium eſt in locis fœtidis, ſquallidis, & vilibus curis, & obſcœno artificio cõſtat, ſemper ægrotum matulas, cloacas, & latrinas infamis lucri cauſa ambientes, atque tanquam vpupa auis ſordida ex humanis ſtercoribus nidificantes. An nõ videtis illos quotidie, quomodo obunctis digitis, lutoſis latifundijs, vultu turbulento aut pallenti, continuo obambulant ciuitatẽ, ac præcipiti inceſſu, viliſſimi ſpe lucelli diſcurrũt ab apotheca in apothecã quærentes & mendicantes, ſicubi quis

lotium

lotium inſpectandum, vel conchã offerat ſtercorariam, atque vt cucullati vultures ad cadauera: ſic iſti ad excremẽta homines omniũ ſunt naſutiſſimi: quæ etiam prægu ſtare ſolitum aiunt Hippocratem, vt inde morbi naturã melius perſentiret: quod pleriq; etiam Aeſculapio adſcribunt, quẽ Ariſtophanes idcircò ſcatophagũ vocat, quo verbo ſignificãtur qui ciborũ veſcuntur ſuperfluitatibus, quod nomen deinde ad medicos omnes deriuatum eſt, vt eos ſcatophagos & ſcatomantes, hoc eſt, merdiuoros, & merdarum inſpectores vocemus. Hinc ſcatomãtia, oromantia, drymimãtia dicũtur, diuinationes ſeu prognoſtica medicorũ ex ſtercoribus & vrinis deprompta. Hinc apud multas nationes mechanici illi medici olim infames habebantur, atque adeò vt (teſte Seneca) etiam grauiſſima infamia haberetur medici opus quærere, & hodie

adhuc

adhuc plerique populi medicos pariter & obstetrices & carnifices a mensis & conuiuijs excludunt, aut non nisi secretis separatisque patinis calicibusque excipiunt: quocirca stomachari hic licet detestabilem illum multorum principum morem, qui tam pestilentes homines ne dum ad matutina cubicula, sed & quotidianis ægrotantium congressibus, recentibus semper pestilitatis vaporibus infectos, etiam mensis admittunt, quin adhibeat quis medicum conuiuio, inter ipsos cibos & pocula de stercore, vrinis, sudoribus, sanie, vomitu, menstruis differet, atque epilepsias, lepras, hulcera, scabies, & pestes tractabit, totumque alioqui lautissimis obsonijs paratissimum conuiuium, sermonum suorum impuritate in nauseam conuertet. Adhibete etiam medicum, si vultis ciuilibus consolationibus, nihil illo ineptius insultiusq; idq;

forte,

fortè, cum quia medicorum disciplina (quòd eorũ ait conciliator) nõ est de virtutibus nec bonis moribus, tum quod (vt idem ait) naturaliter probus medicus, malorũ morum esse debeat: & nos scimus apud multas ciuitates decretis publicis & plebiscitis cautum esse, ne medici in concilium admittantur, nec magistratum gerant, fortè nõ tam, quia inepti, leues, male morigerati, quàm quia semper sordidi, & ægrotantium retrimentorumq; assidua attrectatione adeò contagiosi, vt non solum propinquantes sibi homines, sed etiam sub sellia inquient, & marmora inficiant, vt eleganter de quodam medico cecinit Lucillus Græco epigrammate, ab Ausonio sic Latinè reddito:

Alcon hesterno signum Iouis attigit ille,
Quamuis marmoreus vim patitur medici.

Ecce hodie iussus transferri ex æ-
de vetusta,
Effertur quamuis sit Deus at-
que lapis.

Quando verò in suam medicam consultationem coëunt, quid ea nocte mixerit & cacauerit æger examinatur, ac tanquam Laconũ Ephori de vita ac nece pronuncia turi sententiam, mirum, sed dolen dum, quàm tũc miseris altercatio-nibus, nullo idem censente, circa ægri lectulum concertant, quasi non ad curandum, sed disputandũ conducti sunt, atque ægro ipso, cui (iuxta græcum Menandri versicu sum, Latinè autem inquientis: Me dicus garrulus ægrotãti alter mor bus) ferè sermo molestus est, illa-rum oratione nõ opera opus sit, ac pro ductis ad ostẽtationem suam scolastico more aliquot aphoris-mis, quos ad omnẽ vsum semper eosdem paratos habẽt, inuocatisq; Hippocrate, Galeno, Auicenna,

Rasi,

Rasi, Auerroe, Conciliatore, cęteris q; suis dijs, quorum nomina & tituli illis pro doctrina satis sunt, ad conciliandum sibi apud imperitum vulgus fidem, doctrinæque æstimationem, vbi de causis, de signis, de affectibus, de hororibus, de die cretica, aliquâdiu serioſe, sed indecisa discordia digladiatũ est, tandẽ de adhibẽdo remedio, quòd caput & cauda totius negotij esse debuerat, frigidissimo decreto trã figunt: atque vt est eorum inter se mutua inuidia, nullo illorũ sua secreta (vt vocant) æmulis suis communicare volenti, tanquã ipsis periturum sit, quod tradiderint alijs, ad cõmunem methodicam recurrunt, quasi illos destituant, ad empiricam, tanquã ad sacram ancorã confugiunt, vt quem ratio nõ resti tuit, adiuuet temeritas, satius esse inquiẽtes anceps experiri auxiliũ, quàm nullũ: vel ęgrũ ipsum, si minùs sũt illi propicij, atq; illos (vtait

Ecclesiasticus) languor prolixior grauet, prognosticis relinquunt: dicentes, quia desperatis Hippocrates vetat adhiberi medicamina: aut si paulò religiosiores sunt, morbũ in diuorum aliquem reijciunt, vel extremum præscribunt pharmacum, quod erit. Recipe tabellionem vnum, testes numero septem, adde sacerdotẽ cum aqua & oleo benedictis quantum sufficit, & dispone domui tuæ, quia morieris. Hinc Rasis conscius profectò ægrotantium credulę stultitiæ, tum medicorum contentiosæ insciticæ, vtrique & ægro & medico nõ incautè consulens, suadet in aphorismis suis, tantum vnum medicum fore eligendũ, quia vnius (inquit) error, magnam infamiam non inducit: & vnius vtilitas, quam in ægro efficit, collaudatur: qui autem quam plures medicorum adhibuerit, is in errorem incidit plurimũ, hæc Rasis: Atteſtaturque huic vetusta

tusta illa monumenti inscriptio, turba se medicorum perijsse, atq; illud Græcum prouerbium: Multorum medicorum introitur, ęgrũ perdidit. Illud etiam moribundi iam Adriani imperatoris dictum: Medicorum turba principem perdidit. Nullum igitur pro conseruanda vita sanitateque vtilius consilium, quam abstinere à medicis, Corporis enim sanitas Deo debetur, non medicis, ideoque Asa rex Iuda corripitur à Propheta Domini, quia in infirmitate sua non quæsiuit Dominũ, sed in arte medicorum cõfisus est: quorum quidem cõsilijs qui se tradiderint, sani esse non poterunt: nec enim vita vlla misera magis, quàm quæ sub eorũ auxilij fiducia ducitur. Esto verum, sciant medici, atq; vtinam scirent, omnes vires & potestates elementorum, radicum, herbarũ, florum, fructuum, seminum, etiã animaliũ & mineralium, omniũq;

quæ parens natura producit, tamẽ nõ possunt omnibus ijs virtutibus hominem nedum immortalẽ facere, sed quod minùs est, nec leui quouis morbo ægrotantẽ semper sanare. O quoties medicamẽ quod prodesse debuerat, non profuit, & quod debuerat excernere nõ excreuit, quoties recidente ægro remedicandum est, & tandem post multos labores & sumptus, vel tũc vel paulò post, etiam vel astãtibus medicis, moriendũ est. Quæ ergo nunc spes nobis in medijs reposita est, si (quod ipse eorum sit Hippocrates) experientia fallax sit? Quid certi possunt promittere medici, si verum est quod Plinius scribit, nullam artẽ medicina inconstantiorem esse, etiamnum sæpiùs immutari? Multę gentes olim fuerunt & adhuc sunt absque medicis degentes, quas videmus vltra decrepitam ætatem robustas, supra centenarios annos viuere: cõtra-

riè istos delicatiores populos, qui medicorum promissis & opera viuunt, vt plurimum media ætate senescere & occumbere, quin & ipsosmet medicos plus cęteris hominibus, & quasi semper ægrotare, ac immaturiore ætate decedere. Hinc ille Lacon cuidam dicēti, nihil mali habes? respondit, quia non vtor medico. Illoque iterum dicente, senex factus es, respondit, quia nunquam vsus sum medico, ostendens nullā esse ad sanitatē & senectutē certiorē viā, quā medicis caruisse. Quod si dicat quis multos medicorū auxilio conualuisse, respōdebimꝰ illi, cōtra plures etiā occubuisse, quibus medicorū opera nihil profuere, obijciemusque illū Ausonij versiculū, inquientis

Euasere fati ope, non medici.

Olim enim Arcades non medicaminibus vtebantur, sed (quod narrat Plinius) verno lacte vtebātur, quoniā tunc maximè succis herbę

turgerent, mederenturq; vberiores pascuæ: aligebant autem præ cæteris lac vaccinum, quia: illæ omniuoræ sunt in herbis. Lacones, etiá Babylonij, Aegyptij, Lusitani, Herodoto ac Stabone testibus, medicos omnes respuebant: languentes verò in forum & plateas efferebant, vt qui simili morbo tentati effugissent, aliúmve euasisse nossent, illis expertis in se cõsulerent, remedijs arbitrantes. quod etiam Cornelius Celsus adserit, ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre quam experientiam, qua constat doctissimos medicorum abs rustica anu sępissime victos, illamque vnica planta seu herbula illa perfeciſſe, quæ famatissimi medici non potuerunt cum omnibus suis preciosis elaboratisque pharmacijs. Nam illi dum inexplicabilibus mixtionibus (cum tot dederit natura, quæ singula sufficiant remedia) con-

fun-

fundentes per compositam diuer
sarum rerum complexionem mor
bos pellere nituntur, coniectura
magis quam causa ait ratione ince-
dunt, totamque medendi artem,
non nisi casum aut coniecturam
faciunt. Hæc autem vnius simpli-
cis medicinæ vim & qualitatem
cognoscens, solidis expertisque
naturæ viribus difficiles soluit
ægritudines. Rursus illi per pre-
ciosa & ab extremis Indis, aut Ga
dibus quæsita, persuadentes nisi
preciosa non prodesse, magno im-
pendio venalem sanitatem pro-
mittunt: hæc inuentu facilimis,
vulgoque paratis, & quas in hor-
tis suis quisque facile habet, dome-
sticis plantis, sanitatem non tam
promittit, quàm restituit. Præte-
rea hi ex fallacibus libris, & pic-
tis codicillis edocti difficilimam me-
dicandi operam, audaci quadam
temeritate, cultaque garrulitate
ad quæstum vsurpant. Hæc à ter-

ris & agris singulas plantas, earum
que colores, figuras, sapores, odo-
res, varietates contemplata & edo
cta, & quid in morbis reliquisque
casib9 posint experta, gratis cuiq;
certissima dat remedia. Ipsi etiam
medicorum præcipui confitentur
se à mulierculis plurima excellen-
tissima remedia didicisse, & digna
quæ ipsi libris insererent, & veluti
potiora posteris communicarent.
quale contra capitis dolorẽ extol-
lit Auicenna medicamentũ. Quod
si medicina, quæ sanitatis tẽpera-
mentum afferre debet, consistit in
proportione & temperamento re
rum ad inuicem, cum inter se, tum
etiam cum quantitatibus corporis
cui tribuuntur, atque iniquorum
medicorum hæc diligentissima cu
ra fuit in proportionandis & con-
temperandis medicaminibus, per
iusta & harmonica pondera relin-
quẽtes posterioribus hęc deinceps
proportionáda ęgrotorũ corpori-
bus

bns quæ est ista audacia atque impudentia hæc non solùm immutare, sed illis etiã superaddere, peni túsue negligere aut ignorare? Vnde fit, quod sicut consonans pharmaci temperamentum sanitatem adferre deberet, ita illius dissonantia dolorem, horrorem, exasperationem morbi, & nõnunquá mortem inducit, ideoque tutiùs medetur rustica anus, vno aut altero hortensi, & naturæ opera absoluto medicamine, quàm medicus ille cum suis prodigiosis, sumptuosis, & dubia coniectura conflatis pharmacics. Fuerunt illius sententiæ multi & excellẽtissimi philosophi & medici, videlicet nõ nisi simplicissimis rebus medendũ esse. Hinc simplicium vires perscrutati expertiq;, de illis posteris nobis egregia volumina reliquerunt, quale Chrysippus de brassica, Pythagoras de scylla, Marchion de rafano, Diocles de rapo, Phanias de vrtica

Apuleius de Betonica, & multi alij antiqui de alijs cõscripserunt. Sed hos illi officinarum medici non solùm non curant, sed etiam irridẽt, simplices appellantes, qui studeãt simplicibus. Hos igitur medicos (dico quidẽ qui per simplicia medentur), non tam consulendos, quàm etiam sequendos esse nulli dissuadeo. Verùm illos officinarũ cultores, tanquam sortilegos & maleficos consulo fugiendos & propellendos, qui suis prodigiosis compositionibus de malis nostris negociantur, & super vitam nostram mittunt sortes. Nam cum composita medicamina ex multis disparibus & pugnantibus speciebus constari necesse sit, impossibile aut saltem difficillimum est in illis aliquid certi posse statuere medicum, nisi sola opinione, æstimatione, coniectura: cumque innumeræ sæpè res sint, quæ singulæ prodesse posse videtur, ea sola cõgerit

gerit medicus quæ fors vel casus memoriæ suæ tunc obtulerit, aut in quæ alio quouis intrinseco siue occulto instinctu fuerit propensior, vnde fit, vt cõpositum illud pharmacum nõ tam ab ingredientium simplicium potentia, quã à medici fausta vel infausta effectione fortiatur virtutem & effectum, quatenus ille occulto quodam influxu siue naturali, siue cęlesti, siue dæmoniaco, siue fortuitõ plus ad hæc quam ad alia eligenda inducitur. Atque hoc est quod communiter dicitur, atq; ipsi fatentur medicum vnum esse alio fortunatiorem, ac sæpissimè indoctum docto feliciorem. Quin & vidi ego, & noui medicum virum literatissimum tam infelicem, vt è multis ægris vix pauciſsimi è manibus eius salui euaderent. Noui & alium semiſciolũ, qui omnes fere ægros suos, plerosque etiam, ab alijs pro deploratis derelictos feliciter sana-

ret. Quin & memini me legisse de medico, in cuius manibus quicunque nobiles & magnates incidissent, euaderent, plebei omnes & rustici perirent, aut grauiter periclitarentur. Videre igitur nunc facile est, hãc officinariam medicinã, in qua pluris potest medici fortuna quam doctrina, totam aut pro maxima parte sortilegã esse ideoq; procul pellendã atque tanquã veneficã & sicariam esse damnandã. Proinde Romani quondã sub Catone Censorio medicos oẽs & vrbe tota & tota Italia pepulerunt, eorũ funesta mendacia, crudelitatẽque auersari, quòd videlicet multo plures occiderẽt quam sanarẽt: tum quod venenorũ peritissimi, odio, ambitione aut lucro facilè adduci possent, vt venenũ ministrẽt pro remedio, & pacta mercede hominũ vitæ insidentur: sicut Pyrri medicus, siue is Timocharis fuerit (vt vult Gell.) siue Nicias, vt alij, qui

qui Fabricio promiserat se domi-
num interfecturũ medicina, quod
facinus auersatus Fabricius, Pyr-
rhum quanuis inimicum monuit
per epistolam, caueres à medico,
de quo Claudianus ita inquit:

Romani scelerũ semper spreue-
re ministros, (venena.
Noxia pollicitũ domino miscere
Fabricias regi nudata fraudere
misit.
Infesto quẽ Marte petit, bellumq;
negauit.
Per famuli patrare nefas.

Similiter de Græcorum medicis
apud Plinium Cato scribit ad filiũ,
inquiens: Iurarunt inter hæc bar-
baros omnes necare medicina, sed
hoc ipsum mercede faciunt, vt fi-
des eius sit, & facile disperdant. Et
paulò post subiungit: Vnde testa-
mentorũ plures insidiæ, iam verò
& adulteria in principũ domibus
etiam, vt euidens Eudemi in Liuia
Drusi cęsaris: hęc Plinius. Ipse etiã

Socra-

Socrates apud Platonẽ vetuit, ne medici in ciuitate multiplicentur. Expediret & in hũc diem reipub. nullos esse aut pauciſſimos medicos, quodque lex extaret, quę eorum puniret cum inſcitię, tum negligentię malitiam capitalem. Capitalè enim est, neque refert imperitia an negligentia, ſtultitia an malitia, perperâ an ſtudioſe medicus pro pharmaco venenum porrexerit, hominemque in vitę diſcrimẽ adduxerit, atq; non (quòd Plinius ait) medico hominẽ occidiſſe ſumma esset impunitas. Qui certè vnus illis atque communis cum carnifice honos est, homines ſcilicet accepta mercede occidere: atq; ex homicidio, vnde ſupplicium cunctis lex ſtatuit, nulliq; conceſſa impunitas, ij ſoli capiũt premia. Hoc tamen interest, quod carnifex non niſi ex iudicũ ſententia necat noxios, medicus aũt prę ter omne iudicium perimit etiã inſontes. Non ergo.

ergo insalubriter pontificum constitutiones arcent à medicādo clericos, cum ars medicares sit adeò cruenta, vt si fas sit sacerdotibus & clericis medicum agere, liceat etiā agere carnificē. Neque imprudenter Porcius Cato medicis quondā interdixisse putandus: cum, quia scientię huius famam semper nouitate aliqua aucupantur: tum, & dum pudet noui nihil adferentes aliorum inhęrere vestigijs, experimenta per mortes agunt, & artem suam nostris periculis discūt, quae de vita nostra negociantur, malaq; hominum, quę breuissimo tempore tolli possent, producunt non rarò etiam adaugent maiori pro cōpendio: cui fraudi vt obuiaretur apud Aegyptios, medici ante diē tertium ęgrotorum corpora eorū periculo curabant, post triduum autem suo.

DE PHARMACOPOLIA.

Cap.

DE PHARMACOPOLIA.
CAP. LXXXIIII.

IAmque etiam à cocis suis apothecarios & pharmacopolas vocant, quorum (vt est in prouerbio) tituli remedia habent, pixides venena, siue (vt canit Homerus) pharmaca mixta salubria multa, & noxia multa quib. cũ dãno esse minimè volunt, nos mortẽ nostrã magna emere pecunia cõpellũt: dũ illi aliud pro alio propinantes, seu putridum inueteratúmve & euanidum pharmacum miscentes, sæpè mortiferã potionẽ dant pro salutifera, dum facta iampridem emplastra, collyria, vnguẽta, pastillos & alia pharmaca, non nisi in officinarum compendia ex ipsa specierum fece ac tabe cõflata mercantur: atque hæc omnia nescientes discernere, credunt barbaris mercatoribus, omnia fraudibus ac sophisticatione corrumpentibus. Possem etiam hic ostendere pernitiosas illorum discordias, de simplicium, quibus

quibus vtuntur, medicinarum cognitione, erroreſq; eorũ circa medicinalium rerum nomina, ab illis male intellecta, peſſimeq; vſurpata: quæ plurima Nicolaus Leonicenus amplo volumine oſtendit. Tranſeo etiã docere de prodigioſis cõpoſitionibus, multarũque externarum rerum mixturis, quibus dum omnia confundentes, vnum quod omnib. naturis quadret medicamẽtum ſeſe effecturos nobis, perſuadere volunt (ſicut de cõpoſitione tyriacæ ac tyri fabula, deq; illo antidoto Mithridatico ſtatuerunt) nihil aliud efficitur quàm poëticum illud chaos:

- Rudis indigeſtaque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners,
congeſtaque eodem,
Nõ bene iunctarũ diſcordia ſemina rerũ. - Vbi corpore in vno
Frigida cum calidis pugnant, humentia ſiccis, (põdus.
Molia cũ duris, ſine põdere habẽtia

Eſto,

Esto, sint quędam cõpositiones ab antiquis medicis excogitatæ & vtiles inuentæ, quæ tanquá experta liceat recipere, tamen à vera illa methodo sunt aliena & ab ipsis/met medicis propria conscientia coactis damnata, & omnibus modis explosa, à Plinio, à Theophrasto, à Plutarcho, ac Hipocrate, Galeno, Dioscoride, Erasistrato, Celso, Scribonio, Auicenna, quorum verba hic subscribere nimis longum esset, nec ab antiquis illis solum, sed etiam à multis recentioribus, è quibus vnus Arnoldus de Villa noua inter Aphorismos ait, vbi in promptu habentur simplicia, dolum esse si quis compositis vtatur. At hodie neglectis & necognitis quidem simplicibus, non nisi ex duobus illis apothecariorum luminarijs, ac aromatariorum thesauro, tum Mesue & Nicolai cæterorumque antidotarijs, picturatis & inauratis titulis medicamina.

na promuntur: atque hinc fit, vt dum medici isti suo ocio consulentes, vitas hominum apothecariorum fiducia gubernant: atque illi sine literis, sine cognitione barbaris mercatoribus confisi, pro officinæ compendio res permiscent, multo plus periculi sit à medicamine quam à morbo. Iamque etiá dicamus de precioforum medicinalium sophisticatione, quæ tanto ingenio sæpè adsimulata sunt, vt industrios etiam homines decipiant: plurimumque conduceret saluti hominum ac reipublicę, peregrinis omnibus exoticisque pharmacijs, quæ tanto prętera precio à prędonibus mercatoribus in reipublicę detrimentum adauctæ sunt, omnino interdicere, ac medicos omnes in ordinem cogere, pharmacopolasque adstringere, ac legem illis præscribere, cuiusmodi olim Romę (dũ adhuc melior esset) Nero tulisse legitur, qua

ijs

ijs duntaxat quæ noſter gignit orbis pharmacijs vti compellantur, cum hæc noſtræ cuiuſque naturæ conueniant magis, tum longè recé tiora, electiora, minoriq́ue difficultate ac ſumptu haberi poſſunt, minoriq́ue periculo quã peregrina, quorũ maxima pars ſuſpecta eſt, vt quę ſępiſſime ſophiſticata, adulterata, reiectitia, vel in naui ſuffocata, vel immerſa lacunæ, vel venuſtate corrupta, vel non debito tempore & loco (vnde ſæpè plurimum imminet periculi) collecta ſunt nã coloquintida nõ matura ſanguinẽ educit & interficit, & quę ſola vel vnica naſcitur, venenũ eſt ſimiliter & agaric9 maſculus mortiferus eſt, & qui antiquius pernicioſius, Scamonea omnis ſophiſticata eſt, ſimiliter & terra Lẽnia: & fides ſigillorum perijt. Iã quæſo quæ neceſſitas eſt ijs vti peregrinis, ſi eadẽ ſimilis q; conſilij efficatię noſtra terra producit, an-

non

nō egregiè ſtultū eſt, malle ex India petere quod domi habemus? exiſtimáte, propriā neq; terrā neq; mare ſufficere, patrijſq; rebus peregrina frugalib. ſumptuoſa, ac facile acquiſibilib. difficilia, & ab ipſis vſq; terræ finibus importata præferētes. An ſine armoniaco ſpleni nemo mederi poterit, nec epati abſq; ſandalis? An ſi caremus bedellio, hulcera interiorū nemo curabit? nec capiti quis medebitur ſine muſco & ambra nec ſtomacho ſine maſtice & corallijs? Si hęc peregrina noſtris corporib. cōuenirent medicamina, proculdubio natura factū eſſet quę omnib. prouidit abū danter, vt hęc apud nos quoq; naſcerētur. Nōne abſq; illis & ſalubrio vixerūt patres noſtri. Sūt ergo hęc deſidioſorū qui noſtra non inquirunt, nugamēta & pharmacopolarū cōmenta, qui nō cōmunem ſalutē, ſed ſuę negociatiōis cōpendiū quęrunt perſuadētes nobis nō niſi pre-

preciosa quęque plurimum prodesse, quibus idcirco impropratur per Ieremiam: Nunquid non est resina in Galaad, aut medicus non est ibi? Suis quibusque terris & regionibus, suę genti, suo climati, suo cęlo, suo seculo natura herbas producit atque contemperat: esto, quędam alijs atque alijs locis, temporibusq; acriores habeant vires, in quolibet tamen tempore & climate pro suo hominumque temperamento eadem operantur, habeant liceat preciosa illa & exotica nostris plătis maiores vires, sed has non nisi in sui climatis hominibus, quibus creata & producta sunt, putabimus salubres. At sunt etiam empiricorum rapinę, persuadentium nobis monstrosa quędam pharmaca & à medendi vsu exotica plurimum posse conferre, & sine ijs salutem nostram non posse constare, impendio miserorum sua com-

commentaria experiuntes. Hinc viperas & serpentes & nocentissima quæque reptilia antidotis admiscent, & velut deficientibus remedijs humanam adipem in vnctiones subigunt, humanasque carnes aromatibus adseruatas (quam mummiam nuncupant) nefario naturæ piaculo hominibus edendas præbent.

DE CHIRVRGIA.

Cap. LXXXV.

REstat chirurgia altera medicinæ pars, quæ excutanea corporis vitia curat, cuius opera manifesta & securiora sunt remedia, nam reliquorum medicorum cæca consilia sunt. Chirurgi vident & palpitant quod agunt, ac pro opportunitate mutant, applicant & auferunt: hæc inter omnes medicandi artes prima in vsum venit. Nam cum homines ab anti-

quo seſe bellis exercerent, & vulnera ſibi inuicem infligerent, cœperunt illorum quærere remedia. Nam quæ homo homini mala infli xiſſet, ab hominibus quoque curari poſſe putabant. Cæteros autem morbos & interiorum cruciatus, tanquam ira Deorum genitos, incurabiles naturalibus viribus æſtimabant. Primus itaque chirurgiæ inuentor fuit Apis Aegyptiorum rex, vt vult Clemens Alexandrinus, antiquior illo Mizria filius Cain, nepos magni Nohæ. Scripſit autem primus medicinam vulnerũ Aeſculapius, deinde excellentes in ea extiterunt Pythagoras, Empedocles, Parmenides, Democritus Chiron, Pæon. Narrat Plinius hanc Romæ primum exercuiſſe Archagatum Peloponenſem, illũque ob ſecandi vrendique ſeuitiã. Vulnerarium publicè vocatum, mox tranſijſſe nomen in carnificẽ, deniq; vniuerſam artẽ tædio habi

tam

tá & exploſam. Eſt itaque chirurgia nõ minus reliquorũ medicorũ factionibus excellentium virorũ auctoritate clara, ſed virulentarũ ſordium immunditia & ſanguinolentia crudelitate infamis.

DE ANATOMISTICA.

cap. LXXXVI.

HAnc tamen crudelitate ſuperat anatomia vtrorumq; pharmaceuticorum & chirurgorum theatrica carnificina, qua damnatos publicę mortireos, quondam viuos & remanente ſpiritu, truculentiſſimis cruciatibus reſecarunt. Sed hodie ob Chriſtianæ religionis reuerentiam paulò mitiores effecti, interemptio prius homine, ipſorum vel lectoris manu, in mortui cadauer, deinde his piaculis graſſantur, humanumque corpus dilaniantes, membrorum ſingulorum ſitum, ordinem

mensuram, opera, naturam & abdita quęque perquirunt ac rimantur, vt inde quomodo & quibus locis curandum sit, addiscant: crudeli hac diligentia atque spectaculo horrendo & abominabili, nec minus impio.

DE VETERINARIA.

Cap. lxxxvii.

EST adhuc alia medicinæ praxis, quàm Veterinariam vocant, quę brutorum morbis medetur, cæteris longè certior & vtilior, à Chirone centauro, vt fertur inuenta, & à Columella, Catone, Varrone, Pelagonio, Vegetio, nobilissimis scriptoribus illustrata: Hanc tamen annulati isti medici non tam verecundiæ sibi ducunt, quàm penitùs quoq; ignorant & aspernãtur, admodũ delicatuli, vt tanquam vpupa auis, nõ nisi humanis stercorib. oblectẽtur. Vnde

Vnde si quis ab illis pro asino aut boue suo medicamẽ requirat, pro remedio mox iniuriã accepturus sit: quasi ad eos nõ pertineat scire, non solum hominibus, sed etiam cæteris animalibus (præcipuè quę hominibus cõmoda referũt) mederi: pro qua re Alphonsus Aragonum rex olim duos expertissimos medicinæ doctores, pro equis & canibus amplo conduxit stipẽdio, iussitque sollicitos scrutari, quæ remedia, & quis medendi modus singulis bestiarum morbis conueniret, quod illi facientes, librum de his rebus vtilissimum ediderunt. Fecit idem his tẽporibus Ioannes Ruellus Parisiensis, vir in vtraque lingua peritissimus ac physicus primarius, qui de morbis equorũ, eorundemque remedijs, ex vetustissimis authoribus Apsircho, Hierocle, Theomenesto, Pelagonio, Anatolio, Tiberio, Eumelo, Archedamo, Hippocrate, Hemerio, Africano,

no,& ex Aemilio Hiſpano & Litorio Beneuentano,defectũ volumẽ tranſtulit, veterinarijs omnibus magna cum reipnblicę commoditate profuturum.

DE DIAETARIA.
Ca. LXXXVIII.

SVpereſt adhuc medicina diętaria,cuius princeps præ cæteris extitit Aſclepiades, qui ſublato magna ex parte pharmacorum vſu, totam medecinæ artem ad victus rationẽ, ad quãtitatẽ & naturã ciborũ,obſoniorumq; condimenta reduxit,à quo cæteri medici nõ omninò diſſentiũt, ſed ita putantes quod alterum altero indigeat,victus quandoque pharmacijs,ac illa pariter victus ratione atque menſura. Hinc iubent,inhibent,execrantur,accuſant cibos & potus,quos Deos creauit,inobſeruabilesque victus regulas condunt:

dunt: & quas alijs escas vel modestè delibare prohibent, ipsimet tãquam porci glandes deuorant: & quas alijs viuẽdi leges prę scribũt, ipsi omnium primi prę uaricantur, non tam negligenter quàm consultè. Nam si ipsi iuxta hęc sua dietaria decreta viuere deberent, sanitatis non modicam iacturam facerent: si verò vt ipsi viuunt sic ægros quoque naturæ legibus viuere permitterent, pecuniæ dãmnum sentirent. Verùm de his dietarijs ita ait Ambrosius: Contraria diuinę conditioni prę cepta medicinę sunt, quę à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab intentione meditationis abducunt, ita qui se medicis dederit, seipsum sibi abnegat. Et Bernardus scribens super Cãtica, ait: Hippocrates & Socrates docẽt animas saluas facere in hoc mũdo: christus & discipuli eius perdere, quẽ vos è duobus sequi vultis magistrum

Manifestum se facit qui disputat, hoc oculis, hoc capiti, hoc stomacho nocet: legumina ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, potum aquæ pectus non sustinet: quare hoc est, vt totis fluuijs, agris, hortis & cellarijs vix inuenire possis quod comedas. Sed esto hæc Ambrosij & Bernardi verba ad solos monachos dicta sint, quorum fortè non est debere tantam rationem habere de valetudine quam de professione: ac ciuiles homines non dedecet cum valetudinis ratione, etiam victus & obsoniorũ varietas atque mensæ lautities, primùm diætaria medicina pollicetur, alterum præstat coquinaria præparandorum ciborum & potuũ disciplina. Quocirca Plato hanc medicinę adulatricem vocat, plerique eam diætariæ medicinæ partem adnumerant: quãuis Plinius & Seneca, & reliqua medicorum schola fateantur, ab exqui-

exquisitorum ciborum varietate multijugos morbos generari.

DE ARTE COQVINARIA.

Cap. LXXXIX.

ARS itaque coquinaria percõmoda est, nec inhonesta, si modò discretionis limites non egrediatur. Atque hæc ratio etiam summos & cõtinentissimos viros induxit, vt de coquinaria & obsoniorum condimentis scribere non erubescerét. Ex Græcis Pantaleon, Mithecus, Epiricus, Zophõ, Egesippus, Pazanius, Epenetus, Heraclides, Syracusanus, Tyndaricus, Sicyonius, Symonactides, Chius, Glaucus Locrensis. Ex Romanis Cato, Varro, Columella, Apicus, & ex recentioribus Platina: Asiatici autem his rebus tam luxurioſi atq; intemperantes semextitere, vt ipsum nomen eorũ in

holuonum ac gulonum transierit cognomentum. Quos inde Asotas nuncupamus: Hinc (quod refert Titus Liuius) post Asiaticam victoriam peregrinę luxuriæ in Romanam vrbem defluxerunt, tunc enim primum epulæ cura & sumptu maiore apparari cœptæ: tunc coquus antiquis vilissimum mancipium, & in æstimatione, & in vsu, & in precio esse, atque è culina adhuc iure madens, fuligine tinctus, cum ollis, patinis, tunstillo, mortario, veru, in scholas receptus, & quod vile ministerium fuerat, ars haberi cœpit: cuius tota solicitudo est vndecunque conquirere inuitamenta gulæ, eduliaque ciborum ad profundam ingluuiē saturandam vndecunque locorum inuestigare: cuiusmodi plura ex Varrone enumerat Gellius, videlicet pauū è Samo, Phrygiā attagenē, grues Melicas, hœdum ex Ambracia, pelanū Chalcedoniā, Murænam

ræná Tarteſiam, aſellum Peſſinuntium, oſtreas Tarentinas, pectunculum Chium, helopē Rhodiū, ſcaros Cilices, nuces Taſias, palmas Aegyptias, glandes Ibericas, quæ omnes edēdi inſtitutiones ad improbam ſacietatis luxuſque laſciuiam reperta ſunt. Eius aūt artis gloriam & famam ſibi præ cęteris vendicauit Apicius, vt ex eius nomine (teſte Septimo Floro) cognomentum in coquos, quo Apiciani dicerentur, quadam philoſophorum imitatione propagatū ſit: de hoc Seneca ſic ſcriptū reliquit. Apicius, inquiens, noſtra memoria vixit, qui in ea vrbe (ex qua aliquādo philoſophi velut corrupto res iuuentutis abire iuſſi ſunt) ſcientiā popinę profeſſus diſcipli na ſuæ ſæculum infecit: Plinius quoque illum nepotū omnium altiſſimum gurgitē ſeueriſſime nuncupauit. Tot denique gulæ inſtrumēta, tot irritamēta libidinū, tot obſoniorū

varietates Apicianorum illorum ingenio excogitata & cõficta sunt, vt tandem opus fuerit præscriptis legibus popinæ luxus coercere. Hinc veteres illæ sumptuariæ & cibariæ legeslatæ, videlicet, Archia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, lex Lepidi, lex Antij Restionis: sed & Lucius Flaccus & collega eius censores, Durionium senatu mouerunt, quod legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam tribunus plebis abrogare vellet, quàm impudenter enim Durionius rostra conscendit illa dicturus. Freni sunt iniecti vobis Quirites nullo modo perpetiendi, alligati & cõstricti estis amaro vinculo seruitutis: lex enim data est quæ vos frugi esse iubet, abrogemus igitur illud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium: etenim quid opus libertate est, si volentibus luxu perire, non licet? Erant & pleraque alia edicta, quæ

nunc

nunc omnia antiquata sunt penitusque sublata, adeò vt nulla ętas vnquam maiori gulæ cura ac luxu indulserit quàm hæc nostra, qui eius causa (vt ait Musonius) & post illum noster Hieronymus terram percurrimus & maria & vt mulsum, vinum precioſusque cibus fauces nostras transeant, totius vitæ opera desudamus, tot modò apud nos popinæ, tot ganeæ, tot gnatonum & luparum taberna, vbi homines edacitate, ebrietate: & libidine perduntur, vt sæpe non absque magno reipub. detrimento tota deuorent, absumātque patrimonia, tot modò reperta ferculorum genera, tot obsoniorum condimenta, tot mensarum leges, ritus & cæremoniæ, vt Asiotorũ, Milesiorum, Syberitarum, Tarentinorum: præterea Sardanapali, Xerxis, Claudij, Tyberij, Vitellij, Heliogabali, Galieni imperatorũ, aliorumque illorum veterum hel-

uorum (quos omnes delicijs, luxu ac voluptate popinę, cæteris nationibus ac hominibus pręstitisse narrant historici) opipara conuiuia penitùs sordida, incondita, rustica naque euasura sint, si cũ ijs nostris conuiuiorum apparatibus conferantur. Prętereà nihil actũ est cibi & potus elegantia, nisi simul etiam adsit abundantia vsque ad fastidium, & quę vel Herculem inebriet, qui eadẽ sæpius naui & vehebatur & potabat, ac cibi facietate Crotoniensem Milonẽ, & aureliani phagonem expleat, quorum ille triginta panes vna cœna præter reliquos cibos comedere solitus erat, alter vno die ante aureliani cęsaris mẽsam aprum integrũ, centũ panes, veruecem & porcellũ deuorauit: bibit autẽ in infundibulo appositò plus orca: hæc hodie apud nos receptissima sunt in rusticanis illis publicis cõuinijs, & templorũ dedicationibus, cæterisq; eorũ festis:

dice-

dicere tis Orgia Bacchi celebrari, tá
sunt illic omnia fuore, cruore, &
multiplicibus gulæ ebrietatisque
flagitijs cómaculata: tum Centau-
rorum conuiuia, à quibus sine ci-
catrice nemo reuertitur, illic spe-
ctare tis, & qualé de Erisichthone
voracitatem describit Ouid. hoc
carmine:

Nec mora, quod pontus, quod ter
ra, quod educat aër,
Poscit & appositis quæritur ie-
iunia mensis.
Inque epulis epulas quærit, quodq;
vrbibus esse,
Quodque satis poterat populo,
non sufficit vni,
Plusque cupit, quo plura suam di-
mittit in aluum.
Vtq; fretum recipit de tota flu-
mina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque
ebibit amnes,
Vtque rapax ignis non vlla ali-
menta recusat.

Innu-

Innumerasque faces cremat, & quo copia maior
Est data, plura petit, turbaque voracior ipsa est.
Sic epulas omnes Erisichtonis ora prophani
Accipiunt poscuntq; simul, cibus omnis in illo
Causa cibi est, semperq; locus fit inanis edendi.

Erant olim apud Græcos, deinde etiam apud Romanos athletæ homines voracissimi, sed horum infamia tandem etiam à viris consularibus & imperatoribus victa est: nam Albinus qui quondam rerum potiebatur in Gallia, centum perfica, denos pepones, quingentas ficus passurias, trecentas ostreas vna cœna deuorauit: & Maximinus imperator, qui Alexandro Mammeæ filio successit, quadraginta libras carnis vna die comedit, bibitq; vini amphorã: continet autem amphora quadraginta octo sex-

sextarios. Geta etiam imperator iam perditi luxus traditur, vt dapes per alphabetum inferri iusserit, sesequè triduanis epulis ingurgitarit. Iam verò (quod scelus impium magis) cum Deus & natura cibum nobis potumque salutis ac fortitudinis causa præpararent, nos contra varijs obsoniorum artificijs illis abutimur ad voluptatē, & supra humanę naturę capacitatem ingurgitamus corporibus nostris, immedicabiles morbos inde contrahentes, quo palàm videmus verum esse quod ait Musonius, dominos seruis, vrbes rusticis, ino pes opulētioribus & quosque qui vilioribus obuijsque vtuntur alimentis, cęteris esse robustiores, valentiores, fortiores, labores melio tolerantes, minusque in ijs defatigari, ęgrotari autē rarissimè, neq; vllos magis vexāt graues illę ęgritudines, puta, hydrops, podagra, morphea, colica & cōsimiles, quàm

qui-

qui simplicē victū cōtemnētes, ex coquinarū officinis viuunt, cōtra verò, qui simplici cōtenti victu magis incolumes cernimus. Adstipulatur isti etiá Cornel. Celsus, qui homini inquit vtilissimus cib. est simplex, aceruatio saporum pestifera, & cōdita omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam & plus propter dulcedinē absumitur, quam modò par est, tum ægriùs cōquiritur. Multi præterea grauissimi viri authoresque, hæc gulæ irritamenta obseruatorumq; artificiosam voluptatē detestati sunt, sed & alij, qui religionis nomine, nedū gulam, nedum luxum, sed & cibos nonnullos, quos Deus creauit ad vescendum, detestantur, abstinentes carnibus: vino autē, in quo, vt ait Apostolus est luxuria, ipsis Epicureis capaciores, abstinere & ieiunare se dicētes, cum se omni piscium genere, & optimo quouis vino oppleuerint, ad quæ labra, &

linguas

linguas, & dentes, & ventres armata circumferunt, non tamen oculos, sed de his satis, quin à cibaria ad gebericam, hoc est, alcumisticam coquinâ, quæ non minores decoquit opes quam popina, modò vadamus.

DE ALCVMISTICA.

CAP. XC.

ALcumist. itaq; siue ars, siue sucus, siue naturę persecutio dici debeat, profectò insignis est, & ademq; impunis impostura, cuius vanitas eo ipso se facilè prodit, cũ polliceatur quę natura nullo modo pati potest, nec attingere: cùm tamen ars omnis non possit naturam separare, sed illam imitatur, & longis passibus sequitur, & multo fortior sit vis naturę quàm artis. Alcumistica autem.

Ars suspecta probis, ars ipsa inui-
saque multis,

Inui-

Inuisos etiã cultores effecit artis,
Mendaces adeò multi manifeste videntur,
Qui seipsos alioſque simul fruſtrãtur inertes.

Dum rerum vertere species tentant ac bene dictum quendam philosophorum, vt vocant, lapidem fabricare præsumunt, quo Midæ instar contracta omnia corpora ilico in aurum argentúmve permutentur, quin etiam è summis in accessisque cælis quintam quandã essentiam deponere nituntur, quę iam nõ solum plures quàm Crœsi diuitias, sed & depulso senio reiuuenescẽtiam perpetuamque sanitatem, ac tantum non immortalitatem, vnà cum ingentibus opibus nobis pollicentur.

At nusquam totos inter qui talia curant,
Apparet vllus, qui re miracula tãta Comprobet.

Sed medendi aliquot experimẽtis.

tis, tum ex ceruſſa, purpuriſſi, ſtibio, ſapone, cõſimilibuſque pigmẽtis, ac mulieribus fucis, vetularũque incruſtationibus, & cuiuſmodi ſacræ literæ vocant vnguenta meretricia: ſtipem corrigant, quo geberică inſtituant officinam, vnde in prouerbium demum abijt: Omnis alcumiſta, vel medicus, vel ſaponiſta, credulorum hominum aures vrbis ditant, pecunia inanes vt reddant loculos. Et quibus ipſi ſpondent diuitias, ab his drachmas petunt. Hinc ſe palàm prodit hanc artem eſſe nullam, ſed ingentes nugas, & inſanæ mentis inania commenta. Inueniunt tamen tantæ felicitatis percupidos homines, quibus miro ingenio ſeſe maiores diuitias conſecuturos in hydrargyrio, quâ matura præſtet in auro perſuadeant, & quos iam terque quaterque deceptos, ſemper nouis præſtigijs incautos denuò fallant, & prodigioſa hac impo-

impoſtura cogant follibus aurum impellere fornacibus, nulla dulcior inſania quàm fixum volatile, tũ volatile fixum fieri poſſe credere: ſic deterrimi carbones, ſulfur, ſtercus ac venea, lotia & omnis dura pœna eſt vobis melle dulcior, donec prędijs, mercibus, patrimonijs omnibus decoctis, & in cinerem & in fumum conuerſis, dum longi laboris præmia, & naſcituros fœtus aureos, perpetuamque cum reiuueneſcentia ſanitatem ſibi molliter pollicentur, deuoratis multo tempore & ſumptibus, tũ primum vetuli annoſi, pannoſi, eſurientes, ſemper ſulfur olentes, & inter carbones atra fulgine ſordidi, aſſiduaque argenti viui cõtre ctatione paralytici, ſolius naſi affluentia diuites: cæterùm adeò miſeri, vt pro tribus aſſibus etiam animam venalẽ habeant, quã metallis inferre conabantur metamorphoſim, in ſeipſis experiuntur, effecti

iam

iam e
medi
ponit
titiaq
qui iu
re cõ
alcur
iam ſ
tate r
tãta c
re &
ptu r
que c
mon
ſificia
non
bus p
num
cleſia
omn
cipis
regn
tur,
ſcrip
ne, p

iam ex alcumiſtis cacochimici, ex medicis mendici, ex ſaponiſtis cauponiſtę ludibriuḿque populi ſtultitiaque patens, & fabula vulgi, & qui iuniores in mediocritate viuere cõtempſerunt, per omnem vitã alcumiſtarum fraudibus expoſiti, iam ſenes facti, in ſumma paupertate mendicare cõpelluntur, ac in tãta calamitate cõſtituti, pro fauore & miſericordia, inſuper cõtemptu riſuḿq; reportãt, paupertatéque coacti ſępe ad malas artes, & monetę adulterationẽ, aliaque falſificia degenerãt: ideoque hæc ars non modo à repub. Romanis legibus pulſa, ſed etiã ſacrorum Canonum decretis in tota Chriſtiana Eccleſia prohibita eſt, quod ſi & hodie omnibus qui abſq; ſingulari principis indulto alcumiſticã exercẽt, regno ac prouincijs interdiceretur, addita etiam bonorum proſcriptione, corporiſque afflictione, profectò non tot adulterinos

num-

nummos haberemus, quibus hodie fraudantur ferme omnes magno reipub. detrimento. Hanc ob causam puto Amasim regem Aegyptijs olim legem tulisse, qua cogebatur vnusquisque destinato magistratui rationē reddere, quo se foueret artificio, quod qui non faceret, pœna illi erat extremum supplicium. Permulta adhuc de hac arte (mihi tamen non admodum inimica) dicere possem, nisi iuratum esset (quod facere solent qui mysterijs initiantur) de silentio. Eoque pręterea à veteribus philosophis atque scriptoribus tā constantissimè religioseque obseruato, vt nullus vspiam probatę authoritatis philosophus, ac fidus scriptor comperiatur, qui huius artis alicubi vel solo verbo meminisset, quę res plerosque induxit, vt crederent omnes eius artis libros recentiori æuo iam pridem confictos: cui non modicum adsti-

pula-

pulatur ipsa auctorũ Giberis, Morieni, Gilgilidis, ac reliquæ eorum turbæ obscura & à nullis alijs celebrata nomina, cũm rerum quibus vtuntur absona vocabula, tum sententiarum ineptitudo, philosophã diq́ue ratio peruersa. Sunt tamen qui aurei velleris pellem interpretentur fuisse librum alcumisticũ, veterum more in pelle conscriptum, in quo auri conficiendi scientia cõtineretur, eiusmodi libros apud Aegyptios, qui huius artis peritissimi fuisse dicebantur, cum Diocletianus magna diligentia cõ quisisset, omnes exussisse legitur, ne comparatis diuitijs auriq́ue copia fidentes Aegyptij, Romanis aliquando bellũ inferre audirent, atque exinde hanc artem publico Cæsaris edicto semper habitam flagitiosam: verùm nimis longum foret narrare omnia huius artis stulta mysteria, ac inania ænigmata, de leõe viridi, de ceruo fugitiuo

de aquila volante, de stulto saltante, de dracone caudam suá voráte, de bufone inflato, de capite corui, deque illo nigro nigrius nigro, de sigillo Hermetis, de luto stultitiæ (sapientiæ dicere debui) ac similibus nugis innumeris. Denique de illo vnico solo, præter quod non est aliud, vbique tamen reperies benedicto, sacratissimi philosopho rum lapidis subiecto, videlicet, pene nomen rei effutiui, cum periurio sacrilegus futurus, dicam tamé circunlocutione, sed obscuriore, vt non nisi filij artis & qui huius mysterijs initiati sunt, intelligant. Res est quæ sustantiam habet nec igneam nimis, nec prorsus terreá, nec simpliciter aqueam, nec acutissimam, nec obtusissimam qualitatem, sed medicorum & tactu leuem, & quodámodo mollem vel saltem, non duram, non asperam, quin & gestu quodammodo dulcem, olfactu suauem, visu gratam, auditu blandá atque iucundá, cogi

tatu latam, plura dicere non conce
ditur, atque sunt tamẽ ijs maiora:
sed ego hanc artem (ob eam quæ
secum mihi familiaritas est) illo ho
nore potissimè dignã censeo, quo
probam mulierem definit Thuci-
dides, illam inquiens optimam
esse, de cuius laude vel vituperio
minimus esset sermo. Illud dunta-
xat addam, alcumistas omnium ho
minum esse peruersissimos, siquí-
dem cum præcipiat Deus, in su-
dore vultus vescendum esse pane
suo, & alibi dicat per prophotam:
Labores manuũ tuarũ quia mãdu
cabis, ideo beatus es, & bene tibi
erit: hi diuini præcepti promissęq;
beatitudinis contẽptores pro cul
labore, &, vt aiunt, in opere mulie
rum & ludo puerorũ aureos mon
tes moliuntur. Nõ inficior ex hac
arte multa admodũ egregia artifi-
cia ortũ habere, traxisseq; originẽ.
Hinc acieri, cinnabrij, minij, purpu
re, & quod aurũ mulicum vocant,

aliorumque colorum temperaturæ prodierunt, huic aurichalcum & metallorum omnium mixtiones, glutimina & examina & sequæstrationes debemus: bombardæ formidabilis tormenti inuentum illius est, ex ipsa prodijt vitrificatoria nobilissimum artificium, de qua Theophilus quidam pulcherrimum librum conscripsit. Narrat autem Plinius, Tiberij Cæsaris tempore excogitatum vitri temperamentum, quo flexibile & ductibile fieret, sed eius officinam à Tiberio abolitam, quin ipsum quoque tantæ industriæ artificem (si Isidoro creditur) neci datum, idque factum, ne aurum pro vitro vilesceret, & argento atque æri sua præmia detraherentur. Sed de iis satis.

DE

DE IVRE ET LEGIB.

Cap. XCI.

RESTAT nunc de iuris scientia dicere quæ solam se iactat inter verum & falsum, æquum & iniquũ, fas & nefas scire discernere, cuius facultatis hodie principes sunt papa & imperator, qui gloriantur se habere iura omnia in scrinio pictoris sui recondita, quibus pro ratione sufficit sola voluntas, cuius arbitrio oẽs scientias, & artes, & scripturas, & opiniones, & quæcunque hominum opera iudicare & regere præsumunt. Hinc firmiter præcipit Leo papa omnibus Christi fidelibus, vt nemo in ecclesia dei quicquam vel quenquam iudicare, iustificare, aut aliquid discutere præsumat, nisi sanctorum conciliorum canonum, & decretaliũ (quorũ caput est papa) auctoritate: atque ne nobis vti liceat, nec doctissimorũ nec

quorumcunque etiam sanctissimo rum theologorũ determinatione, nisi in quantum papa permittit & suis canonibus autorizauerit: sed & alibi adhuc præcipit canon, ne aliud volumẽ vel quicunque liber per theologos (imo per vniuersum mundum, ait) recipiatur: nisi ille qui per ecclesiam Romanã papæ canonibus comprobetur. Simile ius prætendit imperator in philosophiam ac medicinam cæterasque scientias, nulli disciplinæ permittens aliquid auctoritatis, nisi quantum illis conceditur per sui iuris peritiam, ad quã, vt ait, quotquot sunt scientiæ & artes, si comparẽtur, sunt tanquã viles & parũ vtiles. Hinc Vlpianus ait: Lex est rex omniũ humanarũ & diuinarũ rerũ, cuius virtus est, vt ait Modestinꝰ, imperare permittere, punire, vetare, quibus dignitatibus nullũ munus maius inuenitur: & Põponius in legibus definit eã esse inuẽtum & donum Dei, & dogma sa-

pientum omnium: quia priſci illi legeſlatores, quo decretis ſuis apud rudem vulgus authoritatem cõciliarent, finxerunt ſe dijs edoctos illis prę ſcribere. Sic Aegyptiis Oſiris à Mercurio, Zoraſtes Bactrianis & Perſis ab Oromazo, Chariundas Chartaginẽſibus à Saturno, Solon Athenienſibus à Minerua, Zantraſtates apud Arimaſpos à bono numine Zamolxis Scythis à Veſta, Minor Cretenſibus à Ioue, Licurgus Lacedæmoniis ab Apolline, Numa Pompilius Romanus à Nympha Aegerja. En videtis modo cuiuſmodi hęc iuris ſcientia in omnes alias ſibi imperium arrogat, exerceatque tyrannidem ac quomodo ſe omnibus reliquis diſciplinis tanquam Deorum primogenitam prę ferens illas tãquam viles ac inanes aſpernatur, cũ tamẽ ipſa tota atq; omnis nõ niſi ex caducis infirmiſsimiſq; hominũ cõmentis & placitis cõſtituta,

omniũ quæ ſunt tenuiſsima, & ad omnem temporis ſtatus principis mutationem, cõuertibilis exiſtat: quæ primam ſua ab ipſo primi parentis (omnium malorum noſtrorũ cauſa) peccato traxit originẽ. A quo lex corruptę naturę (quod ius naturale dicũt) prima prodijt, cuius egregia illa decreta: Vim vi repellere licet. Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Fallare fallẽtem nõ eſt fraus. Doloſus doloſo in nullo tenetur. Culpa cum culpa compenſari poteſt. Male meriti nulla debẽt iuſtitia nec fide gaudere. Volenti non fit iniuria. Licitum eſt contrahentibus ſe decipere. Tantum velet res quantũ vendi poteſt. Item, vt liceat ſibi conſulere cum damno alterius. Ad impoſſibile neminem obligari. Item, ſi te vel me confundi oporteat, potius eligã te confundi quã me. Et eiuſmodi plura, quę poſtea ſcripto inter leges relata ſunt. Denig; lex

natu-

naturæ est, non esurire, non sitire, non algere, non vigilijs, non laboribus macerari. Quæ omnem religionis pœnitentiam, pœnitentiæque opera depellens, Epicuream voluptatem, pro summa statuit felicitate. Exinde verò ius gentium emersit, ex quo primum bella, cedes, seruitutes; orta distinctaq; rerum dominia sunt. Porrò ius ciuile prodijt seu populare, quod populus aliquis sibi proprium constituit. Ex quo tot emanarunt in homines litigia, vt testibus ipsismet legibus plura facta sint negocia, quam rerum habentur vocabula. Nã cùm homines proni essent ad dissentiendum, necessarium, vt dicunt, erat iustitiæ obseruandæ per leges promulgatio: vt malorum sic coërceretur audacia, & inter improbos innocentia tuta redderetur, & boni quiete viuerent inter malos. Atque hæc sunt illa tam insigni iuris principia, in quo

legisla-

legislatores fuere pene innumeri, Quorũ primus Moyses, qui leges scripsit Iudęis, quo tempore etiam Aegyptijs leges tulit Cecrops: post Pheroneus primus omniũ leges dedit Gręcis: rursus Aegyptijs leges dedit Mercurius Trismegistus: deinde Dracon & Solõ Athenienſib. & Lycurgus Lacedęmonijs, & Palamedes primus leges tulit bellorum, ad iudicandũ exercitũ, Romanis verò primus leges tulit Romulus, quæ curiatæ appellatę sunt, post quem Numa Pompilius leges tulit religionum, & cęteri per succeſſum Romāni Reges suas leges dederunt, quæ omnes Papyrij libris postea descriptę fuerunt, vnde ius ciuile Papyrianum nomen sumpsit. Post hos ius duodecim tabularum prodijt, Item ius Flauianum, ius Helianũ, ex Hortensia Honorariũ ius prętoris, itẽ plebiscita, senatusconsulta, ius magistratuum & cõsuetudinis,

denique

deniq; vis iuris constituẽdi principi data: prętereò iuriscõsultos illos innumeros, quorum bonã partẽ recenset lex secunda de origine Iuris. Qui verò ius ciuile in volumẽ redigere conati sunt, ex his primo hoc attentauit Cneus Pompeius, deinde Caius Cæsar, sed pręuentus vterque bellis ciuilibus immaturaq; morte, nõ potuerunt perficere. Tandem veteres illas leges innouauit Constantinus, sed & Theodosius minor in codicem ab eo nuncupatum redegit: tandem Iustinianus hunc qui hodie in vsu habetur, codicem edidit. Iuris autem ciuilis tota auctoritas penes populum ac principes est, neque aliud est ius ciuile quàm quod homines communi consensu volunt. Hinc Iulianus ait, leges non alia de causa nos ligare quàm quod iudicio populi receptę sunt: qui communi consensu omne imperium ac potestatem in principẽ

contulit, vnde si quid populo ac principi placuerit, hoc tũ per consuetudinem, tum per constitutiones iuris habet vigorẽ, etiamsi error videatur vel falsitas: nam communis error facit ius, & res iudicata veritatem. Quod Vlpianus nos docuit his verbis, videlicet ingenuum accipi debere, etiã eũ de quo sententia lata est, quamuis reuera fuerit libertinus, quia res iudicata pro veritate accipitur. Apud eundem legimus Barbarium quẽdam Philippum, cum seruus fugitiuus esset, Romę prętură petijsset qua functus, ac tandẽ agnitus, receptum fuit, nihil eorum immutari quæ seruus in tantæ dignitatis velamento gesserit. Et alibi senex rusticus imperatoris autoritate in tantum veneratur, quod iurisperitus ex verbis illius argumẽtari iubetur. Paulus quoque Romanorũ iurisconsultrissimus hodie, inquit, propter sum imperatorum, si in

argen-

argento relatum sit candelabrum argēteum, argenti quoque esse nō autē suppellectilis, quoniam error ius facit. Idem de legibus & senatusconsultis palàm fatetur, non omnium quæ à maioribus cōstituta sunt, rationem reddi posse. Hinc ergo scimus iam omnem iuris ciuilis prudentiam, ex sola hominum opinione voluntateq; dependere, nulla alia ratione vrgēte, quàm vel honestate morum, vel commoditate viuendi, vel authoritate principis, vel vi armorum: quæ si conseruatrix bonorum & malorum vindex existat, bona disciplina est, finaliter, pessima res, propter iniqua quæ magistratu ac principe negligente, vel tolerante vel probante fiunt. Quinimo Demonactis sententia erat, leges omnes inutiles & superuacuas esse, vt quæ nec bonis nec malis rogentur, cum illi nō egeant legibus, hi verò per eas dem nihilo fiāt meliores. Prętereà

cum apud Liuium fateatur Cato, vix vllam legem ferri posse, quæ omnibus commoda sit, & ex qua non sæpissimè contingat æquitatem cũ rigore iuris pugnare, ipse etiã Aristoteles in Ethicis suis definiens æquitatem, vocat illam correctionẽ iustæ legis, qua parte deficit, quòd generatim lata est, nõne ergo iam hoc ipso satis ostenditur, totam iuris iustitiæque vim non tam à legibus, quàm à iudicis probitate æquitateque dependere?

DE IVRE CANONICO.

CAP. XCII.

A Iure Ciuili demanauit ius canonicũ siue pontificium, quod plerisq; sacrosanctissimum videri posset, tam ingeniosè auaritiæ præcepta ac rapiendi formulas specie pietatis adũbrat, cum tamẽ pauciſſima in eo statuantur ad pietatẽ, religionem, ac Dei cul-

cultum, sacramentorumque ritus spectantia, taceo quod nonnulla Dei verbo cõtraria aut repugnantia. Cætera omnia non nisi iurgia, lites, fastus, pompę, tum quæstus, ac lucri negotia, pontificumq; Romanorum placita, quibus neq; satis sunt, qui olim à sanctis patribus conditi sunt canones nisi his cõtinuò accumulent noua decreta, paleas extra vagantes, declaratorias, cancellariæ regulas, vt nullus sit condendorum canonum finis, neque mensura, quę vna omniũ Romanorum pontificũ ambitio atq; libido est, condendorũ scilicet nouorum canonum, quorũ eousque excreuit arrogantia, vt angelis cęlorum pręciperent, & ex inferno sublata pręda rapinâ facere præsumerẽt, & in mortuorũ manes manum mitterent, etiam in diuinã legem, interpretando, declarando, disputando nõnunquâ tyrannidẽ exercerent, ne quid plenitudini

pote-

potestatis suæ posset deesse aut de rogari. Nónne Clemens Papa in bulla quæ hodie adhuc Viennæ Limonis Pictauij in priuilegiorũ scrinijs plumbata seruatur, præcipit angelis de cælo, quod animam peregrinantis Romam pro indulgentijs & decedentis à purgatorio absolutam ad gaudia pergetua intraducant? insuper inquiens, nolumus quòd pœna inferni sibi aliquatenus infligatur, cõcedens insuper cruce signatis ad eorũ vota, tres aut quatuor animas quas vellent è purgatorio posse eripere, quam erroneam intolerabilemque temeritatem, ne dicam, prope hæresim, tunc Parisiensis schola palã detestata est atque corripuit, sed & fortassis pœnitens hodie, quod non hyperbolicum illum Clementis zelum, pio aliquo commento interpretati sunt, vt res valeret potius quàm periret, cùm propter eorum affirmare vel negare nihil

mu-

mutatur in re, & authoritate ſummi pontificis, cuius canones & decreta ipſam theologiam totam ſic adſtrinxerunt, vt nullus quátumcunque contentioſiſſimus theologus quicquam audeat ſtatuere, nedum opinari aut diſputare à pontificum canonibus diuerſum, abſque proteſtatione & venia, ceu de Rufo canit Martialis:

Quicquid ait Rufus, nihil eſt niſi venia Rufo,
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet aut loquitur.
Conat, propinat, poſcit, negat, innuit, vna eſt
Venia ſi non ſit venia, mutus erit.

Ex horum præterea canonibus & decretis didicimus Chriſti patrimonium eſſe regna, aſtra, donationes, fundationes, allodia, opes ac poſſeſſiones, ac ſacerdotium Chriſti Eccleſiæque primatum eſſe imperium, regnũ: & gladium Chriſti eſſe iuriſdictionem ac poteſtatem

tem-

temporalem: & petram Ecclesiæ fundamentum esse personam pōtificis, episcopos esse Ecclesiæ non ministros modò, sed capita & bona Ecclesię esse non modò doctrinam euangelicā, ardorem fidei, cōtemptum mundi, sed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentū, gemmas, prędia, pecunias, potestatem, summi pontificis esse gerere bella, dissoluere fœdera, soluere iuramēta, absoluere ab obedientia, & domum orationis facere speluncam latronū, ita quod papa potest deponere episcopum nō sine causa, quod potest dare rem alienā, quòd non potest cōmittere Simoniam, quod potest dispensare contra votum, contra iuramentum, contra iu naturale, & nemo habet illi dicere, cur ita facis? posse insuper graui, vt dicunt alia de causa dispensare contra totum Nouum Testamentum, etiam ad tertiam

partem

partem & vltra fidelium animas in infernum protrahere. Episcoporum verò officium esse iam non prædicare verbum Dei, sed datis alapis confirmare pueros, conferre ordines, dedicare templa, baptizare campanas, consecrare aras & calices, benedicere vestes & imagines: quibus verò super hæc altius ingenium est, ij relinquentes illa, nescio quis titularibus Episcopis, ipsi regum funguntur legationibus, illorum præsunt oratorijs, aut comitantur reginas, magnam satis & grandem ob causam excusati ne seruiant Deo in templis, si magnificè venerentur regem in aulis. Ex ijsdem fontibus prodierunt cautelæ istæ quibus hodie citra Simoniam episcopatus & beneficia emuntur venduntúrque, & quicquid præterea est nundinationũ & monopoliorũ in gratijs, in cõdonationibus, in indulgẽtijs,

in

in dispensationibus & similibus rapinarum formulis, à quibus etiã in gratuitis ab ipso Deo factis peccatorũ remissionibus precium statutum est, & inferorum pœnis inuentum est lucrum: insuper huic iuri debetur ementita illa Constantini donatio, cum reuera atque cõtestante verbo Dei, nec Cæsar sua relinquere, nec Clerus quæ Cæsaris sunt sibi debeat vsurpare, sed ex multis admodum ambitionis, superbiæ ac tyrãnidis legibus dũtaxat aliquas vobis referã, quæ ijs quæ nunc diximus faciant fidem. Scrutamini igitur si libet in antiquis decretalibus cap. Significasti &c. venerabilem de elect. c. solite de ma. & obed. c. cum olim de priuileg. c. si summus põtifex de sent. exc. c. Inter cætera de off. iud. ord. Deinde in sexto decret, quem cõpilauit Bonifacius octauus, videte quid loquatur in illius prologo: & in c. 1. de immunitate Ecclesiarum.

rum neque cedit istis illa arrogantissima Clementina pastoralis de sent. & re iud. cum extrauagante. Ioan. 22. quæ incipit: Ecclesię Romanæ, & alia eiusdē super gentes, & extrauagans Bonifacij 8. vnam sanctam: Ex cōpilatione denique Gratiano occurrunt nobis, c. Si cuius d. 14. c. Si omnis d. 18. c. Sic omnes, & c. enimuerò c. in memoriam c. Si Romanorum dec. 19. c. Omnes d. 22. c. tibi domino d. 60. c. Constantinus d. 69. & c. Quādo d. 86. & gl. ibid. & c. Si papa d. 60. Porrò etiam accedūt istis 9. q. 3. c. Cuncta & c. Cōquest. 15. q. 6. c. Autoritatē. 17 q 4. Nemini 21. q. 5. Sūt qui 23 q. 5. Omniū & q. 8. c. Omni 30. q. 1. c. Omnia. Hos & horum similes canones qui diligēter examinarit, cōperiet cuiusmodi sunt illa magna & admirabilia & abscōdita mysteria, quæ aliqui Romani pōtifices in suis canonibus structicant, etiam ea quę alicubi decuntur

tur in scripturis sacris couertentes, & nonnunquam adulterantes, atque illis suis figmentis adsimulantes & adaptantes, hinc illę quas vocant concordantias bibliæ & canonum natæ sunt. Accedũt istis tot rapinarum tituli de palijs, de indulgentijs, de bullis, de confessionalibꝰ, de indultis & rescriptis, de testamentis, de dispensationibus, de priuilegijs, de electionibus, de dignitatibus, de præbendis, de religiosis domibus, de sacris ædibus, de immunitatibus, de foro, de iudicijs & eiusmodi reliquis, denique totum ipsum ius canonicum omnium est inconstantissimum, ac ipso Proteo atq; Chamcæ leonte mutabilius ac Gordionodo magis implicitum, ipsaque Christiana religio, à cuius origine Christus sine impositi cæremonijs, nunc hoc canonũ iure plures habeat, quàm vnquam olim habuerunt Iudæi, quorum pondere addito ipsum

leue

leue ac ſuaue Chriſti iugum nunc redditum ſit omnium grauiſſimũ, cogunturque Chriſtiani plus ex canonum præſcripto quàm ex ipſo viuere euangelio. Tota autem vtriuſque iuris peritia, non niſi circa caduca, fragilia, fluxa, inania, ac profana negotia, vulgíque cõmercia atque contumelias, tum circa hominũ cædes, furta, compilationes, graſſationes, factiones, conſpirationes, iniurias, proditiones verſatur. Accedunt ad hæc periurationes teſtiũ, falſificatores ſcribarũ, præuaricationes cauſidicorũ, corruptiones iudicum, ambitiones cõſiliariorũ, rapinæ præſidũ, quibus opprimuntur viduæ, proſternuntur pupilli, exulant probi, proculcantur pauperes, damnãtur innocentes, atque, vt eſt apud Iuuenalem:

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Et cæci homines quæ putauerunt ſe per leges & canones poſſe euita-

euitare, sibi protinus parauerunt & incurrerunt, quia non sunt hæ leges & canones à DEO, nec ad Deum, sed à corrupta hominum natura ingenioque profecta, & ad quæstum & auaritiam excogitata.

DE ARTE ADVOCATORIA.

Cap. XCIII.

IVris autem adhuc aliud est exercitium, quàm artem vocant placitatoriam siue aduocatoriá, vt aiunt, maximè necessariam, ars vetustissima & fraudulentissima suasorio cooperimento subdole adornata. Quæ non est alia, quam scire iudicem persuasione demulcere, & ad omne arbitrium vti, scire iuribus vel inuentis glosis ac commentis, leges quascunque pro libidine fingere & refingere, vel iniquis quibusque diuerticulis illas subterfugere, aut fraudulentam litem

tem prorogare. Sic citare leges, vt peruertatur æquitas, sic glossatorum adstruere autoritatem, vt subuertatur sensus legis mensque legislatoris, in hac arte plurimum momenti habet altum vociferari, audacemque & in litigando clamosum & improbum esse. Isque habetur aduocatorũ optimus qui plures allicit ad litigandũ, & promissa spe vincendæ litis in iudicium impellit, stimulatque impijs consilijs qui venatur appellationes quique est egregius rabula, ac iurgiorum auctor, qui garrulitate ac linguę viribus nihil non possit clamare: sed & quanuis causam altera iudiciorũ præstigijs præferre, ac vera & iusta isto modo dubia & iniqua facere, iustitiamq; ipsam suismet armis profligare, peruertere, prosternere, apud quos Iustitia nihil est, nisi publica merces: at iudex in causa qui sedet, empta probat. Sed & ea etiá quę nõ sunt rerũ scilicet pri

nationes & silentia, precio expo-
nunt, nam vt nullus eorum loqui-
tur nisi ad mercedem, ita nec ta-
cet nisi ad præmium, exemplo pu
to Demosthenis, qui cum Aristo-
demum fabularum auctorē inter-
rogasset, quātum mercedis vti age
ret, accepisset, & responderet ei, ta
lentum: At ego, inquit Demosthe-
nes, plus accepi vt tacerem. Causi-
dicorum siquidē lingua tam dam-
nifica est: vt nisi vinciatur muneri-
bus, fieri non potest vt nō noceat.

DE ARTE NOTARIA-
tus & præcoratoria.

Cap. XCIIII.

QVibus tū ad hoc ipsum ad-
sunt, procuratores & nota-
rij, quos vocant tabelliones,
quorū iniurias & damna, & nequi-
tias, & falsificia, omnes patienter
ferre oportet, cùm omnium fidem
& licentiā ac potestatē apostolica

&

& imperiali auctoritate se obtinuis se videtur. Atq; inter hos illi sunt præcipui, qui norint forũ egregiè perturbare, miscere lites, confundere causas, supponere testaméta, instrumenta, rescripta, diplomata: tum egregiè fallere, decipere, & vbi opus est peierare, & falsum scribere. Omnia audere, & construendis dolis, fraudibus, technis, calũnijs, laqueis, captiunculis, insidijs tricis, ambagibus, circunuentionibus, Scyllis & Charibdibus se à nullo vinci patiantur. Nullus præterea notariorum tam integrum quod vocant instrumentum præscribere potest: quin rursus litem contestari necesse sit, si quis velit contradicere aduersarius. Nam aut aliquid omissum dicet, aut falsum, aut fraudẽ subesse, aut aliam exceptionẽ opponet, qua instrumẽti aut notarij fidem impugnet. Atq; hęc sunt alia iuris remedia, ad quę litigantibus confugiendũ esse

docent: hæc illæ vigiliæ, quibus iura subuenire dicunt, ni sit qui malit pugnare quam litigare. Is enim tantum iuris habebit quantum potentia sua poterit defendere dicẽte lege, quoniã potentioribus partes esse non possumus.

DE IVRISPRVDENT.

Cap. xcv.

HVc spectãt etiã vastissimi illi gigãtes, qui nobis contra Iustiniani edictũ, tot glossarũ, cõmentariorum, expositionũ, ingentia, innumeraque volumina, vnoquoque illorum aliter & aliter interpretante genuerunt. Præterea tot opinionũ procellas, tot vaferrimorum cõsiliorum ac cautelarũ syluas infelicissima fœcunditate parturieruut, quibus aduocatorũ instruuntur nutriunturque nequitiæ, qui tam celebri illorum iurisperitorum per singulas periodos, &

vt

(vt vocát) paragraphos, nomẽclatura pudorẽ ſuum obſtringunt, ac ſi non potius rationibus cõſtet veritas quam cõfuſis teſtimonijs, ex tam nugantium opinatorum colluuie adductis, penes quos tanta laus eſt contentio atque diſcordia, vt qui non diſſenſerit ab alijs qui neſcierit nouis opinionibus aliorum dictis contradicere ac iudicata omnia in dubium reuocare, & bene inuentas leges per ambiguas expoſitiones ad ſua figmenta adaptare, is parum vel nihil doctus habeatur. Hinc tota illa iuris prudentia facta eſt conſilium peruerſum & ſubdolum rete iniquitatis: hæc ſunt ingenia, hæ artes, quibus hodie regitur orbis Chriſtianus, quibus conſtituuntur imperia, & regna, & principatus populorum atque ex his nebulonibus deliguntur principum, pontificumque officiales atque parlamentarij, iſti ſenatores & præſides, ac ſi qui

iniqui hactenus fuerint aduocati, æquiores futuri sint iudices, atque tandem capita regnorum sunt. Hi etiam regibus suis, vt Ioui quondã Titanes, formidabiles. Porrò ex his prodeunt tandem Cæsarum regumque ventricosi isti archiscribæ, ac circumpurpurati cãcellarij, quibus rerum summa cõmissa est qui principum placita, dona, beneficia, officia, dignitates, rescripta, diplomata: præterea jus, fas, leges, æquum & honestum, omnia venalia habent, & abs se mercari cõpellunt. Ex quorum arbitrio regũ numerantur amici & inimici, quos pro libidine sua nunc fœderibus iungunt, nunc rursus funestis bellis cõmittunt. Atque cum ipsi ex infima plebis fece sordidissima vocis prostitutione ad tantum dignitatis culmen conscenderint, ad tãtum simul audaciæ scelus euehuntur, vt audeant nõnunquam proscribere principes, & vel absque

sena-

senatusconsulto, ac vel indicta causa damnare capitis, mutandisque regnorum statibus auctores sunt, ipsi interim tumentes furtis & latrocinijs suis.

DE ARTE INQVISItorum.

Cap. XCVI.

SPectant ad hunc cætũ etiã ordinis prędicatorũ hæreticorũ inquisitores, quorũ iurisdictio cùm tota in theologicis traditionibus & sacris scripturis fundata esse deberet, ipsi tamen hanc omnẽ ex iure canonico & pontificiis decretis, ac si papã errare impossibile sit, crudelissimè exercent, ipsam scripturam sacram velut mortuam literam, & non nisi vmbram veritatis à tergo relinquentes, quin & veluti hæreticorũ vt aiunt, scutum & propugnaculũ procul reiiciunt. Neq; etiã antiquorum doctorum patrumque traditiones re

cipiunt, dicentes, quia falli possunt & fallere, sed vnam Romanã eccle siam, quæ, vt dicunt, errare nõ po- test, cuius caput papa est, eiusque curię stylum sibi scopum fidei prę figunt, non aliud cùm inquirendo expostulantes, quàm si credat in Romanam ecclesiam, quod si affir marit, ilico dicunt, ecclesia Roma- nã hanc propositionem aut hære- ticã, aut scandalosam, aut piarum aurium offensiuam, aut ecclesiasti cæ potestatis derogatiuã damnat, moxque ad palinodiam & reuoca tionem compellunt. Quod si tunc inquisitus opinionę suam scriptu- ræ testimonijs aliisue rationibus tueri conetur, interrumpẽtes stre pitu iratis buccis, dicunt non esse illi negocium cum bacculaureis & scholaribus ad cathedram, sed cum iudicibus ad tribunal, nõ esse ibi litigãdum & disputandum, sed simpliciter respondendum, si ve- lit stare decreto Romanæ ecclesię

&

& opinionem suam reuocare, sin minus, fasciculos & ignem ostendunt, inquientes, cum hęreticis nō argumentis & scripturis, sed fasciculis & igne decertandum, hominemque nec pertinaciæ alicuius conuictum, nec meliora edoctum cōtra cōscientiam suam sua abiurare compellunt, quod si nolit, veluti ecclesiæ desertorem seculari foro tradunt, vt comburatur, dicentes cum Apostolo: Auferte malum de medio vestri, tanta olim fuit ecclesiæ mansuetudo pontificumque clementia, sicut in 4. distinctione de consecratione cum pri- compilauit Gratianus, vt nec rela ſtina ner ſos in Iudaismū capite punirent, rātes mā- nec blasphemos supplicio affice- suetudo. rent: ipseque Berengarius in abominabilem hæresim relapsus, non solum nō occisus est, sed nec archidiaconi dignitate priuatus est. At hodie in minimum errorē prolapsus, plꝰ quàm capitis reus agitur,

1. Cor. 15.

Ecclesiæ

Pōtifi-

& ab istis inquisitoribus nonnunquam pro minimo crimine traditur incendio: fortè expedit hodie Ecclesiæ tam seuera animaduersio, modò interea non occidat germana pietas. sunt hæreticæ prauitatis inquisitores nonnunquam ipsimet praui, possuntque etiam esse hæretici, quæ res nouæ constitutionis Clementi occasionem præbuit, debent ergo inquisitores contra hæreticos, non per tenebricosa argumenta & rixosos syllogismos, sed per verbum Dei de fide Catholica disputare, & hęreticum per sacras literas cõuincere, deinde iuxta canonum documenta, & sacrorum conciliorum constitutiones negocium terminare, & inquisitum ad fidem orthodoxam reducere, aut hæreticum declarare, neque enim hæreticus est qui temerarius non est, nec fautor hęreticorum cẽsendus est, qui innocentem criminis & damnatum hæreseos defendit,

dit, quo minùs ad iniquorum aliquot inquisitorum, imò rapacium autorum tribunal, & in locum nō tutum tradatur dilacerandus. Iam verò etiam cùm iure expresse cautum sit, inquisitores nec cognoscē di potestatem, nec iurisdictionem vllam habere super quauis hæresis suspicione, defensione, receptatione vel fauore, vbi & quomodo nō constat manifestè quod ibi sit hæresis expressa & explicitè condemnata, tamē isti sanguisitibundi vultures, vltra priuilegia officii inquisitionis sibi concessa, contra iura & canones sese iurisdictioini ordinariorum ingerunt, arrogantes sibi iurisdictionem pontificum, in ea quæ non sunt hæretica, sed dūtaxat piarum aurium offensiua, aut scandalosa, aut alio quouis modo circa hæresim erronea, & in rusticas mulierculas crudelissimè sæuiunt, quas fortilegii aut maleficii accusatas denunciatasue, sæpè

nullis iuridicis iudicijs præcognitis, atrocibus enormibusque tormentis exponunt, donec extortis nunquam cogitatis cõfessionibus. habeant quod condemnent, & tũc verè inquisitores sese agere putãt, quando non desistunt ab officio, donec misera sit combusta, aut inquisitori manũ inaurarit, quo miseriatur, & tanquam tormẽtis sufficienter purgãtam, absoluat: potest enim inquisitor non raro pœnas mutare, de corporali in pecuniariam, & suo inquisitiõis officio applicare, vnde illis non modicum lucrum est, habentque ex miseris illis non paucas quę annuum censum illis pendere coguntur, ne denuò rapiantur ad inquirendũ: prę terea cum bona hæreticorũ Fisco proscribuntur, etiã inde nõ parua præda est inquisitori, sola denique accusatio aut denunciatio, vel leuissima etiam suspicio hæresis aut sortilegij, ipsaq; inquisitoris citatio,

Inquisitores corrupti.

Inquisitoribus annuũ cẽsum pendũt mulieres rusticanæ.

tio infamiam annexá habẽt, cuius integritati nõ nisi data inquisitori pecunia, consulitur, atq; illud non nihil est. Hac cautela dum essem ego in Italia, plerique inquisitores in ducatu Mediolanensi multas honestissimas matronas, etiam ex nobilioribus vexarũt, ingentemque pecuniam à timidulis territisque clàm emunxerũt. Tandem cognita fraude à nobilibus male mulctati sunt, vixque gladium & ignem euasere. Fuit mihi olim cùm apud Mediomatricos reipublicæ à consilijs aduocatus præessem, grauis admodum cum inquisitore pugna, qui rusticam mulierculam obstutiles quasdam & iniquissimas calumnias in suam carnificinam & in locum non debitum homo nequam nequiter traxit, non tam inquirendam quàm trucidandam: hanc ego cum tuendam suscepissem, ostendissemq; in ipsis actis nihil esse indicij, quod ad quæstionem faceret,

ille in faciem resistens. Est, inquit, vnum sufficientissimum, nam mater huius quondam pro sortilega excremata est: hũc articulum ego cùm impertinentem & de facto alieno citatis iuribus etiam ex iudicis officio reijciendum esse ostenderem, ille mox contra, ne sine ratione locutus videretur, ex mallei maleficarũ penetrabilibus & peripateticæ theologiæ fundamentis, talem eduxit, inquiês: ideò id esse, cum quia solitę sint malificę mulieres fœtus suos illico natos sacrificare dæmonibus, tum quia solent illos ex incuborum dæmonũ cõcubitu plurimum cõcipere, quocirca contingit tunc in hac prole veluti ex hæreditario morbo radicatam remanere malitiã. Infero ego, sicci ne peruersè pater tu theologizas? hisce figmentis ad torturã protrahis insontes mulierculas, istis sophismatibus alios iudicas hæreticos, tu ipse Fausto Donatoq; hære-

ticis-

ticis ea sententia nõ inferior? esto ita vt dicis, nónne euacuas gratiã baptismi? ac frustra dixerit sacerdos, exi immunde spiritus, da locũ spiritui sancto, si propter sacrificiũ impiæ parentis proles remansura sit diabolo: quod si tibi libeat etiã illorum opiniones tueri, qui incubos dæmones generare posse fatẽtur, certè nullus eorum qui hoc asserũt, adeò desipuit vnquá, vt sentiret dæmones illos vnà cum suffocato semine aliquid de natura sua extra mittere ingenitum: quin ego tibi dico, inquam, ex fide, quod ex propria natura humanitatis nostræ, sumus omnes nati vna massa peccati & maledictionis æternæ, filij perditionis, filij diaboli, filij irę Dei, & hæredes interni, sed per gratiã baptismi eiecto est de nobis Satanas, & effecti sumus noua creatura in Iesu christo, à quo nemo potest nisi per peccatũ propriũ separari, tantũ abest, vt obsit illi factũ alienũ.

Baptismus & gratia,

Vides

Vides nunc quàm sit hoc tuum quod ais sufficientissimum, iudicium iure irritum, & ratione vacuum, & adsertione etiam hæreticum: incanduit superijs crudelis hypocrita, & comminabatur sese aduersum me, vt cõtra fautorum hæreticorũ, causam acturum: ego misellam illam defendere non destiti, ac tandẽ iuris potentia ab ore leonis illius saluã eripui, restititq; sanguinolentus ille monachus coram omnibus confusus, & crudelitatis nomine perpetuò infamis, etiã calumniatoribus illis qui mulierem traduxerant, ipsi Metensis Ecclesiæ capitolio, cuius subditi erant, insigni mulcta cõdemnatis.

DE THEOLOGIA SCHOLASTICA.

Cap. XCVII.

POstremò nũc restat de theologia dicere. Præteribo autẽ gentilium theologiam à Musæo

sæo, Orpheo, Hesiodo, quondam descriptam, quam omnino poëticam & fabulosam esse in confesso est: quam Eusebius & Lactantius & aliorum Christianorum doctores iam dudum validissimis rationibus profligarunt, neq; etiam de Platonis cæterorumque Philosophorum, quos omnes errorũ magistros ostendimus superius: Sed de Christianorum theologia nobis duntaxat hic sermo esto, hanc certum est non nisi à doctorũ suorum fide dependere, cum nullam sub artem cadere queat. Primum autem dicamus de theologia scholastica, quę à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex diuinis eloquijs & philosophicis rationib9 tanquàm ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est: insuper & nouo quodam ac ab antiquorum vsu alieno tradendi genere perquęstiunculas & argutos syllogismos absque omni sermonis

nis elegantia conscripta, alioquin tamen iudicio & intellectu plenissima, & quę ad reuincendos hæreticos non modicum attulerit Ecclesiæ emolumentum, eius authores & qui in ea excelluerunt, fuerunt Magister sententiarum, Thomas Aquinas, Albertus cognomẽto Magnus, & multi alij excellentes viri: porrò Ioannes Scotus doctor intellectu subtili, sed in contentione procliuiori. Hinc tandem scholastica theologia in sophismatã paulatim delapsa est, dum recentiores isti theosophistæ, ac verbi Dei cauponatores, qui nõ nisi empto titulo theologi sunt, ex tam sublimi facultate quandam logomachiam fecerunt, circumeuntes scholas, mouentes quæstiunculas, fabricantes opiniones, & scripturis vim inferentes, intricatis verbis alienum sensum illis obducentes, paratiores ventilare, quàm examinare, multa admodum iurgiorum semi-

seminaria excogitare ausi, quibus litigiosis sophistis cõtendendi materiam præbent, dum formas abstrahent, dum discutiunt intellectus, dum voces ipsas genera dicunt & species, dum alij rebus, alij solis nominibus inhærent, & quod vni subtrahunt, alteri inscribunt, alij indifferenter hoc accipiunt, & studeant quisque quibus suam hæresim possint confirmare. Atque ipsam fidem nostram sacrosanctã apud sapientes huius seculi (quod etiam Thomas Aquinas conqueritur) risui ac diffidentiæ exponunt, dum relictis post terga canonicis Spiritussancti scripturis, multas admodum aptas iurgijs de diuinis quæstiones sibi delegerunt, in quibus ingenium suum exercentes, & ętatem consumentes, totius theologiæ doctrinam in illis solis collocarunt, quibus si quis sacrarũ literarũ autoritate resistere velit, mox auditurus est: litera occidit,

pernicioſa eſt, inutilis eſt, ſed quod latet in litera, inquirẽdum dicent, moxque ad interpretandum, ad exponendum, ad gloſſandum, ad ſyllogizandum conuerſi quemuis potius alium quam propriũ literæ ſenſum illi induũt, ſi inſtas acrius, ſi vrges, contumelias recipies & aſinus diceris, qui quid latet in litera, non intelligas, ſed tanquam ſerpens ſola terra veſcaris, adeò nulli penes eos pro theologis habentur, niſi qui norint egregiè contendere, & ad omne propoſitum inſtantiam dare, promptè fingere, & nouos ſenſus inuenire, ac monſtruoſis vocabulis ſic obſtrepere, quo nõ præ rei difficultate, ſed prę verborum portentis intelligantur à nemine. Atque hi tunc doctores vocantur, cùm id effecerint, vt intelligantur quàm minime, his tunc auditorum circumſtrepit multitudo, qui quicquid ex iſtis hauſerint, ex intimis theologiæ abditis deprom-

promptum putant, iurantque in verba magistri, & inopinabile putant, si quid illi fuerit ignotum, illiusque opinionibus sic captiuantur, vt nullis aduersis rationibus vincantur, nullis scripturis acquiescant, sed ad sinum matris suæ, in quo geniti sunt, more Antæi vires reparare contendunt, suosque doctores in subsidium vocant:

Tunc vultur iumẽto canibus trucibusq; relictis,
Ad suos properat, partemque cadaueris adfert,
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis propria cùm facit arbore nidum.

Hinc effectum est, vt scholasticę theologiæ sublimis gymnasiorum facultas, ab errore malitiaque non sit immunis, tot sectas, tot hæreses introduxerunt praui hypocritæ temerariique sophistæ, qui (vt inquit Paulus) non propter bonam volun-

voluntatem, sed propter cõtentionem Christũ prędicant, vt faciliùs inter philosophos cõueniat quàm inter theologos, qui omnem illam antiquæ theologiæ gloriam humanis opinionibus nouisque erroribus extinxerunt, ac varijs exponendi institutis ceu labyrinthis excogitatis, fucatis titulis detestandá doctrinam professi, sacrę theologiæ nomẽ sibi furto & rapina vsurpant, ac sanctorũ doctorum nominibus & institutis abutentes, sectas introduxerunt, sicut olim in ecclesia dictum: Ego Apollo, ego Pauli, ego Cephæ, prætendentes studia eorum, quorũ opera initiati sunt doctrinis, & iurantes in verba magistri, cæteros spernunt, & non quid, sed à quo quid dicatur attendentes. Atq; hi sectatores insuper inter se multifariá secti sunt. Nam aliqui eorum quibus sublime ingenium est, quiq; peritiores prophetis & Apostolis videri volunt, ea quæ

quę sola fide creduntur, etiam suis syllogismis sese inuenire & demonstrare posse præsumunt, atque de diuinis philosophantur deploratis quæstionibus, contenduntq; prodigiosa cõfidentia, varijs nonnunquam etiam absurdis opinionibus, vt cùm diuiná essentiam à relationibus, alij re ipsa, alij duntaxat ratione distingunt, alij infinitas (vt loquuntur) realitates tanquá Platonicas ideas adstruunt, illas rursum alij negant atque rident, tot præterea de Deo portenta, tam varias diuini numinis formas, tot phantasmatum cogitationumque suarum de diuinis idola fabricant, Christumque saluatorem opinionum suarum prauitate discerpũt: atque tam variis sophismatum laruis vestiunt, ac tanquam cereum idolum in quáuis volunt figuram, suis absurdis suppositiõib. formãt atq; reformant, quod eorũ doctrina mera videri posset idololatria.

Cæte-

Cæteri verò quibus ad tam alta non est ascensus, hi diuorũ cõstruunt historias, piè nonnihil ãdmentientes, supponunt reliquias, fabricant miracula, confinguntq; (quæ exempla vocant) vel plausibiles vel terribiles fabulas, numerant preces, põderant merita, mentiuntur cæremonias, nundinantur indulgẽtias, distribuunt venias, vendunt suabenefacta, ac mendicandi populi deuorant peccata. Atque de apparitionibus, adiurationibus responsisque defunctorum veluti certa lege pronunciant, atque ex Tundali Brandarijque libris, aut ex Patricii antio edocti, ludunt purgatorium tragœdias, & indulgentiarum cõmœdias, & à suggesto veluti scena, tam militari audacia, tam Thrasonica iactantia, tam arrogantibus oculis, commutato vultu, protensis brachiis, multiformibus gestibus, cuiusmodi Proteũ describunt poëtæ, sese transformantes

mantes, ventosa lingua ac stentorea voce ad plebem denotat. Qui verò ex his ambitiosiores, cyclicæ doctrinę pariter & eloquentię decorem sibi arrogant, hi in clamando (declamando dicere putaui) canunt poëmata, narrât historias, disputant opiniones, citant Homerum, Virgilium, Iuuenalẽ, Persium, Titum Liuium, Strabonem, Varronem, Senecam, Ciceronẽ, Aristotelem & Platonem. Atque pro euãgelijs pro verbo Dei miras nugas & humana verba crepant, prædicantes Euangelium nouum, adulterantes verbum Dei, quod annunciant non ad gratiam, sed ad quęstum & ad precium. Viuentes autem non ad veritatem verbi, sed ad voluptatem carnis, & cum interdiu e suggesto de virtute, vario errore loquuti sunt, sero in latibulis clunes agitant labore nocturno. Atque hæc est via eorum, qua itur ad Christum. Denique vbi

vitia reprehẽdenda occurrunt, mirum qua linguæ maledicentia irascãtur, qua gestuũ insolẽtia debachãtur, qua sermonis turpitudine incandescant, qua vocis impudentia exclament ac si christus sui verbi prẽcones non attrahentes à dextris molli reticulo piscatores, sed persequentes à sinistris sagittarios ac vulnerarios venatores esse voluerit: aut ipsi etiam non homines sint, atque ijs ipsis vitijs quæ insectãtur vel maioribus obnoxij sint, aut aliquãdo fuerint, vel adhuc obnoxij fieri possint ita ista piscatores hominum, quibus lingua pro rete est, vt trahãt malos ad salutẽ, facti sunt venatores etiam bonorum in exitium: os habent quasi arcum mendacij, sagitta vulnerans lingua eorum, sed dimissis istis ad veram theologiam nunc properemus, atque hæc etiã bifariam partita est: nã vna prophetica est, altera interpretatiua est, de posteriore prius dicemus.

DE

DE THEOLOGIA INTERPRETATIVA.

Cap. XCVIII.

PVtant enim interpretatiui theologi quod quēadmodū naturæ liberalitate, vuæ, oliuæ, frumenta, linum & huiusmodi plura crescunt & maturantur, è quibus tandem hominum ingenio & adiumento formantur, vinum, oleum, panes, tela, & sic reliqua naturæ opera humanis artibus complentur, ita etiam diuina oracula admodum obscura & abscondita data nostris interpretationibus explicanda, non quidem ex nostris viribus aut adinuentionibus, quasi Dei oracula sicuti naturæ opera opus habeant nostro adiumento, sed ex ipsomet scripturarum illarum sancto spiritu, qui distribuit dona sua omnibus secun-

dum quod vult,& vbi vult, faciés alios quidem prophetas,alios prophetarum interpretes. Hęc itaque diuinorum interpretandi theologia,non peripateticorũ more definiendo,aut diuidendo,aut componendo,quorum modorum nullus ad Deum attingit,cum ille nec definiri,nec diuidi,nec componi possit,progreditur:sed alia constat cognoscẽdi via,quę inter hãc & propheticam visionem media est quę est adæquatio veritatis cum intellectu nostro purgato,veluti clauis cum sera qui vt est veritatum omnium cupidissimus, ita intelligibilium omnium susceptiuus est,atq; idcirco intellectus possibilis vocatur,quo & si nõ pleno lumine percipimus ea quæ depromunt prophetæ,& hi qui ipsa diuina conspexerunt,aperitur tamen nobis porta,vt ex coformitate veritatis perceptę,ad intellectũ nostrũ,& ex lumine quod ex ipsis penetralibus

apera

apertis nos illustrat, multò certiores reddimur quã ex philosophorũ apparentib. demõstrationibus, diffinitionib. diuisionibus, & cõpositionibus, daturq; nobis vt legamus & intelligamus, non oculis & auribus exterioribus, sed percipiamus melioribus sensibus, & ablato velamine & reuelata facie hauriamus veritatem, à medulla sacrarũ literarum emanãté, quã sub velaminibus tradiderũt hi qui verò intuitu cõspexerunt, quæ à sapientibus huius mũdi & philosophis cognitionibus abscondita est, eamq; nos tanto certitudinis iudicio apprehendimus, vt omnis amoueatur perplexitas. Atq; cũ hæc veritas in sacris literis multiplex lateat, hinc sancti & spirituales viri varias & multiplices sacrarũ literarũ expositiones adorti sunt: nam alij per corticẽ literæ leni decursu incedentes, scripturas concordantes, & literam per aliam literã ex-

ponentes, ex verborũ ordine, etymologijs, proprietatibus, atque ex vocabulorum viribus, & similibus sensum aliquem cõuincentes. scripturæ veritatem venantur, quam expositionem idcirco literalẽ vocant. Alij quæcunque scripta sunt, ad animæ negotium & iustitiæ opera referunt, quorum expositio idcirco moralis dicitur. Alij hanc per varios tropos siue figuras ad ecclesiæ arcana reuocant, quorum sensus propterea tropologicus vocatus est. Alij supernæ vitæ contemplationi dediti, omnia ad cælestis glorię arcana referunt, quam expositionem Anagogicam nuncupant. Atque hæ sunt quatuor in ecclesia exercitatæ theologorum expositiones: præter quas sunt adhuc aliæ duæ, quarum vna ad tẽporum vicissitudines, regnorum mutationes, & seculorũ restitutiones omnia referens: idcirco typica dicta est, in qua excelluerũt Cy-

cyrillus, Methodius, & Ioachim Abbas atque ex recentioribus Hierō. Sauonarola Ferrarienſis. Altera in ipſis ſacris literis ipſius vniuerſi & ſenſibilis mundi totiusque naturæ ac mundanæ fabricæ vires virtutesque exquirit, quam expoſitionē inde phyſicam ſiue naturalem appellant, in hac excelluit Rabbi Symeon Ben Ioachim, qui ſuper Leuiticum ampliſſimum volumen ſcripſit, in quo pene omnium rerū naturas diſcutiens, oſtēdit quomodo Moyſes ſecūdum triplicis mūdi conuenientiam & rerum naturam, arcam, tabernaculum, vaſa, veſtes, ritus, ſacrificia, & reliqua myſteria ad Deum & virtutes cœleſtes placandas, & ad explicandam horū imaginē, hominē ordinauit, & hāc expoſitionē multi cabaliſtę ſequuntur, illi videlicet qui de Breſith, hoc eſt, de creatis tractant. Nā illi qui de mercana, hoc eſt, de tribunali dei diſſerētes per numeros

per figuras, per reuolutiones, per symbolicas ratiões, omnia in ipsũ referunt archetypum, hi anagogi cum sensum scrutantur. Hi igitur sunt sex famosissimi sacrarum literarum sensus, quorum autores, expositores, & interpretes omnes cõmuni vocabulo theologi nuncupati sunt. Eiusmodi itaq; ex nostris fuerunt Dionysius, Origenes, Polycarpus, Eusebius, Tertullianus, Irenęus, Nazianzenus, Chrysostomus, Athanasius, Basilius, Damascenus, Lactantius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Ruffinus, Leo, Cassianus, Bernar. Anselinus & multi alij sancti patres quos illa prisca tẽpora protulerunt nonnulli etiam posteriores, vt Thomas, Albertus, Bonauentura, Aegydius, Henricus Gandauensis, Gerson, & pleriq; alii; verùm omnes hi interpretatiui theologi, homines cum sint, humana quoq; patiuntur alicubi errant

errãt alicubi cõtraria aut pugnantia scribunt, nonnunquã à seipsis dissentiũt, in multis hallucinãtur, nec oẽs omnia vident. Solus enim spiritus sanctus plenariam diuinorum scientiam habet, qui distribuit omnibus secundum certam mensurã, multa sibi reseruans, vt semper nos habeat sibi discipulos. oẽs enim (vt ait Paulus) non nisi ex parte cognoscimus & prophetamus. Tota igitur hæc interpretatiua theologia in libertate spiritus versatur, & separata quẽdã à scriptura sapientia est, in qua vnicuiq; iuxta suum sensum abundare datum est, per multiplices illas quas recitauimus expositiões, qua Paulus vnico vocabulo mysteria siue mysteriorũ locutiones vocat, vbi Spiritus loquitur mysteria, vnde Dionysius hanc mysticã & significatiuã theologiã vocat, à sanctis illis doctoribus ingentibus voluminibus tractatã. Neque verò illis

per omnia credatis, nam multi illorum perseuerarunt in multis erroneis opinionibus de fide, quæ per Ecclesiam pro hæreticis reprobatæ sunt. Sicut manifestum est de Papia Hierapolitano episcopo, de Victorino Pictauiensi, de Hierenęo Lugdunensi, de B. Cypriano, de Origine, de Tertuliano, & multis alijs, quos constat in fide errasse & opiniones illorum pro hæreticis damnatas, cum tamen ipsi habeantur in canone sanctorũ. Hic tamen altiore opus est spiritu, qui dijudicet atque discernat, qui videlicet non ex hominibus, nec ex carne & sanguine, sed desuper datus sit à patre luminum, de Deo enim sine eius lumine nemo ritè quicquam effari potest, lumen autem illud est verbum Dei, per quod omnia facta sunt, illuminans omnẽ hominem venientẽ in hunc mundum, dans illis potestatẽ filios Dei fieri, quotquot receperunt & crediderunt

runt ei: neq, verò alius est qui possit enarrare quæ sunt Dei, nisi proprium ipsius verbum, quis enim alius cognouit sensum Domini? aut quis alius cõsiliarius factus est, nisi filius Dei verbum patris? De hoc nunc mox dicturi sumus, si propheticam theologiam prius absoluerimus.

DE THEOLOGIA PROPHETICA.

Cap. XCIX.

QVemadmodũ prophetia est sermo prophetarũ, sic theologia nõ est aliud quàm traditio theologorũ, hoc est, cũ Deo loquentiũ: neq; enim qui prophetiam aliquam memorauerit, siue interpretari nouerit, is protinus propheta est, sed ille qui in diuinis cum scientia pietatis, virtute ac sanctitate est præditus, qui cum DEO loquitur, & in lege eius meditatur die ac nocte: sic nanque Iohannes author Apocalypsis, in

literis Dionysij nominatus est theologus, à diuina scilicet locutione, quibus dixit ipsa veritas: qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: quòd verbum non ad contentiosos theosophistas dictũ est, sed ad veros theologos, ad apostolos, ad euangelistas, ad nuncios verbi Dei, qui dicunt. Non audeo aliquid loqui quod per me non efficit Christus. Horum itaq; theologorum de fide & pietate sanctæ traditiones, theologica sunt. Horũ dictis àtque scriptis creditur, tanquàm fundatis non in contentionibus syllogismorũ aut opinionibus hominũ, sed in doctrina sana (vt ait Paulus) diuinitùs inspirata: non philosophorum more diuidendo, definiendo, componendo, speculando acquisita, sed essentiali quodam diuinitatis contactu, perclarã in ipso diuino lumine visionem comprehensa: cuius visionis plures admodum species in sacra scri-

scriptura deprehendimus, iuxta prophetarũ diuersas recipiendi dispositiones: nam quosdã legimus Deum siue angelos in forma hominis vidisse, alios in forma ignis, alios in forma aëris ac venti, alios in forma fluuij & aquę, alios in forma volucrũ, alios in forma lapidũ pretiosorũ & metallorũ, alios in forma literarum ac characterum, aut manus scribentis, alios in sonitu vocis, alios in somnijs, alios in spiritu quodã habitante intra se, alios in energia intellectu: quocirca scriptura sacra prophetas omnes videntes vocat. Sic legimus: visio Isaiæ, visio Ieremiæ, visio Ezechiẽlis & reliquorum. Et in noua lege Ioan. ait: Fui in spiritu in illa dominica die, in qua subuectu vidi thronum Dei. Et Paulus testatur, se vidisse quę nõ licet homini loqui. atq; hic intuitus à pleriſq; raptus vocatur, siue extasis, siue mors spiritualis: fit enim tunc separatio quędam

animæ à corpore, sed nõ corporis ab anima: De hac morte dictũ est. Deum nõ videbit homo & viuet. Et alibi: Pretiosa in conspectu domini mors sanctorũ eius, ut clarius adhuc per Apostolum expressa est, vbi ait: Mo. tui estis, & vita vestra absc̃dita est cum Christo, hac igi tur morte mori oportet, quicunq; ingredi cupit ad propheticę theologiæ penetralia. Huius aũt tam Deificę visiõis duplex est intuitus: Vnus quo videtur Deus facie ad faciem, atque tunc vident prophetæ (quòd ait Paulus) quæ non licet homini loqui, atque quæ nulla nec hominũ, nec angelorũ lingua potẽs est exprimere, nec calamus referare. Est liquidẽ quidam diuinæ essentiæ contactus & vnio, & sine omni imagine & similitudine puri & separati intellectus illustratio: ideoq; interpretãtur hãc theologi visionem meridionalẽ, sicuti de ijs latè disserunt Augustſuper

Gene-

Geneſim, & Origenes cõtra Celſum. Alter intuitus eſt, quo videntur poſteriora Dei, quando videlicet claro intuitu intelligũtur creaturę, quę ſunt creatoris poſteriora & effectus per quarũ cognitionem cognoſcitur creator opifex, & prima cauſa agens omnia, ſicut ait Sapiẽs: A magnitudine ſpeciei & creaturæ, poterit cognoſci eorũ creator. Et Paulus de eo dẽ inquit: Inuiſibilia Dei per ea quę facta ſunt, intellecta cognoſcũtur: quin & apud peripateticos vſitatius dicendi modus eſt, vt arguentes ab effectibus ad cauſas, dicantur arguere à poſteriori. Vtraque hac viſione fruebatur Moyſes, teſtantibus id ſacris literis. Nam de priore legimus, quia vidit Moyſes dominum facie ad faciem: de altera legimus illi dictum à Domino: Videbis poſteriora mea, & iuxta hanc poſteriorum viſionem condidit Moyſes legem, & inſtituit ſacrificia

ficia & cæremonias, & ædificauit arcam, cæteraq; mysteria ad ipsius vniuersi exploratissimũ exẽplar, omniaq; Dei hæc & naturæ operũ secreta in illis cõplexus est, atque hæc visio rursus bifariam incedit: nam aut creaturas in ipso Deo intuetur, & vocatur à theologis visio matutina, aut Deũ ipsum cõspicit in creaturis, & vocatur visio vespertina. Est præterea alia quædam prophetica visio, videlicet quæ in somnijs fit, sicut legimus apud Matheũ quia apparuit angelus Dei in somnijs Ioseph & alibi: quia Magi adorato Christo in somnijs admoniti sunt, vt per aliam viam reuerterentur in regionẽ suam. Sunt & in veteri Testamento multa illius exempla: qualis deniq; sit hæc visio, exponit ipse Iob, vbi dicit: In horrore visionis nocturnæ, quãdo cadit sopor super homines & dormiunt in lectulo, tũc aperit aures, & erudiẽs, instruit eos disciplina.

Et

Et hæc tanquá quarta visionũ spe-
cies, vocatur nocturna. Sũt adhuc
alia duo prophetiæ genera, vnum
quod expressa voce recipitur, quo
genere illustrati & docti fuerunt
Moyses in mõte Sinai, Abaá, Iacob,
Samuel, & pleriq; alij veteris legis
prophetę: in noua autem lege apo-
stoli, & Christi discipuli oes, viua
& vera voce à Christo edocti fue-
runt. Alterum genus prophetię fit
agitatione spiritus, quando videli-
cet anima à numine aliquo corre-
pta, illi tunc annexa & ab animali
homine abstracta, & ab eo sapien-
tia & cognitione vltra omne hu-
manũ ingenium & vires repletur,
quæ quidẽ correptio prouenit nõ
solum ab angelico numine, sed nõ
nunquam etiam à spiritu domini
sicut legitur de Saul, quia insiluit
in eum spiritus domini, & prophe
tauit, & mutatus est in virum alte-
rũ, & numeratus inter prophetas.
Et in Act. Apost. Spiritus sanctus

insi-

insiluit in baptizatos in flãma ignis, atque hic spiritus sæpe etiam corripit homines peccatis obnoxios, quin multi gentilium vates, vt Cassandra, Helenus, Calchas, Amphiarus, Tiresia, Mopsus, Amphilochus, Polybius Corinthius. Item Galanus Indus, Socrates, Diotima, Anaximãder, Epimenides Cretẽsis: Item Magi Persarũ, & Asiatici Brachmani, Aethiopum gymnosophistæ, & Memphitici vates: Gallorũ Druides, & Sybillæ eo ipso excelluerunt. Ad quam quidem propheticam spiritus correptionem nonnunquam præuiæ quædam cæremoniæ, & officij autoritas, sacrorumq; cõmunio plurimũ præstãt: sicuti de Balaam exemplificat scriptura. Et alibi de applicatione ephodi: & euangelista testatur de Caipha, quia prophetauit cũ esset pontifex anni illius. Atq; hinc Hebræorũ Mecubales etiã prophetandi artificium cõmentari auli sunt.

Transf-

Transeo quæ circa ista Hebreorũ theologi de triginta duabus semitis intelligentię profunda contemplatione tractant, & quæ Augustinus de gradibus tetigit. Albertus de receptionibus formarum, quarum ille septem modos refert in somnijs & totidem in vigilia apparitiones. De quibus vnum hoc duntaxat admonemus cõsiderandum: Non semper diuina numina prophetis forinsecus occurrere in cõspectum aut colloquium, sed sæpissimè illa intrinsecus causari, cũ videlicet mens prophetę diuinum lumen concipit, cuius illustratio effusa radijs suis per singula media vsq; in hoc crassum corpus, etiam sensus ipsos suæ felicitatis reddit participes, & ex intellecto per rationem & imaginationẽ ac passim per totam animã vsq; ad sensuum instrumenta intrinsecus progrediens, in illis euadit obiectum, vt nox vel lumẽ, vel visio, vel sermo,

vnum-

vnumquenque ſenſuum propria ſua cõditione mouens: & id quidẽ multis prophetis contigit, alijs qui dẽ in vigilijs, aliis verò in ſomniis. Sic legimus apud Platonẽ & Proculum de Socrate, illum nõ ſolum intelligibili influxu, ſed etiam per vocem & colloquium inſpiratum fuiſſe: multò tamen facilius hęc in ſomniis proueniunt. ſed de hoc hactenus. Quin ad propoſitum noſtrum reuertamur. Eſt itaque prophetica theologia, quę ex intuitiua inſpiratione inconcuſſum verbum Dei docet. Autoritas autẽ & argumenta quibus corroboratur illius veritas, non ſunt hominum placita, nõ longi tẽporis vſus, nõ ſapientum excogitata cõmenta, non ſectarum magnifica decreta, non ſyllogiſmi, nõ enthymemata, non inductiones, non obligationes, non ſolubiles conſequentiæ, ſed diuina oracula ſibi inuicem conſonantia, in vniuerſa Eccleſiæ vnanimi

ac

ac ſtabili cõſenſu recepta, miraculis, prodigijs, portentis & omnimoda ſanctitate vitæque diſcrimine, ac ipſo effuſi ſanguinis teſtimonio probata: doctores autẽ huius propheticæ theologię habemus Moyſen, Iob, Dauid, Salomonẽ, & pleroſque alios veteris Teſtamenti canonicos ſcriptores & prophetas. Noui autem Teſtamenti doctores habemus Apoſtolos & Enangeliſtas, atque verò hi omnes licet ſpiritu ſancto repleti fuerint, omnes tamẽ alicubi veritatẽ defecerunt, & ſecundum quid fuerunt mendaces, non quòd ſcienter, quòd aſtu aliquid mentiti ſint, hoc enim dicere perniciosiſſimũ, atque Arrij ac Sabellii hæreſibus maior & periculoſior error eſt, totius canonicæ ſcripturæ ſubuertẽs autoritatem, in quo tamen tam maximo errore fuit olim magnus ille ac Sanctus Hieronymus, de reprehẽſione Petri, diſputans aduerſus Auguſtinũ: dixe-

dixerat enim Hieronymus Paulum astu mentitum. Quod si concessum fuerit, & in sacra scriptura tale mendacium admissum fuerit, mox (vt ait Augustinus) tota sacrarũ literarum certitudo corrueret, Cui sic momenti post plures contradictiões & erroris sui defensiones; tandem agnito errore, & cognita veritate cessit Hieronymus, quod ergo dico, sacros scriptores secundum quid alicubi fuisse mendaces intelligi volo, non sponte errantes, sed aut humanitus lapsos, aut mutata Dei sententia deficientes. Sic defecit Moyses qui pollicitus erat populo Israel, vt educeret eum de Aegypto, & introduceret in terram promissam, & eduxit quidem de Aegypto, sed ad terram promissam non perduxit. Defecit Ionas Niniuitis cladem in quadragesimum diem prænuncians, quæ tamen dilata est. Defecit Helias prædicens mala ventura die-

diebus Achab, quæ etiam vsque in obitum Achab dilata sunt. Defecit Isaias prædicens mortem Ezechiæ in crastinum, quę vsque ad annos quindecim prorogata est. Defecerunt & alij prophetæ, & ipsorum omnia vaticinia reperiuntur aliquādo sublata aut suspensa. Defecerunt etiā apostoli & euāgelistę. Defecit Petrus quādo reprehensus est à Paulo. Defecit Matthæus quādo scripsit Christū nondum mortuum dum lancea latus eius aperuit. Verùm istic defectus non est defectus spiritussancti, sed aut defectus prophetæ, non bene percipiētis quid suggerat spiritus, vel indicet visio, aut ex aliqua mutatione facta in ijs de quibus vaticinabatur, vnde cotingit oraculi sententiā aut mutari, aut differri. Hinc cōtingit omnes prophetas & scriptores in aliquib. videri mēdaces iuxta scripturam dicentē. Omnis homo mendax. Solus aūt christus

Deus

Deus & homo, nunquá repertus est, nec reperietur mẽdax, nec verba eius mutabuntur aut deficient, qui solus expers mendacii & erroris, oracula nunquá irritanda protulit, sicut ipse dixit: Cælum & terra transibunt, verba autem mea nõ præteribunt: & quia omnis veritas est per spiritum sanctum, solus Christus hunc Spiritum sanctum firmiter possidet, & nunquam dimittetur ab eo, sed requiescit in illo. Non sic est de aliis: nam venit Spiritus super Moysen, sed in percussione petræ ablatus fuit. Venit super Aaron, sed in peccato vituli recessit. Venit super Annam soorem illorum, sed in murmuratione contra Moysen reliquit illam. Venit super Saulum, Dauid, Salomonem, Isaiam, & reliquos, sed nõ requieuit in illis. Neque verò prophetæ semper sunt prophetę, siue videntes, prædicentesque, neque habitus continuus est prophetia, sed

sed donum & passio & spiritus transiens, & cùm nullus sit qui non peccet, nullus est à quo non recedat spiritus & ad tempus, saltem relinquat, nisi à solo filio Dei Iesu Christo, de quo ideo dictum fuit ad Ioannem: Super quem videris spiritum descendentem & manentem in eo, hic est filius Dei, qui baptizat in spiritu sancto, potens illum etiam alijs impartiri. Vnde (quemadmodum ait Symonides) solus Deus habet hunc honorem, quod sit methaphysicus, ita & nos verè dicere poterimus: Solus Christus habet hunc honorem quod sit theologus, neque tamen propterea quis putet veteris testamenti scripturas, post natum ex illis diuino partu Christi euangelium, idcirco tanquam effœtas & mortuas, viuunt enim semper summa in auctoritate, ex illis apostoli sua probarunt dogmata, & sine illarum testimonio loquuti

sunt nihil, ad illas nos remittit ipse Christus scrutãdas, cuius euãgeliũ scripturas illas nõ soluit, sed adimpleuit vsq; ad minimũ iota & apicem. Sed de hoc latius differemus inferius. Illud adhuc aduertẽdum est etiam, ipsam sacram scripturã multis voluminibus suis deficere, quod ex ea ipsa facilè cõuincitur. Nam Moyses citat libros bellorũ domini, & Iosue librum iustorum, Hester libros memorabiliũ, & Machabæorum liber citat libros sanctos de Spartiatis, & Paralippomenon commemorat libros lamentationum, libros Samuelis videntis, libros Nathan, Gad, Semeiæ, Haddo, Ahie, Silonitis, & Iesu filij Hammoni prophetarum. Citat Iudas in epistola canonica librum Henoch. Citatur à fide dignis liber Abraæ patriarchæ, qui omnes periere & nusquã sunt. Iã verò et qui habentur in manibus, nõ omnes æquã lãce recepti sunt. Nã Dionysius euã-

gelium

gelium Bartholomæi, et Hieronymus meminit euãgelium secundũ Nazaræos, & Lucas in præfatione euãgelij, sui plures ait euãgeliũ scrìbere aggressos, quæ omnia perierunt & ampliùs nõ sunt, & plura illorum, quia ab Hæreticis depraua ta sunt, aut incertis autorib. inuulgata, nec à patrib. recepta sunt, ab ecclesia adprobata. Taceo interim pseudo prophetas, qui sub introierũt propter vanã gloriã prophetantes, quæ spiritus sanctus nõ suggessit, sed inaudita quædã mendacia, quæ nõ sunt de veritate scripturæ nec ad vnitatẽ spiritus, nec ad pacem ecclesiæ, sectas introducunt, & quasi Dei consiliarios sese procaci temeritate constituentes, audent testamentũ domini assumere per os suũ, & scribere vaticinia & euangelia, quæ omnia aut hæretica sunt, aut apocrypha, nec sacro canoni inserta, quemadmodũ

de Apostolorum canonibus manifestum est. Sed ipsa Salomonis cãtica in sacro Hebræorum canone inserta non fuerunt, nisi prius castigata & cõprobata ab Isaia propheta. Iam ex his facile patet, quomodo ipsa etiam vera theologia, sacra videlicet scriptura, multis voluminibus suis priuata & quodãmodo mãca videri posset, ac pauci admodum ex multis veri ac certi super sint, qui tanquam libri vitę sacrum canonem constituant.

DE VERBO DEI.
Cap. c.

ENaudistis modò quàm sint oẽs disciplinæ ambiguæ quã bisulcatę, quam incertę, quã plenę periculo, vt quantũ ex ipsis est nescire cogamur, vbinam quiescat veritas, etiam in theologia, nisi sit qui habeat clauẽ scientiæ & discretionis. (clausum enim est, veritatis armariũ, varijsq; obductũ my

ste-

ſterijs,atq; ipſis etiã ſapientibus & ſanctis præcluſum)quæ an tantũ, tam incõprehenſum theſaurũ nobis paretur ingreſſus. Clauis autẽ hæc ſola eſt, nec quicquam aliud, quam verbum Dei,hoc ſolũ diſcernit omnẽ vim ſpeciemq́ue verborum,& quis ſermo ex arte ſophiſtica veniat,nõ veritatem,ſed eius quandam præferens imaginem:& quis ſermo veritatem nõ in ſpecie & in fuco,ſed ineſſe & ratione poſſideat,dijudicat, in ipſo omnis ars malitiæ & mendaciorum ſuperatur,neque argumentationes, neq; ſyllogiſmi,neque vllæ ſophiſmatũ verſutiæ contra ipſum ſtare poſſunt. Qui illi non acquieſcit,vel ab illo diſſentit,is, vt inquit Paulus, ſuperbus eſt,& nihil ſciens. Igitur ad ipſum verbum Dei oportet nos omnes ſcientiarum diſciplinas & opiniones, tanquam ad Lydium lapidem aurum examinare, atque in omnibus eo ceu ad ſolidiſsimã

petram confugere, atque ex eo so lo omnium rerum veritatem vena ri, ac de omnib9 disciplinis, de om nium opinionibus & cómentis iu dicare. Quodcunque enim, vt ait Gregorius, ab eo auctoritatẽ nó ha bet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur: huius autem verbi scientiam, nulla schola philosopho rum, nec quorumcunque scholasti corum gymnasia nobis tradidere, sed solus Deus atque Iesus christ9 per spiritum sanctũ in illis scriptu ris, quæ canonicæ vocantur, quib. iuxta diuinum præceptum nihil addere licet nihilque detrahere. Quisquis enim etiam si angelus de cœlo id egerit, anathema est, & à lege domini maledictus est. Huius scripturæ tanta maiestas est, tanta energia, vt nulla externa commen taria, nullas humanas nec angeli cas glossas patiatur: nec tanquá ce rea ad humanorum ingeniorũ pla cita se flecti permittat, nec more

huma-

humanarū fabularū in varios sensus se tanquā proteus aliquis poëticus trāsformari aut transfundi patiatur, sed sibijpsi sufficiens, se ipsū exponit & interpretatur: & omnes iudicans, à nullo iudicatur. Maior enim est eius autoritas, vt ait Aug. quam omnia humani ingenij perspicacitas, vnum enim cōstantem simplicem & sanctum sensum habet, quo solo cōstat veritas, quo solo pugnatur, & vincitur. Cęteri verò extra hūc sensus morales, mystici, cosmologici, typici, anagogici, tropologici, & allegorici, quibus plerique illam varijs ac peregrinis coloribus depingunt, docere quidem nos & persuadere ad plebis ædificationē rectè, & verè aliqua possunt, verùm ad autoritatē verbi dei cōfirmandū probare aliquid vel impugnare siue reprobare non possunt. Nam adducat quis in certamē horum aliquem sensum citet etiam eius quantumcunq; grauem

auctorem, citet interpretem, citet glossam, citet expositionem quorũ libet sanctorum patrum, nõ ita nos adstringunt, quin liceat reluctari. Ex litera autẽ scripturæ, ex illius ductu & ordine vincula nectuntur, quę nemo prærumpere, nemo euadere potest, quin omnes argumentationum machinas elidẽs ac dissipans, dicere ac fateri compellat quin digitus Dei est, quin nunquam sic locutus est homo, quia non vt scribæ & pharisęi loquitur, sed vt potestatem habens. Eius verõ auctores diuinitus inspirati canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, cuius ea magnificẽtia est, vt cuncti ei reddamus oportet, & quicquid pronunciauerit & docuerit, hoc absque vlla retractione firmum & sanctum teneatur. Sicut de hoc loquutus est augustus solum eis libris, qui canonici appellantur, hunc honorẽ deferre, vt nullũ scriptorum eorũ errasse fir-

firmissimè credat. Cæteris autem quâtalibet doctrina sanctitateque polleant se nolle credere, nisi euidenti ratione ex diuinis literis, quod à verò nõ abhorreat, persuadeât. Ad has nos relegat christus, docẽs vt scrutemur scripturas. Ex illis iubet nos Apostolus omnia proba re, vt teneamus quę bona sunt, atq; probare spiritus, vtrũ ex Deo sint, ac in illis potentem esse de omnib. rationem reddere, & contradicentes redarguere, vt sic spirituales effecti, omnia dijudicemus, à nullo dijudicemur. Harum aũt scripturarum (dico canonicarũ) veritas & intelligentia à sola Dei reuelantis autoritate dependet, quæ nõ vllo sensuum iudicio, nulla ratione discurrente, nullo syllogismo demõstrante, nulla scientia, nulla speculatione, nulla cõtemplatione, nullus deniq; humanis viribus cõprehendi potest, nisi sola fide in Iesum Christũ, à Deo patre per spiritum

ſanctum in animam noſtram tranſ
fuſa. Quę tanto quidem ſuperior
eſt atque ſtabilior omni humana-
narum ſcientiarum credulitate,
quanto Deus ipſe hominibus eſt
ſublimior & veracior: ſed quid ve-
racior? immo ſolus Deus verax,
omnis homo mendax, omne igi-
tur quod ex hac veritate nó eſt, er-
ror eſt, ſicut quod ex fide non eſt,
peccatum eſt, Deus enim ſolus fon
tem veritatis continet, à quo hau
rire neceſſe eſt, qui vera dogmata
cupit, cùm nulla ſit nec haberi poſ
ſit, de ſecretis naturæ, de ſubſtan-
tijs ſeparatis, deque ipſorum au-
ctore deo ſcientia niſi diuinitùs re
uelata. diuina enim humanis viri-
bus nó tangũtur, & naturalia quo-
uis momento ſenſum effugiunt:
quo fit, vt quam nos de his ſcientiã
putamus, is error ſit & falſitas,
quod ita Eſaias improperat Chal-
dæorũ philoſophis & ſapientibus,
ad eos dicens: Sapientia tua & ſcié

tia

tia tua ea ipsa decepit te, defecisti in multitudine adinuentionũ tuarum. Cauet summa vigilantia grã. maticus, ne quid peccet in sermone, incultumque ac barbarum verbum proferat, vitæ autem sordes atque peccata interim contemnit, similiter & poẽta mauult vita claudicare, quàm carmine, & historicꝰ regum & populorum gesta temporumque series literis & memoriæ mandat proprię vitę nullam tenet rationem; & si teneat, nolit, pudetue cõfiteri. Rhetor plus horret oratiõis in elegantiam quàm vitæ deformitatem. Dialecticus mauult manifestam veritatẽ abnegare, quã ab aduersario vna syllogistica conclusiuncula discedere. Arithmetici & Geometræ omnia numerant & metiũtur, animæ autem & vitę numeros mẽsurasq; negligũt. Musici quoque sonos atque cantus tractãt, contẽptis moribus animique dissonantijs, cuiusmodi Diogenes

Sino-

Sinopeus citabat, qui lyræ chordas ad harmoniam congruè aptitarent, animi autem mores inconcinnos & incõpositos habuissent. Lustrant cælos & sydera astrologi, & quid venturum sit in mundo, prædiuinantur alijs: quę autem sibijpsis quotidie præsentia imminent, non attendunt. Cosmimetrę notitiam dant terrarum, formas montium, cursus fluminum, limites prouinciarum: cęterum neque meliorem hominẽ faciunt, neque sapiorem. Philosophi rerum causas & principia magna iactantia inuestigant, ipsum autem Deum omnium creatorẽ negligunt & ignorant. Inter principes & magistratus nulla est pax, & alter in alterius exitium ducitur leui compendio. Curant ægrotorum corpora medici, & proprias negligunt animas. Iuristæ humanarum legum obseruantissimi, diuina præcepta transgrediuntur, quocirca prouer-

bio

bio cessit: Nec medicum bene viuere, nec iuristam bene mori, quòd medici genus hominum sit intemperatissimum, iuristæ autem omnium qui viuunt nequissimi, atque quod continuò videmus, & vnus illorum non infimæ famæ Baldus iuris interpres testatur, subitanea morte frequenter extinguuntur. Thologi autem Dei mandata sacraque dogmata nobis clamando prædicant, viuendo autem longè destituunt, maluntque Dei cognitores videri quàm esse amatores. Nunc igitur qui cætera nouit, omnia rectè loqui & scribere, carminisque vires, seculorum vices, argumentandi rationes, orationisq; ornatus, rhetoricosque colores & multarũ rerũ memoriam teneat, numerorum proportiones atque sortes, vocum omnium harmoniã saltationumque modos, quantitatum omnium mẽsuras, radiorum omnium inflexus atque reflexus,

terræ marisque situs, ac magnitudines ædificiorum omnium, machinarũque varias structurus, bellorum certamina, aruorũ cultus, animalium capturas, pastiones & sagimina, & omnem speciem rusticationis, omnem mechanicarũ artium & opificũ industriam, picturam, statuariam, fusoriam, fabrilẽ, institoriam & nauigatoriam, astrorum cursus, atque in hæc inferiora influxus, fatorumque ingeniosas prędictiones, & quęcunque futurorum occultorumque diuinacula, & inexpugnabilia magicarũ artium portenta, & plusquam magica, cabalistica arcana, rerumque omnium naturalium causas, transcendentiumque altissimas sedes & naturas, morũ cẽsuras, reipub. varias administrationes, domesticasque disciplinas, remedia morborum, medicaminũ vires, illorũque agnitionem & mixtiones, obsonioruque lautissimos apparatus, ver-

tere

tere rerum ſpecies, & ex omnibus elicere mundi ſpiritum, Sciat etiam vtraque iura aduocationũque forenſes tragœdias, & ſanctorum patrum pias de diuinis traditiões, is inquam qui hæc & ſi qua reliqua ſunt, omnia norit, tamen nihil ſcit, niſi ſciat voluntatem verbi dei, & fecerit illam: qui omnia didicit, & hoc non didicit fruſtra, didicit fruſtra ſcit omnia. In diuino verbo via, in illo norma eſt, in illo meta eſt, quo tendere oportet, qui nolit errare, & veritatem attingere, omnes reliquæ ſcientię tẽpori & obliuioni ſubiectæ ſunt, quin nõ ſolùm hæ ſcientiæ & artes, ſed & hæ literæ & characteres & linguæ, quib. vtimur, peribunt, & reſurgent aliæ, & fortaſſe iam ſæpius extinctæ fuerunt, & ſæpius iterum reſurrexerunt. Neque ipſa ortographiæ ratio ſemper eadem fuit, nec ſimilis apud omnes vel eodem ſeculo, & latinæ linguæ genuina

genuina pronunciatio hodie nusquam est, prisci Hebræorum characteres perierunt, & non est eorum memoria, sed quos nouos adinuenit Esdras. & lingua eorum à Chaldæis corrupta, quod omnibus ferè linguis contigit, vt nulla hodie sit quæ suam antiquitatem agnoscat vel intelligat, subnascentibus vicissim nouis vocabulis, dejectisque veteribus, illisque porrò rursum restitutis: adeò nihil stabile, nihil diuturnum. Denique Terentiana sententia est, nihil esse iam dictum, quod nõ sit dictum prius, ita fortè nec factum, quod non sit factum prius, quin & bombardã, cuius recens Germanorum inuentum putant ferè omnes: nonnulli (inter quos est Volateranus) prisco æuo vsitatum fuisse, vel ex Virgilij versiculis conuincere volunt:

Linguæ omnes corruptæ.

Vidi & crudeles dantem Salomonea pœnas,

Dum

Dum flámas Iouis & ſonitus imitatur Olympi,
Quatuor hic inuectꝰ equis, & lampada quaſſans
Per Graium populos, mediæque per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumque ſibi poſcebat honorem
Demens, qui nymbos & non mutabile fulmen
Aëre & quadrupedũ curſu ſimularet equorum.

Nónne de hoc loquutus eſt Eccleſiaſt, inquiẽs. Quid eſt quod fuit ipſum quod factũ eſt? ipſum quod faciendũ eſt? Nihil ſub ſole nouũ, nec valet quiſquàm dicere: Ecce hoc recens eſt, iam enim præceſſit in ſeculis quæ fuerunt ante nos. Nõ eſt priorum memoria, ſed nec eorum quidem quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos qui futuri ſunt in nouiſſimo. Et paulò inferiùs ait: Moritur doctus ſimul & indoctus, quid ergo hic dicemus?

mus? nisi quia omnes scientiæ & artes obliuioni & morti subijciuntur, nec perpetuò manebunt in anima, sed vna cum morte transibunt in mortem, dicente Christo: Quia omnis plantatio quam non plantauit pater cœlestis, eradicabitur, & in ignē æternum mittetur, tantum abest vt scientia conducat immortalitati, solum autem verbum Dei manet in æternum. Cuius quidem cognitio nobis tam necessaria est, vt qui contempserit, qui neglexerit, qui nō audierit (teste ipsomet verbo in scripturis sacris) inducet super illū Deus maledictionem, & perditionem, & iudicium æternum. Non est ergo, vt putetis ipsum ad solos theologos pertinere, sed ad omnem hominem, omnes ad eius cognitione pro data sibi capacitatis gratia obligari, & ab illo ne ad festucā discedendum. Hinc in veteri lege præcipitur; Erunt verba hæc in corde

tuo

tuo cunctis diebus vitæ tuę, & narrabis et mádabis ea filijs tuis et nepotibus custodire et facere ea, meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens ac consurgens, et ligabis ea tanquam signum in manu tua, eruntque et mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et ostijs domus tuę. Sic Iosuæ legit omnia verba et cuncta quæ scripta fuerant in legis volumine coram omni multitudine, mulieribus, et paruulis, et aduenis. Et Esdras attulit librũ legis coram omni multitudine virorum et mulierũ, cunctisque qui poterant intelligere, et legit in eo apertè in platea: et Christus iubet Euangelium suum prędicari omni creaturæ per vniuersum orbem terrarum, idque non in tenebris, non in aurem, non clancularièe, non in cubiculis, non ad aliquos segregatos magistros et scribas: sed palàm in lumine,

super

super tecta, ad populum, ad turbas. Sic enim ait ad Apostolos: Quod vobis dico, omnibus dico, quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aurem auditis, prædicate super tecta, Et Petrus in Actibus ait: Præcepit nobis prædicare populo, Et Paulus iubet educari pueros in institutione, & admonitione Christi, quin ipse Christus increpauit discipulos prohibētes paruulos ad illum accedere, & quorum simplicitatē & humilitatem, vt nullis prauis opinionibus præuentum, nec vllis humanis scientijs inflatum habentes animum, diuinorum verborū auditori adeò necessariam esse docet, vt nisi quis sicut paruulus effectus, omnino ineptus sit regno Dei. Hinc Chrysostomus in quadam homilia vult pueros præcipuè diuinis literis occupari debere, quin etiam domi atque priuatim viros cum vxoribus & liberis

inui-

inuicem de sacris literis disputare, ac vltro citroque & ferre & inquirere sententiam. Et Nicena synodus decretis suis cauit, ne quis è numero Christianorum sacris Bibliorum libris careret: Scitote ergo nunc nihil esse in sacris literis tam arduum, tam profundū, tam difficile, tam absconditum, tam sanctum quod ad omnes Christi fideles non pertineat: quin tota ipsa theologia omnib. fidelibus cō munis esse debet, vnicuique autē secundum capacitatem & mensuram donationis spiritussancti. Boni itaque doctoris est vnicuiq; secundum id quod cōfert quantum capere potest, distribuere, illi quidem in lacte, alteri autem in solido cibo, neminem necessarię veritatis pastu defraudare.

DE SCIENTIARVM MAGISTRIS.

Cap.

Caput CI.

TAndem vt me aliquando recolligam, audistis ex his quæ ab initio hucusq; dicta sunt, nihil aliud esse scientias & artes, quàm hominum traditiones, à nobis bona in illos credulitate receptas, easque omnes constare, non nisi ex rebus dubijs & opinionibus, per apparentes demonstrationes: esseque omnes non tam incertas quàm fallaces, quàm simul etiá impias: Quocirca credere omnino impium est illas posse nobis aliquam diuinitatis adferre beatitudinem, gentium hæc olim superstitio erat, qui rerum inuentores, & quos scientia vel arte aliqua præstare reliquis intuebantur, eos diuinis honoribus venerabantur, atq; in deorum suorum referebant numerum, templa, aras & simulacra illis dedicantes, & sub varijs imaginibus illos colentes Quemadmodum Vulcanus apud Aegyptios,

cum

eum esset primus philosophus, & naturæ principia in ignē referret, ipse deinceps pro igne cultus est: & Aesculapius (vt ait Celsus) quia rudem adhuc medicinā paulo subtilius exercuisset, in deorū numerū ob id receptus est: Atque hæc est illa, nec vlla alia scientiarum deificatio, quā antiquus ille serpens huiusmodi deorum artifex primis parētibus pollicebatur, inquiens: Eritis sicut dij, scientes bonū & malū. In hoc serpente glorietur, qui gloriatur in scientia. Nemo siquidem, possidere poterit scientiam nisi fauore serpentis, cuius dogmeta nō nisi prælitigia sunt, & finis semper malus est, vt etiam apud vulgus in prouerbium cesserit: Omnes scientes insanire, cui adstipulatur etiam Aristoteles dicens. Nullam magnam esse scientiam absque mixtura dementiæ. Ipseque Augustinus testatur multos scie-

di desi-

desiderio amisisse sensum, nulla res Christianæ religioni atque fidei tam repugnant quàm scientia, minusque se inuicem compatiuntur: Scimus enim ex ecclesiasticis historijs, etiam experientia ipsa edocti, quomodo inualescente fide Christi ceciderint sciētiæ, ita quod maxima & potior earum pars penitus perierit. nam magicæ illæ potentissimæ artes sic abierunt, vt ne vestigia supersint, è tot philosophorum sectis vix vna restitit Peripatetica, nec ea quidem integra. Neque verò vnquam melius habuit securiusque quieuit Ecclesia, quam dum scientiæ illæ omnes in arctum deductæ erant, cum Grammatica non esset nisi apud vnum Alexandrum Gallum, Dialecticę præesset Petrus Hispanus, Rhetoricę sufficeret Laurentius Aquilegius, historijs fasciculus temporū satisfaceret, pro mathematicis disciplinis computus ecclesiasticus,

reli-

reliquis omnibus vnus satis esset Isidorus. Nunc verò vbi linguarũ peritia: dicendi ornatus, & auctorum numerus reuiuiscunt, inualescuntque scientiæ, turbatur ecclesię tranquillitas, & nouę insurgunt hæreses. Neque verò est vllum hominum genus suscipiendę Christianæ doctrinæ minus idoneum quàm qui scientiarum opinionibus mentem iam imbibitam habent. Hi enim tam pertinaces & obstinati in suis opinionibus sunt, vt spiritui sancto nullũ locum relinquant, ac proprijs viribus, proprioque ingenio sic innituntur atque confidunt, vt nulli veritati cedant nec admittant, nisi quam syllogisticis rationibus possunt ostẽdere: quæ autem proprijs viribus & industria inuestigare aut intelligere nequeunt, rident atq; aspernantur. Ideoque Christus abscondit hanc à sapientibus & prudentibus, & reuelat eam paruulis, qui

videlicet sunt pauperes spiritu, nullos scientiarum thesauros possidentes, qui sunt mundi corde, nullis scientiarum opinionibus inquinati, qui sunt pacifici, non sectatores, non contentiosi, nec rixosis syllogismis veritatem expugnantes, & qui persecutionẽ patiũtur propter veritatem & iustitiã. Sic Athenis olim Socrates veneno sublato, Anaxagoras vltimo supplicio adiudicatus, Diagoras capitis libello accusatus, sed ille instantem necẽ celeri fuga euasit. Inter Hebræorũ etiam prophetas, Esaias in partes dissectus, Hieremias lapidibus obrutus, Ezechias cæsus, Daniel ad bestias damnatus, Amos fuste occisus, Micheas in precipitiũ flatus, Zacharias apud aram trucidatus, Helias à Iezabele persecutus, quæ & ipsa plurimos occidit prophetas: Quin & sanctus ille patriarcha Abraham in Chaldaicam fornacẽ proiectus. Sic & Christi apostoli disci-

discipuli infinitiq̃ martyres diui nitatis Christi testes multiplicibus tormentis occisi sunt. Omnes autem isti non alia ex causſa, quàm quod isti sanctius de Deo sentirẽt, quàm isti mundi sapientes. Ecce hi qui sic in paupertate spiritus, puritate cordis, & pace conscientiæ paruuli, & humiles sunt, parati etiã sanguinem pro veritate effundere, hi inquam sunt, quibus solis datur illa vera & deificans sapientia, quæ nos in deorum beatorum choros refert, ac in similes beatos deos transformat. Sicut hæc nos clarè docet Christus, inquiens. Beati pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum dei. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij DEI vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Melius est ergo & vtilius idiotas & nihil omnino

scientes existere, & per fidem & charitatem credere, & proximum fieri DEO, quàm per subtilitates scientiarũ elatos & superbientes cadere in possessionem serpentis. Sic legimus in Euangelijs, quomodo Christus ab idiotis, à rudi plebecula, & simplici populorũ turba susceptus est, qui à principibus sacerdotum, à legisperitis, à scribis, à magistris & rabbinis respuebatur, contemnebatur & ad mortem vsque persecutus est: hinc & Christus ipse apostolos suos nõ Rabbinos, non scribas, nõ magistros, nec sacerdotes elegit, sed è rudi vulgo idiotas omnis literaturæ pene expertes, insçios & asinos.

AD ENCOMIVM ASINI DIGRESSIO.

Cap. CII.

SEd ne quis me calumnietur, quod Apostolos vocarim asinos, ipsius asini mysteria paululum

lulum quidem, sed non extra propositum digredientes, paucis explicabimus, hunc enim Hebræorũ doctores fortitudinis ac roboris excelli, patientieque & clementiæ symbolũ esse exponunt, eiusq; influxum à sephiroth quòd hochma hoc est, sapiẽtia dicitur, depẽdere. Eius nanq; cõditionis sapientię discipulo necessariæ maximè sunt, viuit enim exiguo pabulo, eoque qualicũq; cõtentus, toleratissimus penuriæ, famis, laboris, plagarum, negligẽtię, omnisq; persecutionis patientissimus, simplissimi ac pauperrimi spiritꝰ, vt ne inter lactucas & carduos discernere sciat, corde innocenti ac mundo, ac bili carens cum omnibus animantibus pacem habens, omnibusque oneribus patienter dorsum supponẽs in quorum remuneratione caret pediculis, raro morbis afficitur, tardiusq; quam vllum armentum deficit. Plurima, inquit Columella, asini &

necessaria opera supra portionem respondent, cùm & facilem terrá aratro proscindat, & non minime pondere vehicula trahit. Iam verò molarum & conficiendi frumẽti pene solemnis est huius pecoris labor, omne rus tam necessarium instrumentum desiderat asellum, qui pleraque vtensilia, & vehere in vrbem, & roportare collo vel dorso commodè potest. In augurio etiam quam salutaris nuntius sit asinus, testatur Valerius de C. mario, qui olim Austri & Aquilonis domitor, tandem patriæ hostis declaratus, & à Sylla persequutus, consultore ac duce asino Syllę minas euasit, asinum autorem fugę & salutis habuit. Iamque etiam in vetere lege sic asinum Deus ipse honorauit, vt cum iuberet omne primogenitum occidi in sacrificium, solis asinis cum hominibus pepercit, videlicet permittens hominem pretio redimi, & pro asino ouem commutari.

tari: hunc, quæ constans fama est, Christus suæ natiuitatis testem esse voluit, in hoc à manibus Herodis saluari voluit, atq; ipse asinus etiá contactu corporis Christi cósecratus est, crucisque signaculo insigni tus: nam Christus ipse pro redemptione humani generis triumphaturus ascendens in Hierusalem, testibus euágelistis, hunc vectorem conscendit, sicut id magno mysterio per Zachariæ oraculum prædictum fuit, & ipse electorum pater Abraam asinis tantum equitasse legitur, vt nõ inane sit illud apud vulgus vetus prouerbium, quod dicitur: Asinum portare mysteria, quo nunc ego vos egregios illos scientiarum professores, quinimo Cumanos asinos admonitos volo, quod nisi humanarum scientiarũ depositis sarcinis, ac leonina illa (non quidem à leone illo de tribu Iuda, sed ab illo qui circuit rugiés & quærens quẽ deuoret) mutuata

pelle exuta, in nudos & puros asinos redieritis, esse vos portandis diuinæ sapientię mysterijs omninò penitusque inutiles: neque verò Apuleius ille Megarensis ad Isidis sacra mysteria vnquam admissus fuisset, ni primus è philosopho versus fuisset in asinum. Legimus diuersorum animantiũ miracula, elephantem græcos pinxisse characteres, eundem etiam Aristophani Grãmatico riualẽ Stephano Polidẽ puellã adamasse tradit Plutarchus, quin & draconem adamasse puellã Aetholidẽ apud eundẽ autorem legimus, eundẽ etiam suum seruasse nutritium, & adgnitã vocem accurisse à multis creditũ est. Et apud Plinium legimus, aspidẽ ad mẽsam cuiusdã quotidiè venire solitam, cum sensisset ab vno catulorum suorum hospitis filiũ interemptũ, inuiolati hospitij pœnã nec intulisse catulo, nec postea præ pudore in tectũ id reuersam. Recenset.

censet idem pantherā ob eductos è fouea catulos retulisse homini gratias. & extra solitudines eductum in viam publicam restituisse. Iam verò & Cyrū à cane, & Romanæ vrbis conditores à lupa nutritos. cū essent expositi, celebratum est. Transeo delphinorū miracula, & leonū agnita beneficia relatasq; gratias. Taceo vrsam Dauniam ac bouem Tarentinum à Pythagora māsuefactos, horumq; similia permulta: sed quod omniū prodigiorum vincit admirationē. Ammonius Alexādrinus summus suo tēpore philosophus D. Origenis & Porphyrij præceptor, asinum sapientię auditorē illis condiscipulū habuisse legitur: quin etiā ex sacra bibliorum historia scimus asinum aliquādo prophetico spiritu donatum: nam cum Balaā vir sciens & propheta exiret, vt malediceret populo Israēl angelū Domini non vidit, vidit autē asinus, & humana

voce adsessorẽ Balaã locutus est. Sic inquam, sæpissimè videt simplex & rudis idiota, quę videre nõ potest deprauatus humanis scientijs scholasticus doctor. Nónne Sampson in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum percussit, & deleuit viros Philisteorũ? sitiensq; orauit Dominũ, quia aperuit molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt aquæ viuæ, quibus haustis refocillati sunt spiritus & vires eius? Nónne christus in buca asinorũ suorum simplicium & rudium idiotarum apostolorũ & discipulorum suorũ vincit & percussit omnes philosophos gentiũ & legisperitos Iudæorum, oẽmq; humanã sapientiam prostrauit atque confecit propinans nobis ex illorum suorum asinorum maxilla aquas vitæ & sapientiæ æternæ? Iam verò in ecclesiasticis historijs & sanctorum gestis varia & multa legimus illorũ precibus in diuersa

anima-

animalia collata diuino munere beneficia: verum nullum vnquam animal à mortuis ſuſcitatum legimus, præter aſinum illum quem B. Germanus Britonum epiſcopus in vitâ reuocauit, quo inſigni miraculo oſtenſum videtur, aſinũ ipſum etiam poſt hanc vitam participare immortalitati. Ex ijs igitur quæ iam dicta ſunt ſole clarius liquet, nullum animal tam eſſe diuinitatis capax quàm aſinum, in quem niſi verſi fueritis, diuina myſteria portare non poteritis. Propriũ id olim apud Romanos Chriſtianorum nomen erat, vt vocarentur aſinarij, ipſamque Chriſti imaginem aſininis auribus pingere ſolebant: teſtis horum eſt Tertullianus: quo circa iam non indignentur, nec ſibi opprobrio reputent noſtri pontifices & abbates, ſi apud iſtos ſcientiarum gigantes elephantes aſini ſint atque vocentur, nec miretur Chriſtianum

vulgus si apud istos ecclesiarum præfectus & sacrorum nostrorũ mystas, quo quisque doctior est, tanto inter reliquas fiat pauciorís non enim faciunt ad asinorum aures luciniarum cantus & moduli, atque nec asinorum insuauem & minimime musicum rugitum ad lyram cõsonere in prouerbio est, atque tamen ex asinorum ossibus, exempta medulla omnium optimè fiunt tibiæ, quæ spiritu inflatę, sicut omnium auium eloquentissimam canoritatem, ac cuiusque lyræ aut cytharæ elegantissimos sonos longissimè superant atque vincunt: ita religiosi isti idioę suo asinino clangore omnes loquacissimos sophistas superant atque pręcellunt. Sic legimus nonnullos gẽtilium philosophos ad Antonium viscendum venisse differendi gratia, & breui sermõe abs eo captos, cum rubore & verecundia abscessisse. Legimus etiam simplicem & idio-

idiotam hominem quendam in literis exercitatissimum ac versutissimum hæreticum paucis verbis deuicisse, ac reduxisse ad fidem, quem doctissimi viri & episcopi, qui ad Nicenum cócilium cóuenerat, diu turna & anxia admodum disputatione non poterant superare: interrogatus autem postea ab amicis, quomodo idiotæ cessisset, qui tantis restitisset doctissimis episcopis, respondit se episcopis facile proverbis verba dedisse, huic autem idiotæ qui non ex humana sapientia, sed ex spiritu loquebatur, resistere nequiuisse.

OPERIS PERORATIO.

Vos igitur nunc ô asini, qui iam cum vestris filijs subiugalibus iussione Christi per eius Apostolos veræ sapientiæ nuncios prælectoresque in sancto eius Euangelio soluti estis à caligine carnis & sanguinis, si diuinam hanc & veram

non ligni scientiæ boni & mali, sed ligni vitæ sapientiam assequi cupitis, proiectis humanis scientijs, omniq́ue carnis & sanguinis indagine atque discursu, qualescunque illæ sint, siue in sermonum rationibus, siue in causarum perscrutationibus, siue in operum & effectuū meditationibus vagentur, iam nō in scholis philosophorum & gymnasijs sophistarum, sed ingressi in vosmetipsos cognoscetis omnia: concreata est enim vobis omnium rerū notio quod (vt fatentur Academici) ita sacrę literę attestantur, quia creauit Deus omnia valde bona, in optimi videlicet gradu, in quo consistere possent: is igitur sicut creauit arbores plenas fructibus, sic & animas ceu rationales arbores creauit plenas formis & cognitionibus, sed per peccatum primi parentis velata sunt omnia, intrauitq́ue obliuio mater ignorantiæ. Amouete ergo nunc, qui

pote-

potestis, velamen intellectus vestri, qui ignorantiæ tenebris involuti estis. Euomite lethæum poculum, qui vosmetipsos obliuione inebriastis, euigilate ad verum lumen, qui irrationabili somno demulcti estis, & mox reuelata facie transcendetis de claritate in claritatẽ: vncti enim estis à sancto (vt ait Ioannes) & nostis omnia, & iterum: non necesse habetis, vt aliquis vos doceat, quia vnctio eius docet vos de omnibus: Ipse enim solus est qui dat os & sapientiam. Dauid, Esaias, Ezechiel, Hieremias, Daniel, Ioannes Baptista, multique cæteri Prophetæ & Apostoli literas non didicere, sed ex pastoribus, rusticis, & idiotis effecti sunt rerũ omnium doctissimi. Salomon in vnius noctis somnio omnium superiorum & inferiorum sapientia repletus est, simulatque rerum gerendarum prudentia, adeò vt nullus ei

par

par extiterit. Et omnes hi homines fuerũt mortales, ſicut & vos eſtis, quin & peccatores. Dicetis forſan pauciſſimis admodum hæc contigiſſe. Et pauci quos æquus amauit Iuppiter: aut ardẽs euexit ad ęthera virtus, Dijs genti potuere. Sed nolite deſperare, non eſt abbreuiata manus domini omnibus inuocãtibus eum, qui illi fidele præſtant obſequium. Antonius & barbatus ille ſeruus Chriſtianus triduanis precibus plenariam dominorum notitiam (quòd teſtatur Auguſt.) conſecuti ſunt. Qui autem non poteſtis cum Prophetis & Apoſtolis & ſanctis illis viris claro & reuelato intellectu ea intueri, procuretis intellectum ab his qui verò intuitu ea conſpexerunt: hæc via quærenda ſupereſt (ſicut ait Hierõ. ad Rufinum) vt quòd prophetis & Apoſtolis ſpiritus ſuggeſſit, vobis ſtudio literarum quærendum ſit, earum inquam literarum, quę diui-

nis

nis oraculis traditæ & ab Ecclesia vnanimi consensu receptæ sunt, non quæ humanis ingenijs excogitatæ sunt, quia hæ nō illustrant intellectum sed obtenebrescere faciunt. Igitur ad Moysen, ad Prophetas, ad Salomonē, ad Euangelistas, ad Apostolis recurrendum est, qui omnimodo doctrina, sapientia, morbus, linguis, vaticinijs, oraculis, prodigijs, & sanctitate coruscantes, de diuinis ex ipso, de inferioribus autem supra homines locuti sunt, omnia DEI & naturæ secreta nobis clara luce tradiderunt. Omnia enim Dei & naturæ secreta, omnis morum & legum ratio, omnis præteritorum præsentium & futurorum notitia in ipsis sacris Bibliorum eloquijs traduntur. Quo ergo præcipites ruitis vos qui quæritis scientiā ab illis qui ipsi in inquirendo omnem ætatem suam consumpserunt, & tempus & industriam perdiderūt,

nec

nec vllam veritatem inuenire potuerunt? O stulti & impij qui post habentes dona spiritus sancti, laboratis vt à perfidis philosophis & errorum magistris discatis ea quæ à Christo & spiritu sancto suscipere deberetis. An putabitis vos posse ex Socratis ignorátia haurire scientiam? ex Anaxagore tenebris lucem? ex Democriti puteo virtutem? ex Empedoclis insania prudentiam? ex Diogenis dolio pietatē? ex Carneadis Archesilai stupore sensum? ex impio Aristotele & perfido Auerroe sapientiam? ex Platonicorum superstitione fidē? erratis admodum valde, & decipiemini ab his qui fuerūt decepti. Sed reuocate vosmetipsos qui veritatis cupidi estis, discedite ab humanarum traditionum nebulis, adsciscite verum lumē: Vox ecce de cælo, vox desursum docens, & sole clarius ostendens, quid vobis iniqui estis, & sapientiam susci-

pere

pere cunctamini? Audite oraculum Baruch: Deus inquit est, & non existimabitur alius ad illum hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob puero suo & Israēli dilecto suo, dans legem & præcepta, atque ordinans sacrificia: post hæc in terris visus est, & cū hominibus conuersatus est, videlicet factus caro, & aperto ore docens quæ in lege & prophetis ænigmaticè tradiderat. Et ne putetis ad diuina duntaxat, & non etiam ad naturalia hæc referri, audite quid de seipso testatur Sapiens: Ipse inquit, mihi dedit eorum quæ sunt, scientiam veram, vt sciam dispositiones orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, cōsummationem, medietatem, & vicissitudines temporum, anni cursus, stellarum dispositiones, naturas animalium, iram bestiarū, vim ventorum, cogita-

gitationes hominum, differentias virgultorum, virtutes radicum, & quæcunque sunt abscondita & improuisa didici: omniũ enim artifex docuit me sapientiam. Indeficiens enim est diuina scientia, cui nihil elabitur, nihil accedit, sed comprehendit omnia. Scitote ergo nunc, quia non multo labore istic opus est, sed fide & oratione: non longi temporis studio, sed humilitate spiritus, & munditia cordis: non librorum multorum sumptuosa suppellectile, sed expurgato intellectu, & veritati veluti clauis cum sera cooptato: nam librorum turba onerat discentem, non instruit, & qui multos sequitur autores, errat cum multis. In vno sacro bibliorum volumine omnia continentur, & traduntur: ea autem lege vt non nisi ab illustratis percipiantur, cæteris sint parabolæ & ænigmata multisq; signaculis præclusa. Orate igitur ad dominum

Deum

Deum in fide, nihil hæsitantes, vt veniat agnus de tribu Iuda, ac librum vobis aperiat signatum, qui agnus solus est sanctus & verus, qui solus habet clauem scientiæ & discretionis, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo potest aperire. Hic est Iesus Christus verbum & filius Dei patris, & sapientia Deificans, verus magister factus homo sicut sumus nos, vti nos perficeret filios Dei, sicut est ipse, qui est benedictus in omnia secula. Sed ne diutius sermocinando vltra clepsydram, vt dicitur, declamem, hic orationis nostræ finis esto.

FINIS.





BIBLJOTEKA KÓRNICKA
13919